PH-LINN.
QK495
.F137
V.5
1713

HESPERIDES
NORIMBERGENSES.

❁ ❁ ❁

EMinet hic NORIS cultu ſtudioque perito
inclyta, Pegneſus quam pater ipſe ſtupet.
Namque ſuis undis gaudet peregrina rigari
munera telluris, mitia poma videns.
Eximium, quondam quo colla ſuperba gerebat
cum Tiberi Ganges, rettulit illa decus.
Aurea dum poſuit ſua germina in arva Benaci
Aegle, prima trium quae ſoror Heſperidum;
Aegle, quae imperiis cunctis ſua parca negavit,
ſparſit ibi larga citrea dona manu;
ſponte ſuperba boni ſolis Arethuſa Limonis
dum Ligurum terris ſemina fulva dedit;
et ſolus Calaber, quas Heſperthuſa ferebat,
auri dum fruges ſedulus usque metit:
Quaelibet illorum, reliquis certantia terris,
arva beata magis ſe bonitate ferunt.
Quid faciat NORIS? Certant tres munera Nymphae
illi ferre; auro munera cara magis:
Glarea, quae infelix quondam, nunc fertilis auro eſt,
En, inquit, Nili ſplendeo divitiis:
Quicquid ab auriferis eiectat Iberia plantis,
quasque comas aluit divitis unda Padi;
quodque legunt aurum Eous Graiusque ſativum;
nunc gremio in noſtro cuncta decora nitent.
NORIS, macte novis, calatho quae divite fundunt
Heſperides, cultis arboribusque tuis.
Alta petens caeli Tibi nunc famulatur Apollo,
lumine fecundo proſpicit arva tua.
Alcidae pariterque iuvat ſolertia fortis,
Mercurii dotes ingeniique vigor.
Nomen eat ſuper aſtra Tuum maneatque perenne,
altius emineat culminis arce Tui.



P. Decker delin. L. C. Glotſch ſculp.

HESPERIDVM NORIMBERGENSIVM

SIVE

DE

MALORVM CITREORVM, LIMONVM AVRANTIORVMQVE

CVLTVRA ET VSV

LIBRI IIII,

BENE MVLTIS ICONIBVS IN AES ELEGANTISSIME INCISIS ORNATI:

QVIBVS SVBIVNCTA EST

F L O R A,

FLORES PLANTASQVE RARIORES IN AGRO NORICO CVLTAS EXHIBENS.

ACCESSIT

DE HOROLOGII SOLARIS BVXO DESCRIBENDI RATIONE,
DE HORTO EX OPTICORVM REGVLIS DELINEANDO,
DE COLVMNIS ITEM MILLIARIBVS ET OBELISCO THEODOSIANI SIMVLACRO IN AVCTORIS VIRIDARIO ERECTIS,

BREVIS COMMENTATIO,

Mo. Bot. Garden,
1893

AVCTORE

J. C. V.

OMNIA E LINGVA GERMANICA IN LATINAM NVNC TRANSLATA.

* * *

CVM S. CAESAREAE MAIESTATIS PRIVILEGIO.

NORIMBERGAE,
APVD IO. ANDR. ENDTERI p. m. FILIVM ET HEREDES.

DISSERTATIO EPISTOLICA
DE
PRAECIPVIS HESPERIDVM SCRIPTORIBVS,
IISQVE
TAM ANTIQVIS QVAM RECENTIORIBVS.

PRAENOBILI AMPLISSIMOQVE

VIRO

DN. IOANNI CHRISTOPHORO VOLCAMERO,

IN LIBERA IMPERII ROMANO-GERMANICI CIVITATE NORIMBERGENSI CIVI, ET MERCATORI, OPERIS LVCVLENTI, QVOD HESPERIDES NORIMBERGENSES INSCRIBITVR, AVCTORI PERCELEBRI,

ERHARDVS REVSCHIVS S. D.

EXire in manus hominum potuiſſent TVAE, VIR AMPLISSIME, HESPERIDES NORIMBERGENSES, Latine nunc loquentes, citra ullum manumiſſionis teſtimonium, utpote quae ſuam omnibus ingenuitatem, cum primum prodirent, ſatis abunde comprobarunt. Sacraveras eas civibus noſtris Germanis, ne horum limites egrederentur, praecipiens: at illae, ut ſolent puellae, ulterius exſpatiatae, ſuum in amorem exteros quoque, praecipue Anglos, Belgas et Italos, pellexerunt, non ſine honorifica Nominis Tui commendatione. Hos itaque cum nihil magis habere in votis intelligeres, quam ut confabulari cum illis liceret ſibi, linguae Teutonicae ignaris: duplici Tibi beneficio obſtrinxiſti rei hortenſis et herbariae cultores, quando exorare Te tandem paſſus es, ut in linguam eruditorum eas transfundi curares, quo Latine loquentes, cunctas Europae regiones pervadere, omnibusque ſe commendare valerent. Etſi enim Pontanum, Ferrarium, Commelinum aliosque, qui ut cultura Heſperidum ſuis in arvis recte inſtituatur, literis mandarunt, ſecutus, eandem regioni noſtrae potiſſimum convenientem edocuiſti, eandemque non omnibus locis commodam eſſe, ipſe confirmas: fieri tamen non potuit, quin generalia culturae praecepta bene multa admiſceres, e quibus periti coloni, etiam ſub alia caeli plaga degentes, hauriant, quae e re fuerint: anſam certe haec non infrequenter praebebunt cogitandi de iis, quae mentem alias effugiſſent, teneras tamen arbuſcularum propagines quam mitiſſime rectiſſimeque foveant. Negandum certe non eſt, ipſaque experientia, fidiſſima rerum magiſtra, evincit, pro diverſiſſimo locorum genio hic ſumme noxia eſſe, quae alibi ſaluberrima ſunt comprobata: quae diverſitas et in homine et in plantis perſpicue comparet, adeo ut recte ſen-

ſerit ſcripſeritque Hiſtoricorum antiquiſſimus Herodotus: *a Natura comparatum eſt, ut e mollibus regionibus molles viri exiſtant, neque ex eadem terra admirandae fruges, et egregii bello viri gignantur.* Atque haec cauſſa eſt, cur Tibi integrum non fuerit, aliorum veſtigia ita legere, quominus interdum ab illorum ſententia recederes. Quemadmodum vero Tibi aliorum labores, quos ſubinde meritis exornas laudibus, multum profuerunt, Tuamque in colendis hiſce arbuſculis induſtriam egregie excitarunt; ſic nec aliis harum rerum ſtudioſis inutile, nec Tibi iniucundum fore iudicavi, ſi Scriptores, qui de Malorum Aurearum cura quidquam memoratu dignum attulerunt, veluti in tabella exhiberem, Tuoque Operi praemitterem. Ita enim cuilibet, qui haec talia noſſe cupit, integrum erit, ſuo uti iudicio, et ex diverſa, quae in diverſis obtinet terrae locis, cultura ſeligere, et inire eam colendi rationem, quam exiſtimaverit convenientiſſimam. Referam autem, pro virili parte cuiusque voluntati obſequuturus, omnes tam antiquiores quam recentiores, quotquot meam in notitiam pervenerunt, hac lege, ut ex veterum ſcriptis, (quandoquidem de Heſperidum cultura ſcribendi laborem ſibi ex inſtituto haudquaquam ſumſerunt,) breviter, qualis olim fuerit in uſu, annotem; maxime in gratiam eorum, quibus veterum perquirere monumenta non vacat. At in recenſione iuniorum eos tantum memorabo, qui variis in regionibus hoc de Heſperidibus commentandi munere vel univerſim iuſtis voluminibus, vel ſigillatim ſchediasmatibus molis exiguae editis, ſunt defuncti, et quacunque ratione aliquid ad artis augmentum laudabiliter contulerunt. Quem meum conatum ſi Tibi, VIR OPTIME, bonisque omnibus probavero, erit de quo vehementer gaudeam.

Si iuvat, ab ultima Heſperidum aetate, quoad memoria repetere poſſumus quam longiſſime, ordiri, tenuia admodum culturae huius initia deprehendemus. Non enim mitiora aut lautiora huius rei fata comminiſci valemus, quam fuere rerum omnium, quarum *nulla*, dicente Seneca, vitae morumque magiſtro optimo, *conſummata eſt, dum incepit: et in omni negotio longe ſemper a perfecto fuere principia.* Haec quo augmenta caperent indies maiora,

ipſa novas artes varia experientia rerum,
et labor oſtendit miſeris, uſusque magiſter.

Vetuſtiſſimis tamen temporibus curam malorum aureorum, (non autem iam expendere libet, quaenam illa fuerint: demus interim, fuiſſe citriorum genus;) non omnino fuiſſe neglectam, nec ſegnius eorundem culturam peractam, fabularum commenta, infidum alias ac lubricum fidei faciendae argumentum, firmiter ſatis probare videntur. His repetendis tempus non inſumam, cum trita ſint atque obvia. Adhaec legi poterunt in eximio hoc Tuo tractatu; in quo et fabulas et varios ſenſus ex eruditorum coniecturis dextre ediſſeruiſti. Illud addam, eſſe, qui altius fabulae originem repetentes, perhibent, a Tellure eadem cum ramo Iunoni fuiſſe oblata, nuptias cum Iove celebranti; hancque ſuum in hortum prope Atlantem inſeri juſſiſſe, Heſperi filiabus et dracone cuſtodibus relictis. Atque ex his arboribus mala eſſe, aiunt, ab Hercule in Graeciam aſportata. Neque aliunde eſſe volunt, quae Venus Hippomeni tradidit, curſu cum Atalanta decertaturo. Ex hortis enim Heſperidum poma iſtaec decerpſiſſe, et praeterea eiusmodi arborem in ſacra ſibi Cypri inſula plantaſſe Dea haec memoratur. Vbinam vero locorum horti illi, in omni Graecorum antiquitate famoſiſſimi, fuerint conſiti, dictu non adeo proclive eſt. Heſperidum nomine inſula et urbs Libyae celebratur a diligentiſſimo Geographo, Strabone, *b* et ante eum a Scylace Caryandenſi, *c* qui hortum adiacentem ita deſcribit: *Illic eſt hortus Heſperidum. Eſt vero locus profundus orgyis XVIII, praeruptus circumquaque, nusquam deſcen-*

a Calliope ſive L. VIIII. in fin. *b* Geogr. L. II. pag. 84. *c* in Periplo p. 46.

ſcenſum habens. Vbique vero duobus ſtadiis non minor eſt latitudo et longitudo. Hortus hic opacus eſt, arboribus in ſe invicem implicatis, quam maxime denſis. Arbores ſunt lotus, mali omnis generis, punicae, pyri, arbuti fructus, mora, vites, myrti, lauri, hederae, olivae, oleaſtri, amygdali, iuglandes. Iam quidem, etſi a vero non multum abſimile videatur, locum hunc amoeniſſimum, praeruptis montium iugis obiectis inacceſſum, fabulae occaſionem et originem dediſſe, illud nec pro vero affirmare, nec refellere animus eſt. Largiamur et hoc aliis id affirmantibus, in Africae finibus ſita fuiſſe iſtaec viridaria; quo hac ratione de ipſis Scriptoribus dicendi initium inveniamus.

Proinde ex Africa oriundum, primum hic Scriptorem Tibi, VOLCAMERE PRAESTANTISSIME, celebro, eumque regio diademate inſignem, cuius tamen opera ad unum omnia tempus edax rerum abolevit. Eſt ille IOBAS ſive IVBA, Numidiae atque Mauritaniae rex, pater Ptolemaei ex Cleopatra, cognomento Selene, quae erat filia Antonii Triumviri et Cleopatrae. *d* Hic, patre adverſus C. Iulium Caeſarem bellum gerente, admodum puer bello captus, Romae in triumpho ductus eſt. *e* Aelianus *f* obſidem a patre, qui contra Caeſarem

Venerat et parvis redimitus Iuba ſagittis,

Romanis fuiſſe datum perhibet. Dum Romae eſt commoratus, bonas literas didicit, adeoque feliciter excoluit, ut ſtudiorum claritate memorabilior, quam regno, πολυμαθεστάτου nomine ab Athenaeo *g* decorari promereret, ſcriptis poſtmodum bene multis inclitus, plurimisque veterum laudatus. In Auguſti quoque amicitiam ſe inſinuavit, qui eum pro regno paterno multis Africae partibus donavit, *h* quas ad Ptolemaeum filium transmiſit, interfectus a C. Caligula, ex inſidiis in via, uti colligit e Seneca Lipſius. *i* Tantus hic rex, regiae ſuae dignitati nequaquam dedecori fore ratus, ſi ad rem usque hortenſem ſe demitteret, de citri nomine commentatus eſt, hoc malis Heſperidum commune fuiſſe comprobans. Equidem Iubae fidem denegat Democritus, Athenaei Dipnoſophiſta; iurene an iniuria? alibi disquiram: rem tamen, etſi non citri nomen, antiquis cognitam fuiſſe fatetur. Liber Iubae, qui hujus rei memoriam conſervavit, inſcriptus erat: περὶ Λιβύης συγγράμματα. *k* Inde coniectura fortaſſe non vana adducor, ut credam, de cultura eum parum aut nihil hic praecepiſſe: praetereundus tamen idcirco mihi non videbatur, quia non alius eo antiquior Heſperidum nomen Romanum nos edocuit; quod idem bini Medicae artis principes, aetate non multum inferiores, Dioſcorides, *l* et Scribonius Largus, *m* ſcriptis ſuis pariter inſeruerunt. Quaeres fortaſſe, VIR OPTIME, annon ſcriptores idonei ex reliquis eius operibus quaedam conſervarint, naturalem Heſperidum hiſtoriam illuſtrantia? Sed tantum abeſt, ut fragmenta huc facientia inde exſcripta depromſerint, ut potius, ſi ex librorum titulis de ipſo libro iudicare fas eſt, de iis alio in loco mentionem inieciſſe, ne levi quidem ſuſpicione ducamur. Vtque dictis fidem faciam, ſingula, ni legiſſe grave fuerit, Viri diademate cincti monumenta literaria recenſebo; quo ipſo et apud alios rerum aeſtimatores gratiam me initurum confido, cum multo ſtudio collegerim plura eorum, quam a quoquam e recentioribus ſunt annotata.

d Plutarchus in Vita Antonii; Suetonius in Calig. cap. 26. ibique Torrentius. Strabo L.XVII.p.570, Suidas. *e* Plutarchus in C.I.Caeſare; et Appianus de Bello Civ. Lib.II.p.491.edit.H.Stephani. *f* Hiſtor. Animal. Lib.VII.c.23. *g* Dipnoſoph.Lib.III.p.83. *h* Strabo L.VI. circa fin. Dio Caſſius Lib.LIII.ad ann.729. De Iuba hoc plura congeſſit Bernardus Aldrete, in libro, cui tit. Varias Antiguedades de Eſpanna, Africa y otras provincias Lib.IIII.cap.20.p.577.578.579. Prodiit hic liber Antverpiae 1614.f.4. Add. G.I.Voſſius de Hiſtor.Graecis L.II.c.4. *i* ad Taciti Annal.L.IIII.c.23. *k* Meminerunt horum Commentariorum de Libya Plutarchus in Parallel.min.c.23. ubi e libro tertio quaedam profert, Athenaeus loc. cit. *l* De hoc paulo poſt. *m* Cap.XLI.compoſit.158.

annotata. Itaque praeter jam dicta περὶ Λιβύης συγγράμματα, celebrantur II) eiusdem Ἀρχαιολογία Ῥωμαϊκή, ſive *Romanae Antiquitates*, quas non alias fuiſſe autumo quam Ἱστορίαν Ῥωμαϊκὴν, ſeu *Hiſtoriam Romanam*, *n* qua laudem in primis meruit. Movet me, ut Antiquitates et Hiſtoriam pro opere eodem habeam , quod illarum auctoritate non alium eſſe uſum reperiam, praeter Stephanum Byzantinum, qui librum II allegat. *o* Amplius III) quaſi potiora Africae atque Europae regna et imperia non caperent vim ingenii, mente quoque ac ſcriptis comprehendit magnam Aſiae partem, *p* quam plures populi, ſuis diſtincti nominibus, incolebant. *De Aſſyriis* enim duos ei libros tribuit Tatianus, *q* quos et Clemens Alexandrinus *r* legit ; ſed ibi nomen vitioſe Ἰοάβας pro Ἰόβας ſcriptum eſt. Praeterea IIII) memor beneficii ab Auguſto accepti, volumina ſcripſit *de C. Caeſaris Expeditione Arabica*, ad ipſum C. Caeſarem, Auguſti F. natu maiorem ; quae fide digniſſima ſequitur Plinius. *s* Nec vero in hiſtoria ſcribenda omnem poſuit operam ; quin potius de ceteris quoque literarum artiumque humaniorum partibus multa eſt commentatus. Atque huc refero V) Libros *de Pictura*, quorum alterum citat Sopater in Eclogis apud Photium, *t* et VI) *de Pictoribus* Harpocrationi *u* memoratos. Hos enim diverſos fuiſſe a prioribus nullus ambigo, cum laudatus iam Rhetor & Grammaticus Alexandrinus, poſtquam paulo ante Opus de Pictoribus citaſſet, in Πολύγνωτος ſcribat : ἱστορήκασιν ἄλλοι τε, καὶ Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ Ζωγράφων, καὶ Ἰόβας ἐν τοῖς περὶ Γραφικῆς· cum brevius, omiſſo alterius libri titulo, dicere potuiſſet : καὶ Ἀρτέμων καὶ Ἰόβας ἐν τοῖς περὶ Ζωγράφων. VII) Huc etiam pertinere cenſenda eſt Θεατρικὴ ἱστορία, *Theatralis Hiſtoria*, qua argumenta Tragica , ſive et hiſtorias et fabulas tragice deſcribi ſolitas aliquot libris *x* complexus eſt. Atque hanc eandem reſpexiſſe cenſeo Heſychium, quando in quarto Θεατρικῶν noſtrum citat, *y* qui VIII) eundem, (falſo enim ibi Ἰὸβ legitur) in decimo quinto περὶ ὁμοιοτάτων, *z* *de Similitudinibus* allegat. Denique IX) citatur a Suida *a* ἐν δευτέρῳ φθορᾶς λέξεως, *de corrupta dictione* , uti hunc locum ex MSS. Pariſ. reſtituit Cl. Neocorus, cum antea legeretur φορᾶς λέξεως, *varia dictione*. Vltimo loco adhuc commendandus eſt X) eius liber exiguae molis *de Euphorbio* herba, *b* quam in Euphorbii Medici, inventoris honorem ita dictam voluit. Iam vero ex hac ſcriptorum recenſione, certo conſilio inſtituta, nemini obſcurum eſſe poteſt, raram Iubae, aut plane nullam, dicendi de Citris occaſionem fuiſſe. Hoc unum, antequam ad alia transgrediar , addidiſſe iuvabit, poetica etiam facultate eum polluiſſe, id quod ex ipſius epigrammate in Leontem Argivum, Tragicum, *c* conſtare poteſt.

Sed ad reliquos Heſperidum ſcriptores, origine Afros, propero. Mirandum vero, ex terra illa barbara , monſtrorum matre, tot cultiſſimi ingenii viros prodiiſſe. Scribit Edo Neuhuſius : *d* *Auſtrales, quorum vertices propius perſtringit aeſtivi ſolis orbita*

n Librum I citat Stephanus, in Ἀβοριγῖνες et Ὠστία. Neque alium librum reſpicit in Λαβίνιον. *o* in Νομαντία. *p* De amplitudine Aſſyriae, quam poſtea Syriam appellarunt, legendi Strabo L. XVI. ab init. Mela Lib. I. cap. II. quem ſecutus eſt Plinius Hiſt. Nat. Lib. V. Sect. 13. et Martianus Capella Lib. VI. cap. de Arabia et Syria. *q* in Oratione contra Gentes p. 184. *r* Stromatum Lib. I. p. 329. Conf. Keckermannus de Natur. et Propriet. Hiſtoriae in Auctario cap. VII. *s* Lib. VI. ſect. 31. in fin. *t* In Biblioth. Cod. CLXI. pag. 338. add. Valerius Harpocration in Πολύγνωτος. *u* In Παῤῥάσιος, ubi librum VIII allegat. *x* Quarti meminit Athenaeus Lib. IIII. p. 175. et Vlpianus ad Demoſthenem. *y* In Κλώπεια. *z* In κάρτη. Add. Athenaeus L. cit. p. 170. *a* In Σκομβρίσαι. *b* Quod laudant Galenus κατὰ τόπους Lib. VIIII cap. 4. et Plinius Lib. XXV. ſect. 38. p. 400. *c* Servavit id nobis Athenaeus L. VIII p. 343. *d* Theatr. Ingenii human. L. I. c. 16. p. 272.

orbita, ingenio abundare, ad cogitandum acutos, ad intelligendum expeditos, ad capienda conſilia paratos, ad cavenda pericula circumſpectos, in omnibus humani commercii negotiis providos ac ſapientes. In hoſtem vero magis fraude et furtivis inſidiarum tendiculis; quam aperto Marte, conſertisque aequo virtutis certamine viribus depugnare. Et poſt pauca addit: *Neque clarius quidem Auſtralis naturae, quam in Aegyptiis refulget ſpecimen: qui in Aſiae Africaeque ſiti confinio, et flagellati ſolis propinqui radiis, utrisque ſemper promtiſſimi ingenii artibus excelluere.* Non ergo invideamus illis gloriam, quam Dionyſius *e* tribuit, canens:

Τῷ παρὰ ναιετάουσιν ἀριπρεπέων γένος ἀνδρῶν,
οἱ πρῶτοι βιότοιο διεστήσαντο κελεύθους,
πρῶτοι δ' ἱμερόεντος ἐπειρήσαντο ἀρότρου,
καὶ σπόρον ἰθυλάτης ὑπὲρ αὔλακος ἁπλώσαντο,
πρῶτοι δὲ γραμμῇσι πόλον διεμετρήσαντο
θυμῷ φρασσάμενοι λοξὸν δρόμον ἠελίοιο.

Hunc accolunt praeclarorum genus hominum, qui primi vitae diſtinxerunt vias: primi item optabile experti ſunt aratrum, atque ſemen ſuper rectiſſimum ſulcum poſuerunt. Primi etiam lineis caelum dimenſi ſunt, animo contemplati obliquum curſum ſolis. Ex hac itaque terra, a qua Graeci ſapientiam petiere, et quidem ex Naucrati urbe, ortum habuit, quem nunc ſiſto, ATHENAEVS. Hunc inter Medicos locum tueri poſſe, affirmat Dan. Clericus: *f* at in libris, qui ſuperſunt eruditiſſimi, res quoque naturales et medicas tradens, verborum potius quam rerum curam egit, ideoque Criticis et Grammaticis accenſendus. Aetatem ejus primus conſtituit Tan. Faber. *g* Scripſit autem poſt Commodi obitum ſub Pertinacis atque Severi principatu, Oppiano Poëta, quem laudat, *h* poſterior. Quid ex ejus Libris Δειπνοσοφιστῶν (quorum XV fuere, ſed binos priores cum dimidia tertii parte amiſimus,) ſit inſtituto noſtro accommodum, ipſe iudicare potes, VOLCAMERE AMPLISSIME, ſi Criticum egiſſe eum perpendes, et de nominibus diſputaſſe, uti in Iuba paulo ante vidimus. Quae praeterea habet de Citro, e Theophraſto ſunt depromta. Tacendus tamen propterea non erat, cum in opere iſtoc, multiplici eruditione referto, inter coenae lautitias etiam Heſperidum appoſuerit mala, quae in coena Laurenſis vidiſſe aeque iucundum eſt, ac in Theophraſti horto. Meretur quoque, ut reliqua eius ſcripta, quorum pauca ſunt, hic commemorentur. Memoriam eorum ipſe conſervavit. Fuere autem *Hiſtoriae Ducum, qui ſingulari certamine ſuis profuere*, *i* et Libri *de Regibus Syriae.* *k* Quae plura Athenaei nomen praeferunt, non ſunt noſtri, ſed alterius cognominis, uti viris doctiſſimis obſervatum diu eſt. Ceterum ex Athenaeo peculiare annoto, quod, cum vulgaris traditio ex Africa in Graeciam mala iſtaec fuiſſe illata, teneat; ipſe cum Plinio aliisque ex Aſia hanc ſtirpem eo deſcendiſſe pronunciet, *l* ſcribens: ὅτι δ' ὄντως ἐκ τῆς ἄνω χώρας ἐκείνης κατέβη εἰς τοὺς Ἕλληνας τὸ φυτὸν τοῦτο, ἐστὶν εὑρεῖν λεγόμενον καὶ παρὰ τοῖς κωμῳδίας ποιηταῖς. *Quod autem ex Aſiae ſuperiore plaga in Graeciam revera ſtirps ea deſcenderit, ſcriptum a Comicis Poëtis invenitur.* Noſtra quidem parum refert, unde Graecia iſta ſtirpes acceperit: potuiſſe tamen fieri, (ſi quidem Heſperidum mala fuere citria,) cenſeo, ut poſt Herculis tempora aliunde frequentiora fuerint advecta, potiſſimum Theophraſti aevo, qui a patria vocavit Mala Medica.

e In Orbis Deſcriptione. v. 232–237. *f* Hiſt. Medicinae P. III. L. III. c. 9. pag. 204. *g* Lib. I. Epiſt. p. 64. *h* Lib. I. p. 13. Conf. Cl. I. Alb. Fabricii Biblioth. Gr. Lib. IIII. cap. 20. p. 630. ſqq. *i* Lib. IIII. p. 155. *k* Lib. V. p. 211. *l* p. 84.

Hinc commodam nanciſcimur occaſionem transmittendi in Aſiae oram. Ex Cilicia enim oriundus fuit vir literis cultiſſimus, quem magnus Scaliger *m* merito Herbariorum dictatorem ſalutavit, PEDACIVS vel PEDANIVS DIOSCORIDES, nativitate Anazarbeus, genere Romanus ex Pedaniorum familia, qui magnam vitae partem in Aegypto apud Cleopatram ſub Antonio transegiſſe perhibetur quibusdam. At Marſilius Cagnatus *n* ab horum rationibus recedens, Hermolaum Barbarum aliosque ſecutus, Plinio eum vel poſteriorem vel aequalem facit. Neque vero contemnendae ſunt rationes, quibus ſub Auguſto eum floruiſſe, adſtruit maximum nuper Germaniae lumen, Petrus Lambecius. *o* Media inter utrosque via incedit laudatiſſimus I. A. Fabricius, *p* invidendum ſaeculo noſtro nomen, qui Dioſcoridem Plinii aetatem haud multum praeceſſiſſe evincit ex ipſius Anazarbei verbis, *q* ubi Euphorbium deſcribens, Iubae meminit: Ἡ μέν τοι ἕυρεσις ἀυτοῦ κατὰ Ἰόβαν τὸν βασιλέα τῆς Λιβύης ἐπεγνώσθη. *Ceterum id, Iuba in Libya regnante, primo inventum fuiſſe, in confeſſo eſt.* Iubam Auguſto coaetaneum, cum haec ſcriberet Pedanius, vita iam exceſſiſſe, inde liquet. Ab Auguſti vero exceſſu ad Plinii obitum, anni nonniſi LXVI numerantur. De Scriptis, quae Dioſcoridis nomine circumferuntur, Lambecius recte iudicat, non unius eſſe, ſed partim Alexandrini Dioſcoridis, qui cognomine Phacas noſtro aetate ſuperior; partim Gloſſographi, qui noſtro junior Anazarbeo autem de Materia Medica libros quinque ſolum vindicat, in quorum primo cap. CLXVI agit περὶ μηδικῶν, eademque κεδρόμηλα, Ῥωμαϊστὶ δὲ κίτρεια dicta pariter innuit. Ceterum de arboris fructuumque perpetua viriditate et uſu, Theophraſto dicta confirmat.

Dioſcoridi alterum addo e Phoenicia Aſiae. Eſt is SEXTVS IVLIVS AFRICANVS, Heraclae diſcipulus, de quo vehementer inter ſe diſſident auctores, dum alii ex unico tres facere allaborant. Inter hos, qui plures uno fuiſſe ſtatuunt, princeps eſt Henricus Valeſius, Vir ſummus, *r* cui praeter alios aſſentitur Fridericus Spanhemius. *s* Contra hos nituntur bonarum literarum columen, Iſaacus Voſſius *t* et alii, quibus doctiſſimus Petrus Needham ſubſcribit, uni Sexto omnia opera, quae hoc nomine apud veteres leguntur, tranſcribentes. Clarus alias eſt ſcriptor Hiſtoricus, Euſebio *u* magnopere celebratus, et Photio *x* lectus. Neque fere quisquam eſt e recentioribus, qui res veterum Chriſtianorum literis conſignavit, quin Iulii Africani geſta commmemorarit. Laudant eum magna nomina, Caeſar Baronius, *y* Leo Allatius, *z* Tillemontius, *a* Guil. Caveus, *b* Balthaſar Bebelius, *c* Io. Albertus Fabricius, *d* aliique, e quibus, quae ad vitam et ſcripta viri, de re literaria pariter ac Chriſtiana meritiſſimi, peti poterunt. Illud hic repetendum cenſeo, latere adhuc ab eo confectos *Commentarios Novi Teſtamenti et Chronicon*, teſte Hebed Ieſu, Metropolita Sobenſi. *e* Fortaſſe huic annexa fuit σταδιονικῶν ἀναγραφὴ, a primo Coroebo Eleo ad ſuae aetatis ultimum, Heliodorum Athenienſem deducta, qui Olympiade CCXLIX ſtadio iterum vicit. *f* Ad huius ἀναγραφῆς cynoſuram Guilielmus Loyd ſeriem ſuam Chronologicam Olympiadum, Pythiadum, Iſthmiadum, Nemeadum compoſuit et correxit,

m de Subtilitate exerc. 153. *n* Var. obſerv. L. II. cap. 28. *o* Comment. de Biblioth. Vindob. L. II. cap. 7. p. 558. ſeqq. *p* Bibl. Gr. Lib. IIII. cap. 8. *q* Lib. III. cap. 96. *r* ad Euſebii Hiſtor. Eccleſiaſticam. *s* Introduct. ad Chronol. et Hiſt. S. Saecul. III. p. 331. *t* Not. ad Catullum p. 30. *u* in Chron. et Hiſtor. Eccleſ. L. VI. c. 31. *x* Biblioth. Cod. 34. *y* Annal. Eccleſ. T. II. ad A. C. 222. *z* in Euſtathi Hexaëmeron, p. 5. 6. 7. *a* Tom. III. Mem. Eccleſ. *b* Hiſtor. Liter. Script. Eccleſ. p. 68. 69. *c* Antiqu. Eccleſiae Evangelicae Sec. III. art. 1. §. 14. p. 476. 477. *d* Bibl. Graec. L. III. c. 24. p. 595–598. *e* Catal. Librorum Chald. ex verſ. Abr. Eechellenſis, n. 15. p. 18. edit. Nihuſianae: *Beati APHRICANI, Epiſcopi Emaus. exſtant Commentarii Novi Teſtamenti et Chronicon.* *f* Ionſius de Script. Hiſt. Philoſ. L. IIII. p. 334.

correxit, *g* ubi ultimae Olympiadis pentaëteris incidit in A.C,217--220. Chronici illius auctori ex Voſſii ſententia etiam vindicandi ſunt κεστῶν libri, quorum VIIII, ab aliis XI, a laudato Voſſio XXIIII numerantur. Ex his Caſſianus ſuam collectionem Γεωπονικῶν ditavit. Perſuadet hoc Georgius Syncellus, *h* confirmans, deſcriptas in illis fuiſſe Ἰατρικῶν καὶ φυσικῶν καὶ γεωργικῶν καὶ χυμικῶν (χυμευτικῶν) δυνάμεις, *res Medicas, Phyſicas, ruſticas et chymicas.* Opus hoc ſic dictum eſt a rerum, quas continet, varietate, ducta a Diones ceſto ſimilitudine. In inſtructiſſima celeberrimi Voſſii bibliotheca exſtitit quondam MStum, uti ex Catalogo Librorum MStorum Angliae et Hiberniae didici. Baſſus ex eo opere capita XXXVIIII ſervavit, quorum id, quod de citrio agit, ludicrum hoc edocet, ut, paratis e gypſo vel luto formis, citria et quaelibet mala in varias ſpecies humanae faciei vel alterius rei excreſcere cogantur et informari. *i*

Iam ſecundis auſpiciis in Graeciam tendimus, Citri aurum, quod ex provinciis Aſiae ſuam in patriam deportavit gens luxui deditiſſima, olim Aſiae late domina, iridem curioſis oculis luſtraturi. Qualis fuerit eius in Graecia proventus, diſerte edocuit magnum illud naturae oraculum, divina vir eloquentia, THEOPHRASTVS Ereſius, Ariſtotelis in ſchola ſucceſſor. Tantum virum, tot elogiis mactatum, cum Tibi nomino, VIR OPTIME, ne requiras aut expectes velim a me, ut de vita eius commentationem ſubiungam. Amplior eſt dicendi materia, quam ut brevi epiſtola concludi poſſit. Adhaec nolo in aliorum meſſes falcem immittere, cum viri in re literaria ſummi *k* hunc Theophraſto laborem iam praeſtiterint, exſecuti omnia quam diligentiſſime. Rectius omnino fecero, et argumento Operis Tui convenientius, ſi, quae ille de malis Medicis ſcripſit, *l* ordine hic ſubiiciam. Et primo quidem a patria malum Medicam vel Perſicam dici perhibet, quod Perſidi Mediaeque familiaris habetur. Deinde arboris notas, quas vocant, characteriſticas ſubinnuit, quando folium foliis portulacae, ut Theodorus vertit, vel Adrachnes *m* aſſimilat, et aculeis horrere eam acutis validisque perhibet. Sed optandum fuiſſet, ut pari diligentia et reliquas diſerte adſcripſiſſet, potiſſimum in quam illa magnitudinem excreverit; quo litem dirimere poſſemus, quaenam malorum aureorum ſpecies Medicae nomine veniat, citriane an aurantia? Hinc pomi uſum triplicem declarat, illud quidem non mandi perhibens; eſſe tamen 1) aeque ac folium, odoratiſſimum, veſtes a vermium arroſione conſervans: 2) reſiſtere venenis: et 3) ſuccum medullae expreſſum, atque in iure ſumtum, ſuavem halitum reddere. Vides, ut et hic deficiat Theophraſtus, cum de pomi figura nihil quidquam addat, quod ſuſpiciones iuvet, aut confirmet, quale pomum ille praeciſe deſcribat; quandoquidem aurantiorum rotunda, oblonga citreorum eſt forma. Neque uberior eſt, etſi accuratior, in culturae rationibus explicandis. Circa eam monet, grana ſulcis diligentiſſime cultis verno tempore eſſe committenda, et quarto aut quinto die riganda: enatas inde plantas vere iterum eſſe transferendas in molle riguumque ſolum, nec valde tenue, cum id arbori huic convenientiſſimum iudicet: qua in re hodiernos colonos habet conſentientes. De flore fructuque obſervat, arborem hoc nunquam prorſus exonerari, cum nova ſemper poma matureſcentibus ſuccedant. In flore autem notavit ſignum fertilitatis, colum extantem, qua ſi careat flos, infecundus labitur, cum ex illo tantum enaſcatur pomum, qui colum in medio gerit. Vltimum quod ex Tyrta-

(B) 2 mo

g Oxoniae 1700. fol. *h* Chronograph. p. 359. *i* vid. infra in *Florentio.*
k Io. Meurſius de vita et Scriptis Theophraſti peculiare ſchediaſma edidit Lugd. Batav. 1640. f. 12. quod Cl. Gronovius T. X. Antiquitatum Graecarum inſeri curavit. Add. Io. A. Fabricius Bibl. Gr. L. III. c. 9. p. 234. ſqq. *l* Hiſt. Plantar. Lib. IIII. c. 4.
m Vid. P. A. Matthiolus Comm. in L. I. Dioſcor. p. 204. 205.

mo obſervo , eſt vaſorum fictilium perforatorum uſus , utpote in quibus et malus Medica et palma ipſius aevo fuerint conſitae ; ſed rarius fortaſſe, ut apparet. Haec ea ſunt, PRAENOBILIS VOLCAMERE, quae antiquiſſimis temporibus haud diu poſt Alexandri M. principatum naturae myſtis in Graecia fuere cognita: in quibus tamen et Phyſici et Critici multa deſiderant, quae ſub examen vocare atque excutere, non eſt huius loci. Erit tamen, ſi DEVS vitam viresque conceſſerit, commodior dicendi occaſio, ubi *Mala Heſperidum aurea, ex ſtatuis, nummis et gemmis illuſtrata*, orbi erudito exponere peculiari quodam ſchediaſmate, iam fere parato, datum fuerit.

Sed antequam ad alia pergamus, non inconveniens erit, hoc loco monuiſſe, ex pauciſſimis, qui poſt Theophraſtum ſcripſerunt, et nomen Citriorum conſervarunt, plerosque Mala Medica pro Citriis habere. Dioſcoridem ita ſenſiſſe, paulo ante dixi. Confirmat hanc eius ſententiam Phrynichus Arabius, Sophiſta et Grammaticus, qui ſub M. Antonino, eiusque filio Commodo, claruit, ſcribens: *n* Μῆλα Μηδικὰ τὰ νῦν κίτρα. *Mala Medica, quae nunc Citra appellantur.* Conſentientem praeterea habet ex Medicis Graecis Aëtium : Μηλέα Μηδικὴ, ἢ κίτριον. Ex quo loco illud colligo, τὸ κίτριον nomen arbori et fructui eſſe commune; uti et Arabicum *utruggi*, *o* (ut alia ſimilia taceam,) itidem tam pro pomo quam pro arbore accipitur. Alias vero, ſi linguae proprietatem ſpectare velimus , κίτριον ſive κιτρίον fructum , κιτρία arborem denotat, uti hoc et alii ante me recte obſervarunt. Varinus autem pro fructu κίτρον poni ait : κίτρον, ὁ καρπός. E Latinis Oppius quidam apud Macrobium *p* de malo medica et citria conſimilia habet, niſi quod pro *Media Perſidem* ſubſtituat, quemadmodum Heſychius *q Indiam* : ſed apud hunc mendum librarii ſubeſſe ſuſpicor, quod et Varinus Phavorinus, qui ex Heſychio aliisque omnia compilavit, in Lexicon ſuum transtulit. Idem mendum quoque in Simeonis Sethi librum de Alimentis voce Κίτρα *r* irrepſit : τὰ κίτρα, ἃ καὶ μῆλα ἰνδικά ὀνομάζονται. Quare pro eo, quod legitur Κιτρίον τὸ Ἰνδικὸν μῆλον, cum illo omnis eruditionis genio, Cl. Salmaſio, repono τὸ Μηδικὸν μῆλον, uti et interpres Simeonis vertit : *Quae etiam Medica vocantur.* Hi ergo omnes Theophraſti mala Medica eſſe Citria voluerunt. Nic. Myrepſus tamen, (cuius exemplum MS. unicum, ex quo Leonhartus Fuchſius ſuae exſcribi curavit verſionis editionem, *s* in inſtructiſſima Bibliotheca publica heic loci quondam latuit, ipſo teſte, *t*) et, Nicandri Scholiaſtes, aurantium eſſe aſſerunt. Ita enim hic: Ἔστι δὲ τὸ Μηδικὸν μῆλον, ὅ ἐστι νεράντζιον.

De SOTIONE, quem Tyrtamo, ab eruditione et ab eloquii ſuavitate commendatiſſimo, hic adiungo, certiſſimum eſt illud, eum longo temporis intervallo Theophraſtum ſecutum eſſe; etſi tempus, quo vixerit, valde dubium atque incertum. Palladio tamen, ſcriptore Romano, antiquiorem ad Tiberii aetatem pertigiſſe, ab literatorum principe, G. Io. Voſſio, *u* perhibetur. Refert Plutarchus *x* de Bucephala et Perita, Indiae oppidis, nomen illa habere a Bucephalo equo, et Perita, cane Alexandri M., idque e Sotione confirmat, qui hoc ex ore Potamonis Lesbii perceperit. Potamon autem Tiberio ſuppar fuit aetate, auctore Suida. Haec ſi quem minus convincerent rationes, meminiſſe poterit, quod puer illum audiverit Seneca

Phi-

n ἐν ἐκλογῇ Ἀττικῶν ῥημάτων καὶ ὀνομάτων. *o* Vopiſcus Fortunatus Plempius ad Avicennae Canon. Med. Lib. II. Tr. II. pag. 54. *p* Saturnal. Lib. II. cap. 15. *q* voc. κιτρίον. *r* Scribit ibi, panem, ſi citriis malis calidus imponatur, citius putreſcere; cuius rei rationes phyſicae afferri poſſent. Addit porro: *Ferunt etiam, ſi quispiam ipſo per noctem utitur, quod oculos diſtorqueat.* *s* Baſileae 1549. fol. *t* in dedicatione ad Senatum Norimbergenſem. *u* in Opere eruditiſſimo de Hiſtor. Gr. lib. II. c. 7. *x* in Vita Alexandri p. 1282. 1283. edit H. Stephani.

Philoſophus, uti hoc, gratiam pro meritis refundens, teſtatus eſt ipſe in Epiſtolis. *y* Idem teſtatur Georgius Syncellus; *z* ubi obiter noto, corruptum eſſe Sotionis nomen, et male legi Σιτίων. Nec quenquam moveat, nec, ut aetatem eius ſollicitet, adduci ſe quis patiatur, quod in Fragmentis, quae ab ipſo habemus, legantur vocabula, iis temporibus, quibus Graecae linguae elegantia et puritas conſtabat, minus uſitata. Multa enim in illis Γεωπονικῶν Scriptoribus, a Caſſiano Baſſo collectis, reperiuntur, quae ſubiecta eſſe, non ab re ſuſpicatur Cl. Petrus Needham. *a* Imo mire interpolata eſſe iſtaec Fragmenta, vel ex eo indubium eſſe poterit, cum in libris Varronis nihil invenerim eorum, quae tamen ex eo copioſe afferuntur. Vt taceam ingentes παραχρονισμούς, quando Diophanes, *b* Varroni *c* et Columellae *d* memoratus, Africanum, longe inferiorem, (uti paulo poſt pateſcet,) legiſſe dicendus foret. Scriptores itaque, capitibus praenotati, argumentum ſcribendi dederunt Caſſiano, qui ea uſus eſt libertate, ut ſuis verbis aliorum ſententiam referret, et de ſuo adderet ex aliis, quae memoratu digna viſa ſunt. Io. Ionſius *e* Alexandrinum, Apollonii Peripatetici fratrem natu minorem, fuiſſe aſſerit, et praeterea de aliis, Sotionis nomine claris, eorumque ſcriptis accurate agit, ut adeo et hic brevioribus nobis eſſe liceat. Operae tamen pretium erit, quaeſiviſſe, ex quo opere hauſerit Excerpta Baſſus? Non ignobile fuiſſe illud oportet, cum capita XXVIII ex eo ſint depromta. De agro colendo ſcripſiſſe Sotionem, ex aliorum teſtimoniis vero ſit ſimile, etſi nuſpiam eius liber, hoc titulo inſignitus, legatur. Fortaſſe ex libro, varia eruditione referto, cui titulum praeſcripſit: Κέρας Ἀμαλθείας, *Cornu Amaltheae*, agriculturae praecepta mutuatus eſt, ex quo et illa de Citriis conſervandis eſſe ſuſpicor. Suadet *f* citrium malum gypſo probe ſubacto eſſe illinendum, illudque ſine macula integrum et illibatum conſervari per totum annum. Similia tradunt Florentinus *g* et Palladius, *h* qui praeterea ſingula ſingulis vaſis eſſe concludenda, et opaco loco cuſtodienda, praecipit. Idem tamen uſitate in cedri ſcobe, vel in ſtraminibus minutis vel in paleis tecta ſervari affirmat: non diſſentiente Sotione, qui Citria in hordeo occultata non putiſcere decet.

Succedat nunc ANATOLIVS, qui Theodoſii, Imperatoris, fuit magiſter, uti eſt apud Suidam. Io. Harduinus, *i* et Valeſius, *k* maxima Galliarum lumina, Anatolium hunc volunt eſſe Vindanium Anatolium Berytium, cuius collectionem Γεωπονικῶν Photius legit: *l* Imo hunc eſſe auctorem Γεωπονικῶν, quae hodienum leguntur, nonnulli autumant. At non immerito urget a varia doctrina non mediocriter inſtructus P. Needham, *m* obſtare librorum numerum, cum Photius duodecim tantum aſſignet, hodie vero viginti exſtent; et praeterea Vindanionium aut Vindanium, Anatolium et Berytium, ſigillatim laudari in Geoponicis. Adderem, Anatolium Berytio *n* eſſe nominatum, niſi, firmum inde argumentum haud poſſe colligi, ſuperius iam affirmaſſem. Immerito tamen Cornarius interpres, trium virorum nomina aſſerens, Valeſio vapulare mihi videtur. Neque plane evictum eſſe cenſeo, Anatolium illum praetorio praefectum, cuius laudes ibidem cumulavit, eſſe hunc Γεωπονικῶν ſcriptorem, cum ſolo hoc nitatur fundamento, quod ab oppido

(C) Phoe-

y Epiſt. 49. et 108. *z* Chronograph. p. 318. *a* Prolegom. editioni nitidiſſimae Cantabrig. 1704. f. 8. praefixa p. 19. *b* Γεωπονικῶν Lib. V. c. 45. *c* de R. R. Lib. I. c. 1. *d* Lib. I. c. I. *e* de Scriptor. Hiſt. Philoſ. Lib. II. c. 10. Conf. Iuſt. Lipſius Manuduct. ad Philoſ. Stoic. L. I. Diſſ. 12. *f* Lib. X. cap. 10. *g* Γεωπονικῶν L. X. c. 7. *h* L. IIII. cap. de Citreo. *i* Indic. Auctorum, qui in notis ad Plinium citantur. *k* Not. ad Ammiani Marcellini Lib. XVIIII. c. 11. p. 173. *l* Biblioth. cod. 163. Elogium, quod ei praeclarum tribuit, libens adſcripſiſſem, niſi epiſtolam me ſcribere cogitarem. *m* loc. cit. pag. 2. 3. *n* Lib. XIII. c. 4. et 12.

Phoeniciae Beryto, unde oriundus, cognomen Berytii tulerit. Quidquid huius ſit, dubia certe ſunt omnia, quae de eo afferuntur, neque, cum plures hoc nomine diverſis temporibus floruerint, certo conſtat, cui laus conſcripti operis ruſtici debeatur. In Collectione Caſſiani Baſſi (huic enim, non Conſtantino Porphyrogenneto vindicatur) Capita XVIIII. nomen Anatolii praeſcriptum habent; e quibus unum *o* agit de Citrii plantatione a talea et clava ſeu incurvato ramo. Talea communiter eligitur nulla inaequalitate deformata: at ille tradit, nodoſas citri taleas, quae incurvari nequeunt, a quibusdam inverſas plantari, craſſiore parte ſurſum ſpectante, tenui in terram defixa, et cinere cucumerariorum ſimul iniecto.

Atque hos habui, quos e Graecorum gente inter ſcriptores de Citri cultura numerare potui. A Graecis has delicias accepiſſe cenſentur Itali; ſed ſerius iſtaec arbor in amoeniſſimis Italiae hortis conſeri coepit; etſi certum definiri tempus migrationis et adventus nequeat. Illud tamen indubium videtur, haud diu ante Palladii aetatem primum ibi cultam eſſe, quem ideo in partes advocant; aſt eo fortaſſe invito. Hanc enim ſibi ipſe laudem non vindicat, qui id neutiquam tacuiſſet, cum illas in fundis ſuis, ſitis in Sardinia et territorio Neapolitano, optime ali glorietur. Rectius omnino Claudii Caeſaris temporibus citrum in Italia nec dum fuiſſe cultam, ex eo probari poſſe credit Bodaeus a Stapel, *p* quod Columella, quomodo ſerenda atque tractanda ſit, memoriae non prodiderit. Qui et intrepide aſſerit, citria ne in ipſius quidem Auguſti Imperatoris, ac totius terrarum Domini, hortis creviſſe. Multo luculentius eſt teſtimonium Plinii, ſcribentis: *q Tentavere gentes transferre ad ſeſe* (Malum Aſſyriam) *propter remedii praeſtantiam fictilibus in vaſis, dato per cavernas radicibus ſpiramento: qualiter omnia tranſitura longius ſeri arctiſſime transferrique meminiſſe conveniet, ut ſemel quaeque dicantur. Sed niſi apud Medos, et in Perſide, naſci noluit.* Quae ideo addere libuit, ut conſtaret, quare citri culturam omiſerint diligentiſſimi doctiſſimique Rei Ruſticae Scriptores, Varro, Cato et Columella. Atque hinc eſt, quod parcius de ea, tanquam Italiae minus familiari, loquatur Maro. *r* Nihilominus P. VIRGILIVM MARONEM, quem acerrimi iudicii auctorem in deliciis habuit Auguſtus, indictum hic praetermittere, nefas foret, niſi innumeros iam laudum ſuarum praecones *s* eſſet nactus. Neque eſt, ut Vati Mantuano dicta hic repetam; utpote quae ſplendido Tuo Operi *t* inſerenda curaſti. Pari de cauſſa et C. PLINIVM SECVNDVM nomine tantum memorabo, maxime cum certiora non ediſſeruerit de genere arboris, (quam unedonis folia habere dixit,) paucaque e Graecis hauſta ſuam in Hiſtoriam traduxerit. *u* Crebram eius alias mentionem iniicit, viresque medicas ſedulo alibi enarrat.

Nemo ergo ante Palladium e Romanis quisquam culturam in literas miſit. Nomen ei erat PALLADIVS RVTILIVS TAVRVS (vel SCAVRVS) AEMILIANVS, *x* Romanus, aut ſecundum alios Neapolitanus, vir illuſtris, literisque Graecis probe excultus. Vixit iis temporibus, cum Latinae linguae ſplendor iam valde eſſet imminutus, Apuleio iunior, cuius mentionem iniicit. Vnde et Latinitas eius minus culta cenſetur in *libris XIIII. de Re Ruſtica*, quorum ultimum carmine elegiaco pertexuit. Neque tamen ideo minus gratus nobis eſſe poterit; praeſertim quia uſu comperta, et reliquis omnibus, Graecis pariter ac Latinis, (qui ipſum aetate praeverterunt,) pleniora magisque ſolidiora de Citro luculenter et perſpicue tradidit. Tanti itaque,

o Lib. X. c. 8. *p* ad Theophraſti Hiſt. Plant. Lib. IIII. c. 4. p. 339. b. *q* Hiſt. Nat. Lib. XII. cap. 3. *r* Georg. Lib. II. v. 126. ſeqq. *s* Vid. Io. Frid. Reinhardi Theatr. Prudentiae eleg. p. 127. ſq. Th. Crenii Animadv. Philol. et Hiſt. P. IIII. c. 1. §. 1. ubi editorum merita potiſſimum recenſentur *t* Lib. II. c. 2. *u* vid. b. Dan. Guil. Molleri diſſert. de Plinio, Altorfi. habita. Add. Io. A. Fabricii Bibl. Lat. Lib. II. c. 13. p. 401. ſeq. et in App. p. 185. *x* Fabricius l. cit. Lib. III. c. 4. pag. 533. ſqq.

nec Tibi, VOLCAMERE HONORATISSIME, ingratum erit, ex eo quoque percepiſſe rem Tibi cognitiſſimam. Iis enim, quae dixiſti, amice conſentit, fidemque facit, ut ſcias, vetera cum recentiorum inventis mire concordare. Commendat autem quadruplicem ſerendi modum, ſemine, ramo, talea, clava. E ſemine germinabunt, ſi terrae, in duos pedes foſſae, cineres admiſceantur, et in palmari ſcrobe tria grana, deorſum verſo acumine iuncta, conſtituantur. Ea vero aquae tepidae beneficio quotidie recreanda, areaque ab herba et lolio purganda, quam breviorem fieri praecipit, quo utrinque per canales aqua diſcurrat. Enata inde planta poſt triennium transferenda. De ramo mergendo notat, eum non ultra ſesquipedem eſſe deprimendum, ob putredinis periculum. Rationem ſerendi per clavas, veluti praeſtantiſſimam, omnibus praefert. Clavam vult eſſe manubrii craſſitudine, quae cubiti longitudinem non excedat, nodis aculeisque purgatam et undique laevigatam, ſed ita, ut gemma illaeſa ſervetur, utpote ex qua arbor provenire debeat. Diligentiores utramque clavae, in ſolo verſo deprimendae, partem extimam fimo bubulo oblinebant, et alga vel argilla ſubacta revinciebant, ne vel ab aeſtu vel algore adurantur. Inde clavam inter et taleam id eſſe diſcriminis infert, quod haec gracilior breviorque duobus palmis ſupra terram emineat; illa vero omnis obruatur. Tempus, quo ſint depangendae talea et clava, autumnale in regionibus calidis eſſe commodum, ſcribit, conſentiente Florentino, qui ab auctumno usque ad aequinoctium vernum plantandum eſſe citrium ſuadet. At in frigidioribus media aeſtate, Iulio et Auguſto id plantandi negotium ſuſcipi debere, idem Rutilius comperit. Amplius et mitigationis artificium docuit, inſitionis ope peragendum, et quidem trunco fiſſo circa ipſas radices, non ſub cortice, quam inſitionem per carnem et Florentinus inoculationi praefert, quod citrium, ſi inoculetur, ſterile futurum exiſtimat. Sed in hoc abeunt coloni noſtrates, cum res ipſa doceat, minori cum periculo inſitionem ſub cortice et inoculationem eſſe coniunctam, quam alteram illam a Florentio Palladioque approbatam. Porro ſurculum inſititium coaleſcere tradit cum pyro et moro: id quod et alibi *y* repetit, canens:

Nec non et citrii patiuntur mutua rami
pignora, quae gravido cortice morus alit.
Pomaque paſturi blando redolentia ſucco
armatis mutant ſpicula nota pyris.

Operae pretium foret, huius in morum inſerendi generis periculum feciſſe, cum et Florentinus citria inde rubra fieri perhibeat, et nigra, ſi mali ramus, μηλέας κλάδος citro inſeratur; quo reſciſceremus, num a moro nigra coloris aliqua mutatio in pomo veniat, nec ne? quemadmodum ex inſitione citri in malum punicam in diverſam abiit formam fructus rubicundo colore tinctus, eodem Florentino teſte. Inde ergo Nic. Monardo *z* aurantia enata videntur. Haec ideo monui, quo, ſi experientia addiceret, τῷ πάνυ Cl. Salmaſio ſatisfieret, qui non arte factitiam, ſed nativam hanc vult *a* ſpeciem ſuapte natura veniſſe. *Dicerent ſaltem*, inquit, *cuius aut in quam arborem inſitione de citreis aurantia putarint proceſſiſſe.* Experiri iſtaec ſi placeret, PRAESTANTISSIME VOLCAMERE, novo orbem eruditum beneficio Tibi devincires, maxime ſi, quae experientia didiceris, altero Operis Tui Tomo, quem proxime exſpectamus, referre liberet, et cum omnibus pariter communicare. Quae igitur mitis inſitione arbor provenit, terram amare ſcribit Rutilius rarioris naturae, calida loca, ſed irrigua. Vnde et maritimis maxime gaudet, quibus humor exundat. Quod ſi in regione frigida, eius indoli plane inimica, nutrienda eſt, monet, parietibus

(C) 2 obiectis

y Lib. XIIII. *z* Epiſt. de Citreis. Vid. paulo poſt. *a* Exercitt. Plin. in Solinum p. 672.

obiectis auram ab illa rigidiorem eſſe arcendam, ipſamque in loco aprico atque meridiano ſtatuendam: hieme autem ſtramineo tecto ab aeris inclementia protegendam. Quae hiemandi ratio nec Florentino *b* fuit incognita, ſcribenti: *Iuxta muros citrium plantandum eſt, ut munimentum habeat adverſus ſeptentrionales partes. Circumdatur per hiemem ſtoreis, et maxime cucurbitarum ſarmentis.* Cucurbitis autem, ut hoc addam, naturalem quandam ineſſe credebant inimicitiam, ut citreum a frigore illaeſum tutentur. Quare et Palladius in cucurbitae vicinia recte ſtatui, uterque vero cinere e lignoſiori cucurbitarum vite et ſarmentis uſto, radicibusque adſperſo, utiliter citrum ali affirmant. An terra crebro ſit fodienda, ſententiis diſcrepant coloni noſtrates: Palladius illis accedit, qui ab aſſidua foſſione pomorum praeſtantiorum eſſe proventum ſtatuunt. Recte. Terram enim amat non argilloſam et craſſam, ſed raram ac levem. At putationis praeceptum, quod ponit, niſi quae arida ſunt, rariſſime debere abſcindi, experientiae adverſatur. Denique duplicem docet rationem, qua fructibus dulcis ſapor inducatur: altera eſt, ut ſemina per triduum aqua mulſa vel ovillo lacte macerentur: at praeter primitias non alia poma dulcia ita obtinebimus; cum ſua arbori indoles auſtera brevi redeat, vimque haec illam medicatam ſuperet planeque expellat. Altera, ut trunco ad medietatem usque terebra ab imo oblique perforato, id quod menſe Februario fieri iubet, ſuccus acidior eliciatur, deducatur. Atque iſtum humorem fluere permittunt, donec poma formentur: tum demum obſtruitur vulnus limo. Potius tamen ego cum recentioribus ſtercus caprinum urina humana *c* diſſolutum admixta veteris vini faece, huius uſui deſtinarem, radicesque iſtoc laetamine frequenter irrigarem. Imo novo varii generis inſitionum adulterio, cicures mitioresque fieri cogantur.

En! ut veteres agricolae diligentia colendique peritia parum aut nihil concedant colonis noſtri temporis. Stupent ſpectatores ambulacra, e vivis arborum ramis ſtructa, quod opus topiarium vocant; mirantur induſtriam, ingenii felicitatem praedicant eius, qui primus parietes virgultis, quaſi aulaeis, ornare docuit. *Sed haec exigua ſunt* d *prae iis, quae antiquitus Romae fieri ſolebant; nam quis unquam aves, animalia atque elegantes picturas cupreſſi arbuſculis imitari tentavit, ut veteres Romani?* In domicilio, pro citreis alendis exſtructo, et in porticibus eas collocari, multis hodie res mira videtur. At deſinent mirari legentes apud Florentinum, nihil horum veteribus inuſitatum fuiſſe. *Quidam divites et deliciis gaudentes*, ſcribit, *ſub porticus ad ſolem ſpectantes iuxta murum arbores citrias plantant, et aqua larga rigant: atque aeſtate quidem apertas eſſe porticus ſinunt, plantas ſole foveri ac calefieri permittentes; hieme vero accedente, plantas tegunt.* Quaeris, quando vixerit iſte FLORENTINVS, quem alii FLORENTIVM appellant? Apuleio non multo iunior eſt, quem floruiſſe circa A.D.218. ſub Macrino Imperatore, evincere conatur Cl. Needham, inductus Africani auctoritate, qui Florentini Librum XI. Georgicorum laudat, *e* aſſerentis, ſe vidiſſe oleam viti inſertam apud Marium Maximum, qui a Macrino, teſte Dione Caſſio, Praefectura Vrbis per id tempus fuit ornatus. An hic idem ille Marius Maximus, qui Vitas Caeſarum aliquot condidit, Scriptoribus Hiſtoriae Auguſtae toties memoratus, *f* non ultra Severum Alexandrum progreſſus? Temporis ratio non repugnat. At qui Diophanes *g* eius meminiſſe potuerit, non video, ſi quidem Diophanes is eſt in Geo-

b Γεωπονικῶν Lib. X. c. 7. *c* Vid. uberius agentem hac de Re Pontanum de Hortis Heſper. L. II. Sect. 7. de Citreorum ſapore duplici, acri et dulci. Athan. Kircherum in Phyſiol. Experiment. Sect. V. exper. XI. p. 52. *d* Petrus Bellonius de Neglecta Cultura Stirpium, problem. 14. p. 231. *e* Γεωπον. L. IX. c. 14. *f* De hoc eiusque ſcriptis vid. elegantiſſimus G. I. Voſſius de Hiſt. Lat. L. II. c. 3. *g* vid. ſupra in Sotione.

Geoponicis laudatus, qui Dionyſium utiliter ad ſex libros redegit, Regique Deiotaro miſit. Igitur aut longe iunior Diophanes erit, aut verum eſt, quod ſuperius iam ſuſpicabar, Baſſum multa de ſuo addidiſſe ex aliis. Ceterum in Iuliani hiſtoria notus eſt Florentius, Nigriniani filius, *h* Praefectus Praetorio Galliarum, et, Anatolio mortuo, per Illyricum, cum Tauro Conſul factus ampliſſimi ſuſcepit inſignia magiſtratus A.C. 361. *i* Spondere tamen nolim, hunc agriculturae usque adeo ſtudioſum fuiſſe, ut in literas de ea quidquam retulerit. Quae terra noſtrum genuerit, *Tros Rutulus-ve fuat,* dicere nequeo. Nomen tamen cum Romanum ſit, Latinis eum ſubiicere volui. De hoc clariſſimum Germaniae ſidus, Ioachimus Camerarius, *k* habet ſequentia: *Florentius ſeu Florentinus, ſcripſit de Plantatione et Agricultura. Citatur in Geoponicis Conſtantino adſcriptis; et dicitur haberi in Bibliotheca Vaticana.* In Geoponicorum libris capita LXXXI ab eo habemus, et praeterea ibidem Democrito, *l* Diophani, *m* et Leontino *n* citatus dicitur. Caput de Citrio quid contineat, intelligis ex illis, quae ad Palladii illuſtrationem inde hauſimus. Hoc unum ex eo monendum ſupereſt, citri fructus variis ſe formis induere, ſi priusquam ad iuſtam excreverint magnitudinem, in vas fictile aut vitreum, foramine ob perſpirationem neceſſariam pertuſo, recondantur; quo augmenta capientes ad vaſculi typum interne figuratum formentur. Videtur enim fructus, inquit, quaſi certamine inito, hoc induſtrie praeſtare. Idem hoc artificium tanti putavit Iulius Africanus, ut pluribus verbis deſcriberet, atque modum, quo in humanae faciei ſpeciem immutentur citria, doceret. Ex his habent Io. Iovianus Pontanus, *o* Io. Baptiſta Porta, *p* Antonius Mizaldus, *q* Athan. Kircherus, *r* aliique, qui inſuetis eorum formis delectantur. At cum nativa facies magis placeat, quam fuco illita; deformationes hae nullius plane uſus ſunt cenſendae, utpote quae voluptatem nullam aut exiguam praebeant.

Antiquos ex omni gente Scriptores de Citro, quorum quidem nobis ſuperſunt laciniae, e ſitu antiquitatis omni ſtudio eruere hucusque tentavi. Neque facile quisquam alius invenietur, qui in hoc argumento diligens fuerit. Solinum enim et Medicos veteres tam Graecos quam Latinos, Aëtium, Aeginetam, Celſum et reliquos, quos illius arboris ac pomi neutiquam dememiniſſe probe ſcio, hic prudens praeterire volui; quandoquidem eos ſcriptores recenſere in me recepi, qui culturae rationem habentes de ea quidquam in literas retulerunt. Facile itaque video, aliud me acturum, ſi Medicorum catalogum texere aut ſcrinia compilare aggrederer. Eiusdem conſilii atque propoſiti memor, Arabes quoque omitto, utpote quos itidem uſus potius fructu ſperandus, quam cultura iuvit. Avicennae itaque ſeu Abvali Ibn-Tſina cum a Ferrario crebram mentionem fieri videas; memineris, medicum illum eſſe, et quae ad rem medicam faciunt, ſolum tradidiſſe. *s* Hoc loco autem temperare mihi nequeo, quin eiusdem ordinis Arabem ſcriptorem interſeram. Eſt ille BEITHA'R, *t* Dhiaeddin Abdalláh Ben Ahmed, Ben Mohammed, notiori nomine dictus Ben Beithar, Ibn-Beithar ſeu EMBEITHAR et Embitar. Patriam habuiſſe dicitur Malacam, celeberrimam Hiſpaniae urbem, portus commoditate inſtructam; unde Malakienſis aut

(D) Mala-

h Ammianus Marcellinus L.XXII.c.3. L.XXI.c.6. et alibi. *i* His Coſſ. diem functus Conſtantius Aug. Mopſucrenas in finibus Ciliciae Phoeniciae provinciae III Non. Novembr. et introivit Iulianus Aug. Conſtantinopolim die III Idus Decembres. Vid. Faſti Idatiani a Ph. Labbaeo editi. T.XI. Ant. Rom. p. 263. *k* in Catal. Auctorum R. R. *l* L.X.c.51. *m* L.X.c.76. *n* L.X.c.4. *o* Heſper. L.II.c.1.p.152.b. edit. Florent. *p* Mag. Natur. Lib. III.c.18. *q* Arcan. Memorab. Cent. I. *r* Phyſ. Exper. Sect. V. exper. 8. p. 52. *s* Canonis Med. Lib. II. Tr. II. p. 53. edit. a Plembio procuratae Lovanii 1658. fol. *t* Arabicum hoc nomen ſignificat *Hippiatrum* ſive *Veterinarium*: ab alterutro horum vocabulo nomen Arabicum eſſe detortum, illuſtris Herbelotius nobis perſuadere conatur in Bibliotheca Orientali pag. 199. unde pleraque huc transtuli.

Malacenſis vocatur: atque hunc ibidem apud patrios Lares, confectis multis itineribus per Africam et Aſiam univerſam, denatum eſſe volunt A. Hegirae 594. ſive A.C. 1197. Alii in Africa natum Damaſci obiiſſe perhibent A. Hegirae 646, qui incidit in A.C. 1248. Ab eximia, qua pollebat, herbarum cognitione Aſcháb, hoc eſt Botanici, cognomen tulit. Ingens Opus, idque hoc in genere praeſtantiſſimum, iudice Io. Henr. Hottingero, *u* confecit, quatuor conſtans voluminibus. Titulus ei praefixus: *Giamé al adviát al mofredat;* in quo de Simplicibus Medicamentis, atque de plantis non modo, ſed et animalibus, lapidibus etc. ſeriem literarum ſecutus, egit, ac medicinas inde parandas fuſe deſcripſit. Ne quis erret, ſciendum, hunc eundem librum communiter ſub nomine *Ketab al mofredát*, quaſi dicas liber ſimplicium, laudari. *x* Aliud ab eo habetur opus: *Al-Mogni fi adviát al mofredát*, ubi de uſu ſimplicium capitibus XX commentatur. *y* Tertium latet in Bibliotheca Regia Pariſina n. 866: *Menafé al haivanát*, de Vtilitate ex animantibus arboribusque capienda. Sed Compendium hoc eſſe operis maioris, exiſtimat Herbelotius. Nec dubium eſt, Tractatum de Limonibus itidem nonniſi eiusdem particulam eſſe, etſi ſeparatim in bibliotheca hominis privati diligentiſſime cuſtoditum multos annos latuit; donec e tenebris protractum Andreas Bellunenſis ex Arabica in Latinam linguam convertit. *z* Nihil hic legas de cultura, nihil de varietate ſpecierum; nihil de arbore. Pomi vires, ut Medicum decet, minutatim expoſuit, corticis, granorum, ſucci vim diligenter manifeſtans; quibus item morbis utiliter medeatur, quae inde componantur medicamenta, ſubtiliter, more tunc uſitato examinans. Adverſarium habuit Ben Giazláh, qui libro emiſſo ſub tit. *Manhagealbeián*, eum impugnavit, plurimorumque errorum inſimulavit. Huic Apologiam oppoſuit, ſub titulo *Taalik*, eumque docte confutavit. Haec de Embitare dicenda habui; quae ſilentio premere nefas duxi. Excuſabis autem haec eo facilius, quod paucis nomine cognitus ſit iſte Arabs, nedum ut de Limonibus ſchediaſma viderint. Non tamen ulterius eiusdem generis Scriptoribus recenſendis moleſtiam Tibi creabo, unice intentus iis, qui ad rem propoſitam faciunt. His ergo inductus rationibus neque inter recentiores, ad quos mox progrediar, dicendi operam meam occupabit BAPTISTA FIERA, Mantuanus, per antiqua gente, quae ex Germania eo conceſſit, patre Paulo natus anno 1469. denatus 1538. cum ſua in Coena verſibus inſtructa *a* de Malorum Medicorum, Nerantiorum ac Limoniorum viribus tantum Medicis itidem egerit.

Ex iis ergo, quae adhuc de Scriptoribus Heſperidum antiquioribus protuli, ſatis ſuperque conſtare poteſt, veterum diligentiam non eſſe incuſandam. Strenuam enim huic quoque rei navarunt operam, viamque recentioribus ſtraverunt, quam ingreſſi rectius ſapere didicerunt. Facile autem eſt inventis aliquid addere. Qui vetera illa et recentiora inter ſe componere liberoque a praeconceptis opinionibus animo diiudi-

u in Biblioth. Orientali ſ. Smegmat. Orient. L. III. P. II. c. 2. p. 247. *x* Egregii huius libri bini quondam Codices, ſed mutili, exſtiterunt in Bibliotheca Laurentina Eſcurialienſi n. 132. 133. Hotting. l. c. append. p. 12. Plures hodienum reperiuntur in variis Bibliothecis Angliae et Hiberniae uti ex Catalogo Manuſcriptorum A. et H. intelligo. *y* Poſſidet hunc Codicem f. 4. Bibliotheca Publica Academiae Vpſalienſis ex dono Io. Gabr. Sparvenfeldii, uti eſt in Catalogo Centuriae librorum rariſſimorum, quem teſtem exſtare voluit grata Academia Vpſaliae 1706. f. 4. Invenitur quoque in Bibliotheca Magni Ducis Hetruriae voluminibus II in 4. teſte Herbelotio p. 597. Habuit et nonnulla huius auctoris MSa eximius Medicus Auguſtanus, vir profundae eruditionis, Georgius Hieronymus Velſchius, uti ex eius libris, auro contra carioribus, videre eſt. *z* Binis aut ternis plagulis conſtans, editus eſt Pariſis 1602. f. 4. *a* Coenam Fierae docto commentario illuſtratam edidit Patavii 1649. f. 4. Carolus Avantius, qui in praefatione vitam auctoris luculenter deſcripſit.

diiudicare voluerit, ingenue fateatur neceſſe eſt; illos his parum concedere, imo pleraque omnia iis accepta eſſe referenda, quae ſuperioris aevi homines tanquam inaudita ſunt venerati. Fortaſſe ingenii acies parum acuta fuiſſet multis, ac pauci eo usque in reconditam rerum variarum notitiam penetraſſent, niſi σφετεϱίζοντες ex illorum rivulis arva ſua irrigaſſent. Neque tamen id eo dictum videri velim, quaſi de cuiusquam meritis quidpiam detrahere auderem. Abſit. Imo potius et de recentioribus bene mereri inſtituam, neminique gravis hos quoque debita laude ornabo. Iniurius enim eſſem in noſtram hanc aetatem, ſi eſſe multa praeclare recens inventa, multa, quorum apud priſcos obſcura deprehenduntur veſtigia, comtius expolita, ita ut ad uſum ſint aptiora, pernegarem. Maneat ergo utrosque laus ſua; et ut eo rectius cognoſcas, quam diligenter a binis proxime elapſis ſaeculis de Heſperidibus quoque mereri inſtituerint viri ex omni gente celeberrimi, Italos primo loco in ſcenam producam; tum quia primi fuerunt, qui culturam a maioribus veluti per manus traditam acceperunt, acceptamque uberius excoluerunt; tum quia ante omnes de citris et aurantiis commentari coeperunt.

Vindicat ſibi hanc laudem, quem primo iam loco nuncupo, IOANNES IOVIANVS PONTANVS, qui glorioſe, at vere tamen, canit: *Nullique loquar memorata priorum.* Natus is eſt Cereti in Vmbria, atque Neapoli in maxima dignatione, regii ſcrinii Magiſter, aetatis Anno LXXVIII, Chriſti CIϽ IϽV denatus. *b* Suavi is carmine hexametro, quale Nympham comtam decet, cecinit omnem culturam arboris huius; et, ne quidquam omiſiſſe videri poſſet, varias quoque illas deformationes, pluraque artificia curioſa magis quam utilia, verſu decore expreſſit. *Binos Heſperidibus libros*, non *ſex*, uti Simlerus habet, impendit, quorum primus, poſt praefationem ad Franciſcum Gonzagam, continet, Qualis ſit arbor Citrius, et unde oriunda. II. De Converſione Adonidis in Citrium. III. de Apportatione Citrii in Italiam. IIII. Quae loca ſint apta ſerendis Citriis. V. Quae loca ſint evitanda, et quibus utendum remediis. VI. Fabulam de Citriorum reparatione, novaque apportatione in Italiam e Media regione. VII. Quod tempus aptum ſit ſerendis Citreis. VIII. Quasdam regiones non alere citrios propter frigus. VIIII. de Altitudine ſcrobium. X. Serendas eſſe Citrios nativa cum terra, et palis fulciendas. XI. Ferro coërcendam eſſe luxuriem. XII. de Propaginibus procurandis. XIII. de Seminio faciendo et colendo. XIIII. Evagationem quandam poëticam. XV. Fructus Citriorum alios dulces eſſe, alios acrimonioſos. XVI. Quo modo Citria fiant craſſiora. XVII. Quo modo Citria toto anno inſideant in arbore ſua, XVIII. de Ratione decoris hortenſis. XVIIII. Poſt rigidas tempeſtates non eſſe amputandas. XX. de diſpoſitione Citriorum. XXI. de Opere Topiario. XXII. Arbores Citrios diutius vivere. Liber II. poſt praefationem agit I. de Citro et eius cultu. II. Quo differat Citrius a Citrio. III. de Limonibus, et earum cultu. IIII. de Inſitione. V. de laudibus induſtriae humanae. VI. de Citriorum ſapore duplici, acri ac dulci. VII. de Vtilitate horum pomorum. Leguntur hi libri in plerisque Poëmatum editionibus, *c* digni omnino, qui ab omnibus legantur. Quantus

b Vid. Lil. Greg. Gyraldus Dial. I. de Poëtis ſuorum temp. T. II. Opp. p. 528. Simlerus in Epitome Bibliothecae Conr. Geſneri, p. 102. Scaliger de Re Poët. L. VI. c. 4. p. 744. ſqq. Voſſius de Hiſt. Lat. L. III. c. 8. Dan. G. Morhorf. Polyhiſt. T. I. L. VII. c. 3. p. 380. Guil. Cave Append. ad Script. Eccleſ. Hiſt Liter. p. 145. ubi tamen ipſe et quem ſecutus eſt, Simlerus, in anno emortuali ſunt corrigendi et pro 1503 reponendum 1505, M. Zuer. Boxhornii Monum. illuſtrium Virorum et Elogia, Amſtel. 1638. fol. edita; ubi non Ioviani ſolum Elogium et monumentum p. 80. 81. viſitur, ſed et omnium agnatorum. *c* Prodierunt in folio ſine anno et loco impreſſionis; ſed Heſperides hic deſunt. Poſtea excuſa ſunt Venetiis ab Aldo a. 1513. et 1533. Florentiae a Iunta a 1513. f. 8. Argentinae a 1515. ac. ſaepius.

fuerit ille vir, nemo melius dixit Calcagnino, qui ad Vraniam eius ſeu de Stellis Libros quinque alludens, Maroni comparat: *d*

Creditus occubuiſſe Maro: ſeceſſerat olim,
ut caeli motus labentiaque aſtra videret;
mox rediens ad nos Ioviani nomine, terris
quid felix proſit, quid noxia ſtella minetur,
expoſuit, noſtrisque oculis ſubſtravit Olympum.
Scilicet hoc deerat; pecudes, Styga, praelia, turmas
ſcripſerat: extremum votis fuit aureus axis.

Quem nunc Pontano rectius iungerem, quam praeconem ipſius, CAELIVM CALCAGNINVM, Ferrarienſem, cuius laudes eximias cantavit omnis eruditionis princeps, magnus ille Scaliger, egregio hoc carmine:

Iudicium, ingenium, pietas, facundia, cenſus,
nobilitas, gravitas, gratia, forma, lepor;
ſi quid praeterea mortalem rarius orbem
concelebrat, ſi quid ſidera magna colunt,
Cuncta fui. *e*

Habetur inter Opera eius *f commentatio de Citrio, Cedro et Citro*: ſed in eo opuſculo vapulat Ferrario, *g* quod has minus recte diſtinxerit ſpecies. *Medicam vero arborem*, ſcribit, *citrum cedrumque ſcriptores complures vocant. Vt merito mirari habeam Caelium Calcagninum et Iovianum Pontanum, viros alioqui accurata ſcriptione memorandos. Quippe a Calcagnino arbor Medica ſic Citrius appellatur, ut non a cedro tantum, verum etiam a citrio, tanquam ſolam arborem ligneis maculis pretioſam ſignificante, diſtinguatur: cum tamen (ſicut ante demonſtravi) pro Medica ſaepius arbore id nominis uſurpetur.* Ipſum opuſculum videre mihi nondum contigit. Ignoſces igitur, VOLCAMERE EXIMIE, ſi praeter ea, quae in fronte gerit, nihil expromere valeo. *h*

Non horum tantum, ſed ceterorum, qui ſequentibus temporibus in eodem argumento ſtili iudiciique acumen exercuerunt, diligentiam multum poſt ſe reliquit IOANNES BAPTISTA FERRARIVS, Senenſis e Societate Ieſu, editis *Heſperidum, ſive de Malorum aureorum cultura et uſu, Libris IIII.* abſolutiſſimis, Romae 1646. fol. Praeclare omnino meruit hoc opere, communi omnium conſenſu. Scribendi enim genere florido, quale ad poëticam dignitatem accedens hoc argumentum decebat, Heſperidum fabulam, antiqua marmora ac numos, arboris pomique curam, ſpecies bene multas, quot ante ipſum nemini cognitae aut viſae, uſum, verbo, omnia, quae dici poterant, accurate complexus, cunctamque adeo ſtirpis hiſtoriam eſt exſecutus, et ne quid operi deeſſe videretur, figuris aeri elegantiſſime inciſis ornari curavit, quo animum oculosque paſceret Lector curioſus. Hunc unum reliqui, qui poſt ipſum ſcripſerunt, omnes ducem ſibi delegerunt, veſtigiis eiusdem ubique inſiſtentes; quod operis praeſtantiam arguit, nec mediocriter commendat. Sed de eo plura dicere non attinet, quum Tibi, VIR PRAESTANTISSIME, horum nihil non poſſit eſſe

d T.I. Delit. Poët. Ital. p. 541. 542. *e* Conf. Gyrald. l. cit. p. 539. Non ita per omnia bene de eo ſentit P. Iovius Elog. n. 125. M. Anton. Maioragius tamen et Iac. Griſolus, qui Ciceronem ab eius obtrectationibus vindicarunt, magnam vigere ob miram in omni diſciplina eruditionem eius nominis auctoritatem confitentur. *f* quae Baſileae ſunt excuſa 1544. *g* Heſper. L. I. c. 7. p. 37. *h* Aetate Calcagninum proxime contingit Thomas Bovius, Veronenſis, de quo, num in hunc cenſum venire mereatur, ipſe fere dubito, ideo quod more ſolum põetico breve carmen hexametrum, verſibus 166. conſtans, inſcriptum *Adonis ſive Citrus*, compoſuerit. Cum tamen in eo et utilitates Citri et ſumma culturae capita ſtrictim annotaverit, nominaſſe eum ſufficiat. Prodierunt eius Horifugia ſive Luſus Venetiis 1567. f. 8. plag. 3½.

eſſe cognitiſſimum, qui aſſidua illud manu frequenter verſaris, optimus iſtarum rerum aeſtimator. Scripſit ſedulus hic Florae ac Pomonae cultor iſtud Opus aetate iam provectior, horis, quibus a munere docendi Linguam ſacram, quo per plures annos in Collegio Romano functus eſt, vacatio dabatur. *i* Multo enim rerum uſu opus erat, antequam tantum opus animo conciperet, quale vix alius poſt eum tentavit; etſi plures in quibuſdam ſpeciebus ſigillatim deſcribendis ſtudium haud illaudabile collocarint.

Horum e numero mihi innotuit PETRVS NATVS, Medicus Florentinus, in Piſana Academia Simplicium Medicamentorum Profeſſor Ordinarius, nec non Muſeo et Horto Medico Praefectus; cuius viri laudes certatim dixerunt cives eius Itali. Hiſtoriam is plantarum in hortis Florentinis reperiundarum ſcribere animo ſecum ſtatuerat; eaque de cauſſa potiores earum imagines aeri iam inſculptas habebat. Explorare itaque prius voluit varia hominum de negotio ſuſcepto iudicia, adeoque praemiſit *Phytologicam Obſervationem de Malo Limonia citrata aurantia*, vulgo *la Bizzaria*, Florentiae 1674 f. 4t. Inquiſivit hic in originis cauſſas, et ut inſitionis ope propagata nunc ubique terrarum floreat; uti ipſe teſtatur in dedicatione opuſculi ad Laurentium Panciatichi, in cuius ſuburbano ea, quam deſcribit, nata erat. *k* Miraculi inſtar eſt, humana arte id poſſe effectum dari, ut unus idemque fructus ex una eademque arbore dependens, de plurium arborum indole participet. Etenim

ipſa quidem, ſed non eadem, quin ipſa nec ipſa eſt.

At vileſcit paene artificium, deſinuntque mirari homines, quod ſaepius vident. Viderunt autem non ſimplici vice Malum Citreo-Auriacam, uti eſt in Henrici Oldenburgii Actis Philoſophicis Societatis Regiae in Anglia; *l* et in Ephemeridibus Naturae Curioſorum. *m* Dedit et Norica Tibi Nympha hortenſis, Tuo in viridario, oculorum delicio, enata eiusmodi poma, quae gratum omnino ſpectaculum in Heſperidibus Tuis Norimbergenſibus, oculis ſubiicere Lectorum verborumque iis lenocinium addere, nullus dubitaſti. *n* Eſt tamen eritque hoc artis complementum, ac mangonii veluti terminus, ultra quem longius tendere qui velit, videatur ex mundi huius interitu novum procreare velle. Sed ad ſcriptores redeo.

Commode hic in memoriam revoco mihi, Vlyſſe Homerico non minorem VLYSSEM ALDROVANDVM, Patricium Bononienſem, quem iam antea nominare

(E) debuiſſem.

i Reliqua eius Opera non minus praeclara recenſent Ph. Alegambe Bibl. Scriptorum S.I. p. 411. et Leo Allatius in Apibus Vrbanis p. 210. ed. Hamburg. *k* Conf. Greg. Leti nell' Italia regnante Part. III. L. IIII. p. 413. ſeqq. In G. A. Merklini Lindenio Renovato p. 901. libri titulus male exhibetur, *de Malo Limoneo, Citreo, Aurantio.* Laudatus iam Greg. Leti loc. cit. L. II p. 183. refert Laurentium Legatum, Cremonenſem, Medicum et Graecae Humanitatis Profeſſorem Bononienſem, inter iuvenilium ſtudiorum Specimina, Bononiae 1667 f. 4. edita, exhibuiſſe *Chryſomeleida*, ſive *Aureorum Malorum Hiſtoriam mythice deſcriptam, ad Ioſephum Cripſum.* Vir magnus erat Legatus, qui praeter alia bene multa eruditionis ſolidae monumenta, Coſpianum Muſeum, appendicis loco ad Muſeum Aldrovandi additum, doctiſſime illuſtravit; unde et hoc poemation reſpondere famae viri ſperamus: nondum enim videre illud contigit. *l* Menſ. Novembr. 1667. n. 8. p. 449. edit. Lipſ. *m* Dec. II. A. II. Obſ. 12. Deſcripſit hoc pomum Aurantium Citratum digniſſimus Academiae Leopoldino-Carolinae Praeſes, illuſtris Lucas Schroekius, L. F. Vir omni laude maior; qui ibidem Obſ. XI. monſtroſum, nec tamen viſu ingratum pomum citrium oculis curioſorum ſubiecit; quale Aurantium Tuis quoque in Heſperid. L. IIII. cap. 21. p. 205 delineare dignatus es. Non ingratum id ſpectaculum plerisque videtur, qui a Pontani rationibus abeunt, Heſper. Lib. II. p. m. 153. canentis:

Quid moneam, ne te capiat tam indigna cupido
hortenſis monſtri caelatam implere tabellam?
Ah procul infamemque notam, atque averte pudendum
dedecus. En formoſus adeſt chorus.

n Lib. III. c. 37. p. 171.

debuiſſem. Is enim *o* et OVIDIVS MONTALBANVS, Bononienſis Profeſſor emeritus, qui verba rebus commodavit, ſummo iure hic commemorandi: ille praeſertim, qui rerum naturalium cognitione flagrans, eas non tantum undique ſtudioſe conquiſitas accurata diligentia diſpoſuit, ſed et editis bene multis voluminibus, nec labori nec ſumtibus parcens, deſcriptas aere calamoque exhibuit. Maximi iudicii et multarum literarum vir, Dan. Georg. Morhofius *p* Aldrovandum quendam in ſcribendis libris Herculem fuiſſe iudicat: nullum enim naturalis Philoſophiae caput eſt, quod non Commentario proſecutus fuerit: neque id ſtrictim ac breviter, ſed copioſe. Mali certe Medicae hiſtoriam uberrimam, plurimis iconibus in tabulas relatis, dedit, et quicquid de nomine, multiplici genere, patria, cultura, monſtris, uſu vario, dici potuit, Montalbanus ſedula ſcriptione illuſtravit, neque fabulas, myſtica, moralia, ſymbola, numiſmata, ſtatuas, indicta praeteriit. *q* Ex merito igitur huic poſt Pontanum et Ferrarium tertias defero partes, cum non ab alio, quem ſciam ex Italorum gente, deſcriptionem habeamus ſolidiorem, magisque perfectam; adeo ut, qui Triumviros hoſce legerit, reliquis facile carere poſſe cenſeam. Meretur, ut elogium, ab Vrbano VIII. ei dictum, et hic legatur:

Multiplices rerum formas, quas pontus et aether
exhibet, et quicquid promit et abdit humus,
mens haurit, ſpectant oculi, dum cuncta ſagaci,
ALDROBRANDE, tuus digerit arte liber.
Miratur proprios ſolers induſtria foetus,
quamque tulit moli ſe negat eſſe parem.
Obſtupet ipſa ſimul rerum fecunda creatrix,
et cupit eſſe ſuum, quod fuit artis opus.

Aldrovando comitem do AVGVSTINVM MANDIROLAM, Doctorem Theologum et S. Franciſci regulae Minoritarum deditum, qui anno ſuperioris ſaeculi octavo et quinquageſimo publicavit *Manuale de' Giardinieri*, *r* egregie laudatum Io. Sigism. Elsholzio. *s* Vnde et noſtri homines in linguam vernaculam convertere, ſub titulo **des Italiäniſchen Blumen- und Pomerantzen-Gartens.** Integrum librum tertium Acruminibus dicavit, et quae, per triginta annos ipſe vidit, fideliſſime inſeruit, totumque hoc negotium multa cum laude peregit. Geſtas idcirco et TV, VOLCAMERE OPTIME, eum in oculis et manibus, eius conſilio non ſimplici vice commode uſus.

Vltimum nunc inter Italos locum occupet IOSEPHVS LANZONVS, Medicus Ferrarienſis primarius et Academicus Curioſus, qui *Citrologiam* ſeu *Curioſam*, ut vocat, *Citri deſcriptionem* dedit, *t* in qua, uti apparet, vires potiſſimum Medicas, quas variis in morbis diſcutiendis praeſtat utiles, ſcriptis collectisque undique medicamentorum formulis declarare ipſi animus fuit. Parcior itaque eſt in arboris deſcriptione, patria ac differentiis aſſignandis. Quod ſingulare obſervaverim, illud eſt, duas eſſe citri ſpecies mirabiles, quarum altera florum honore decora, ſterilis tamen ſit, cum illos pomum nunquam ſequatur: altera fruges edat, ſed flores nullos praemittat. Vocat in partes Plinium atque Matthiolum; in quibus iterum inſpectis nihil tale inveni; ut vero diligentius inquirerem, iam non vacat. Crederem celeberrimum Auctorem, cum ea ſcriberet, in illam Citri ſpeciem, quam Graeci θύαν appellant, oculos

o Vid. Iſaacii Bullartii l'Academie des Sciences et des Arts T. II. L. II. p. 109. et Io. Imperialis Muſeum Hiſtor. p. 144. ſqq. ed. Hamb. ubi et ſcriptorum vaſtum catalogum reperies. *p* Polyhiſt. T. II. Lib. II. c. 2. *q* Habemus haec omnia in eius Dendrologia Lib. II. Tr. II. cap. 4. a p. 481—534. *r* Maceratae 1658. f. 12. recuſum Venetiis 1703. f. 12. *s* **Neu-angelegter Garten-Bau** / L. IIII. c. 8. p. 247. *t* Ferrariae a. 1690. f. 12.

oculos conieciſſe, niſi hanc ipſe ſtatim ſubiungeret. Lanzoni itaque fide haec referre volui.

Atque hi potiores ſunt Itali, qui aurea mala ſparſerunt. Ab illis in plurimas Europae regiones migrarunt, et primo quidem in Hiſpaniam, quae e terrae viſceribus effoſſum, et *oblatum ſacris natalibus aurum*, cum auro vegetabili permutavit, ubi nunc nemora et campos ornat. Invenit itaque malus haec non cultores ſolum Hiſpanos, ſed et laudatores. Ex his unicum, eumque ſedulum ac valde eruditum naturae indagatorem, NICOLAVM MONARDVM, Hiſpalenſem Medicum, nominare poſſum. Quaeſierat ex eo Quadra, Regis Hiſpaniarum primi ordinis Chirurgus, ortum et originem Aurantiorum. Huic prolixa epiſtola reſpondet, Citros, Limones conſimilesque arbores eiusdem eſſe naturae: Aurantias vero ex inſitione in malum Punicam proveniſſe. Eaque occaſione breviter quidem, at non indiligenter de univerſo harum arborum genere diſputat. Conſervavit nobis hoc ſchediaſma cum aliis eiusdem auctoris, conſultiſſimus Naturae myſta, Carolus Cluſius, Atrebas, cuius laudes ex merito dixerunt bonarum literarum aeſtimatores. *u* Ipſe autem Cluſius, quum, iudice Commelino, *x* primus hanc ſtirpem in Belgio coluerit, et praeterea non pauciora de Malis Medicis inſeruerit ſuae Stirpium Hiſtoriae, hoc nomine ab omnibus merito celebratur: adeoque nec nobis hic tacendus erat. Ceterum quae Monardi noſtri Hiſtoria Medicamentorum ſimplicium, ex novo orbe delatorum, habuerit fata, Cluſius enarrat in praefatione, *y* quam verſioni Latinae e lingua Hiſpanica praefixit. Plura enim huc transferre nolo, ne epiſtolae modum excedat haec ſcriptio.

Concedo igitur in Galliam, quo Heſperides ſuperatis iugis vel Apenninis ex Italia, vel Pyrenaeis ex Hiſpania, faciles deſcenderunt. Non invidae enim ſunt, omnibus ſe indulgent, patriam invenientes, ubi debite excipiuntur. Neque poenitet eo deſcendiſſe, cum primas in Gallorum viridariis partes teneant.

Non tamen ulla magis fontes ornabit et hortos
arbor, Atlantaei quam quae viret arbore mali;

Scribit elegantiſſimus RENATVS RAPINVS, qui, uti obiter hoc addam, decora huius arboris laudesque, uti ſolet, nitidiſſime cecinit. Certatim profecto laborarunt Galli, ut hoſpitio quam commodiſſimo exciperent eas, ne ſolum pertaeſae alienum abeundi fortaſſis deſiderio caperentur. Quemadmodum vero oblivioni facile traduntur, quae ſine literarum ſubſidio memoria tenemus; ita ne turpi hoc neglectu quidquam contra illarum dignitatem admitteretur, editis in lucem libris elegantiſſimis, uti elegantiae ſtudioſiſſima eſt haec natio, ad poſteros quoque transmittere voluerunt, ut amabiliſſimas has Nymphas colere deceat. Illud autem vehementer doleo, cum plures luci expoſiti ſint publicae libri, plerorumque tamen nomina tantum ac titulos meam in notitiam veniſſe. Hos ergo, uti accepi, fideliſſime communicabo, ſi fortaſſe Tibi, VOLCAMERE HONORATISSIME, aut aliis, in quorum manus haec epiſtola inciderit, felicioribus eſſe liceat, ut ipſa opuſcula propius inſpiciatis manuque teratis. Sunt illa ſequentia: Inſtruction facile pour connoi-
„tre toutes ſortes d'Orangers et Citroniers, qui enſeigne auſſi la maniere de les
„cultiver, ſemer, planter, greffer, transplanter, tailler, et gouverner ſelon les climats,
„les mois et les ſaiſons de l'année: avec un Traité de la taille des Arbres, par le Sieur
„Morin Pariſ. 1674. f. 12.

(E) 2 „Nou-

u Curis Poſterioribus Antverpiae a. 1611. f. 4. elogia eius ſubiuncta ſunt cum funebri oratione Everardi Vorſtii. Conf. Io. Meurſius Athen. Batav. L. II. p. 186. 187. Iſaac Bullart. lib. cit. p. 114. 115. *x* Nederl. Heſper. c. 4. *y* Inſeruit illam Hiſtoriam ſuis Exoticis pag. 296. ſqq. Plura Monardi monumenta, quibus immortalitatem meruit, recenſet Merklinus in Lindenio Renov. p. 839. 840.

„Nouveau Traité des Orangers et Citroniers, contenant la maniere de les con„noitre, les façons qu'il leur faut faire pour les bien cultiver, et la vraie methode, „qu'on doit grader pour les conſerver, chez de Sercy, f. 12.

„Traité de la Culture des Orangers, Citroniers, Oliviers et Grenadiers f. 12.

His addo IOANNEM QVINTINIVM, Hortis Regiis Praefectum. Edidit is „duobus tomis librum, cui titulum fecit: Inſtruction pour les Jardins Fruitiers et „Potagers, avec un Traité des Orangers, ſuivy de quelques Reflexions ſur Agricul„ture, par M. de la Quintinye, Directeur de tous les Jardins Fruitiers et Potagers du Roy. z Multa hic congeſſit haud vulgaria, multa detexit benevoleque poſteris utenda conceſſit artificia, aliorum quoque errores humaniter caſtigavit, errantesque in viam reducere eſt conatus. In iſta certe libri parte, qua continetur un Traité de la Culture des Orangers, *a* hunc praefixum habuiſſe ſcopum, ipſe prodit in praefatione, ubi caſtigat eos, qui miram colendorum acruminum crepant difficultatem, multaque myſteria de terrae potiſſimum delectu ac praeparatione inaniter iactitant, cum eorum cura longe ſit facillima. Tractatus hic tredecim abſolvitur capitibus, in quorum primo pro adſtruenda culturae facilitate quinque ponit paradoxa; 1. Nullam aut paucas admodum eſſe ex omni plantarum arborumque genere, quae radices tam facile agat. 2. Non aliam adeo facile quolibet nutrimento ali. 3. Ceteris omnibus magis eſſe longaevam. 4. Nullam paucioribus incommodis premi, nec 5. minori hoſtium agmine peti, quam Malorum aurearum genus: atque hos, Formicas, cimices, fullones, nil quidquam mortiferi arbuſculis inferre confirmat. In capite ſecundo, quod impendit deſcriptioni hibernaculi ſeu cellae, in qua per hiemem arbores a frigore defendantur, evincere conatur, humiditatem plantis magis noxiam eſſe quam frigus aut nimium a foco ſuccenſo calorem. Potiſſimum Capite X. multus eſt in tradendis remediis, quibus arborum coma ob neglectam culturam aut frigore et humore ſuperfluo, itemque grandine vitiata vel plane defluvium paſſa reficiatur, ut adſpectu grata iterum ſit, iucunda et vegeta arbor, optimeque valeat. Non contemnendas hinc inde inſpergit obſervationes, ex quibus multum commodi exſpectandum. Sed abſtineo me ab uberiori earum recenſione, ne aliud hic eſſe actum iure quis poſſit conqueri. Honori tamen Quintinii non poſſum illud dare, quin a Santolio, Poëtarum coryphaeo, in tabellam, qua imago Quintinii exprimebatur, conſcriptum elogium hic ſubjiciam:

Hanc decorate Deae quotquot regnatis in hortis,
Floribus e veſtris ſupraque infraque tabellam.
Hic dedit arboribus florere et edulibus herbis,
et ſe mirata eſt tanto Pomona colono.

Habuit ergo Pomona in omni gente, qui ſe cultu proſequerentur, et de quibus gloriari potuerit. Gloriatur etiam de pluribus e Britannorum gente ſatis; de quibus iam ut dicerem, ordo poſtulat. Hos uti omnis antiquitatis promos condos iure nuncupamus; nullus enim terrarum angulus tot tantosque monumentorum veterum theſauros monſtrare valet; ita Heſperides quoque ad ſe pertraxiſſe, aliunde *b* certo conſtat. Et niſi de eo iam certi eſſemus; convinceret tamen ſolers eorum ſtudium, quod indagandis rebus naturalibus impendent, (certant autem et hac in parte cum praeſtantiſſimis,) indubieque id aſſerere iuberet. Nec dubium eſt, unum alterumque preſſius hiſtoriam ac culturam earundem urſiſſe, literis-

que

z Altera, qua utor, editio procurata eſt Amſtelodami 1692. f. 4t. Tertia autem iam lucem adſpexit paucis abhinc annis. *a* T. II. p. 245—286. *b* Vid. Act. Philoſ. Anglicana l. ſuperius cit.

que exquiſite mandaſſe. At nemo adhuc eorum mihi cognitus eſt, qui huc proxime pertineret, quod in Heſperidibus deſcribendis laborarit unice. Hunc itaque defectum ut reſarciam, celeberrimum in utroque orbe virum indico HANS SLOANE, Medicum Londinenſem ac Societatis Regiae Londinenſis Socium digniſſimum. Is in Catalogo Plantarum, quae in Inſula Iamaica proveniunt aut coluntur, longam texit *c* ſeriem et ſynonymorum et ſcriptorum, apud quos vel effigies vel uberior deſcriptio habetur: qui labor uti taedium, quod auctori creat, maximum ſumma utilitate penſat; ita et multa laude eſt cohoneſtandus. Praeterea in ABRAHAMI COVLEII, Angli, Poëtae terſiſſimi, Plantarum libris *d* leguntur aliquot verſus, quibus citreorum et aurantiorum diſcrimen innuitur; conſtat et notulis adiectis ſua laus; ut adeo duplici hoc nomine ſilentio hic neutiquam fuerit involvendus.

Vicini Anglis Belgae duos ſuperiori ſaeculo habuerunt Heſperidum admiratores, qui quidem ſcriptis et Heſperidum et proprii nominis famam augere anniterentur. Alter eſt munerum dignitate pariter ac eruditione conſpicuus FRANCISCVS VAN STERBEECK, Presbyter Canonicus Hooghſtratanus, et Epiſcopo Antverpienſi a Sacris, cuius proſtat *Theatrum Fungorum*, lingua Belgica exſtructum. *e* Commentatus is eſt praeterea *de Citri Cultura*, oft Regeringhe van Vythemſche Boomen, *f* peculiari libro; quem videre toties vehementer aveo, quoties ab aliis laudatum reperio. Huic aequalis eſt aetate illuſtris Amſteraedamenſium Senator, IOANNES COMMELINVS, cuius liber iam antea prodierat *g* hoc titulo inſignitus: *Nederlantze Heſperides*, *dat is*, *Oeffening en Gebruik van de Limoen en Oranjen - Boomen*, *geſtelt na den Aardt en Climaat der Nederlanden door I. Commelyn.* Meminit is Pontani atque Ferrarii, quem per omnia ducem ſecutus eximio ornat elogio. Spicilegium tamen dedit non contemnendum, ut hunc iure poſt Ferrarium proximo ſemper loco haberes. Prudenter omnino hoc in negotio eſt verſatus, paucis multa complectens. Ceterum ſerius in Belgium veniſſe Heſperides fatetur; at genuinam earundem culturam in regionibus frigidioribus deberi Belgis gloriatur, auctam per *Ioannem Roeterum*, cuius obitu praematuro magnam illae iacturam fecerint.

Eodem, quo Commelinus librum ſuum praenotavit, titulo de Cultura Heſperidum praecepta belgice conſcripſit HENRICVS AB OSTEN, quem prioribus tertium addo, Leidenſis colonus peritiſſimus; quae nuper admodum ob praeſtantiam verſa in linguam Teutonicam denuo lucem adſpexerunt. *h* Nec uberior eſt, nec iactabundus, cunctaque plane et perſpicue ediſſerit, faſſus, Acruminum cultum nihil taedii faceſſere, ſi morbos excipiamus. Inter cetera edocet modum, ut paucos intra annos ope fimeti, vitro tecti, ad iuſtam proceritatem educentur arbuſculae e ſeminibus enatae, ut ſpem oſtendant non modo, ſed et deſiderium expleant frugiferae. Cumque ſuccum viresque capiant non a terra, ſed a particulis ſalinis, (vel po-

c Londini 1696. f. 8. p. 208--212. et in Append. p. 231. *d* Lib. V. p. 268. 269. Continentur hi libri in Poëmatibus eius Latinis, quae cum vita praefixa prodierunt Londini 1668. f. 8. *e* Excuſum Antverpiae 1675. f. 4. inſertis figuris quam plurimis. *f* Antverp. 1682. f. 4. *g* Amſteraedami 1676. fol. Angli hunc librum in ſuam quoque linguam converterunt, impreſſum f. 8. ſub titulo: The Belgick, or Netherlandiſh Heſperides, that is, the management, ordering, and uſe of the Limon and Orange Trees; fitted to the Nature and Climate of the Netherlands. *h* In fronte libri hic titulus eſt praenotatus: **Der Niederländiſche Garten, beypflantzet mit Blumen, Obſt und Orangerien. Wolffenbüttel** a. 1706. et 1712. f. 8. Egregia, fateor, ſunt, quae ibi habentur: ſed diſſimulare nolo, pleraque ex Quintinio eſſe hauſta: ea certe, quae hic ex Henrico ab Oſten recenſentur, Gallus habet cap. 9. Hibernaculi conditiones idem expoſuit cap. 2. Coronarum quoque decorem, de quo cap. 11. agit noſter, ex eiusdem Quintinii cap. 10. hauſit. Neque in reliquis alium fere ducem ſequitur.

tius nitroſis: ſal enim ſterilitatem inducit; non itaque fertilitatis cauſſa eſſe poteſt;) aqua affuſa deterſis: operoſam omnem terrae praeparationem ridet. Porro nec a foco ſuccenſo multum commodi eſſe ſperandum adſtruit: tum quia ignis modicus non ſufficit, nec in parte hibernaculi remotiori collocatas afficit; copioſior vero fibras proxime poſitarum, ſucco avolante, contrahit, ut areſcant: tum quia experientia conſtat, aquam coctam facilius concreſcere, quam quae vi ignis nunquam ebulliit: (in aërem vero ignis eſſe vim eandem credit, quam in aquam exercere ſentitur.) Inde concludit, *i* arbuſculis ab aëre poſt calefactionem refrigerato maius damnum eſſe timendum. Hinc ut alia ratione hibernaculum ſit muniendum edocet. *k* Haec atque ſimilia ſunt, quae ibi traduntur. Neque minus probae ſunt, quas peritus quidam rei hortenſis adſperſit notulas, in quibus ab auctore interdum abit, aliaque ſuggerit, quae uſu et experientia probata, rationique magis conſentanea illi ſunt viſa.

Quemadmodum ergo in Belgio laetius benigniusque habitant Heſperides, quam in ipſa Italia; ita et, ubi *vicinus Boreas ferit arva*, Germania

Telluris contra ingenium, ſolesque malignos
his florere dedit dudum infelicibus hortis;

poſtquam in aedificiis, vitro tectis lato ac copioſo, per quod radii ſolares admiſſi vim frigoris temperant, hoſpitari datum eſt. Italia iam exceſſiſſe iſtas ſorores, conqueruntur Itali, et in rigentes gelu oras Teutoniae veniſſe, molliori nunc ibi lecto aeſtuque placidiore laetantes, quando in Illuſtriſſimi Excellentiſſimique Herois, Comitis de VVildenſtein, Viridario in Auſtria nitidiſſime exſtructo, genera acruminum plus quam centum et florere, et ſub frugum pondere ac copia gemere vident audiuntque. Neque vero ibi omnes divitias effudiſſe cenſendae ſunt. Beant eadem ubertate alios quoque, a quibus commodo hoſpitio ſunt exceptae, maxime vero Perilluſtrem Dn. Ottonem L.B. de Münnichhauſen, Potentiſſimo Electori Hannoverano a Conſiliis Aerarii; qui in praedio Schvvoebbertano prope urbem Hamelenſem pomaria colit cum praeſtantiſſimis comparanda. Atque ex his fructus brevi exſpectamus legendos uberrimos ab eleganti quodam rerumque harum peritiſſimo fautore, qui disquiſitione accuratiore occupatus omnes publica editione participes reddet eorum, quae hucusque acerrime, nec ſine voluptate, eſt contemplatus. Beant praeterea liberaliſſime Dn. Hartovicum de Daſſel, et Dn. Poſtelium, viros generis nobilitate munerumque dignitate illuſtres, utrumque principem Senatus, alterum Lüneburgenſis, alterum Hamburgenſis; itemque longe plures Bohemiam Saxoniamque incolentes, quorum nomina venerabundus praetereo.

Quamvis autem illis liceat eſſe felicioribus, atque avis patribusque noſtris: tetigit tamen et hos, (retro nunc paululum legenda ſunt veſtigia,) cura Heſperidum non mediocris: fructus certe, quos hae fuderunt, ſtupentes mirati ſunt, atque raras in horto arbores plantarunt. Ante Ferrarium IOANNES LOSELIVS, Boruſſus Medicus, praeter cetera ingenii atque doctrinae monumenta, *l* emiſit *m* ſchediaſma, cui titulum praeſcripſit: *Citrium praegnans;* quale non pauci exhibuerunt naturae interpretes, quos ex P. I. Sachſii Scholio *n* ad Thomae Bartholini Obſervationem, aut ex eiusdem Gammarologia (unde Cornelius Stalpartius van der Viel *o* illos habet,) omnes citat paulo ante memoratus Lanzonus. His addi meretur Carolus Avantius, qui Malum eiusmodi, quod in utero foetum

i Cap. 7. *k* Cap. 8. *l* quae recenſentur in Lindenio Renov. p. 627. 628. *m* Regiomonti, 1645. f. 4. *n* Ephem. N. C. Dec. I. A. I. Obſ. 36. p. 104. 105. *o* Obſervat. Rarior. Cent. II. n. 49. p. 476.

tum geſſit, graphice depictum itidem exhibuit: *p* Neque Tuum illud proliferum, quod in Heſperidibus eleganter caelo calamoque exaratum *q* iam conſpicitur, hic tacendum. Commelinus, quod hic annotaſſe non ab re erit, *Aurantium Feminae ſive Foetiferum*, monſtris accenſet, *r* quum tamen ex arbore cum flore duplici fere naſcatur. Quid Loſelius hac in re definiat, dicere non habeo, cum eius ſe mihi ſchediaſma adhuc ſubduxerit.

Sequitur Loſelium HERMANNVS GRVBE, Lubecenſis, Medicus Haderslebienſis, qui *Analyſin Mali Citrei compendioſam, redactam ad Botanices Philoſophicae iuxta ac Medicae cynoſuram*, *s* cum orbe erudito communicavit. Mole quidem exiguum eſt ſchediaſma, ſpicilegium tamen, quod affert, magnam laudem meretur, quod propius ad uſus Medicos digreſſus, virtutes eius nervoſe pariter et erudite explicuit; iudice Thoma Bartholino. *t* Sed neque ea, quae ad hiſtoriam huius mali pertinent, ſicco pede praeteriit; unde nec hanc ei laudem invidere, nec nomen eius tacere debui. Eodem nomine commendanda eſt DANIELIS NEBELII, Heidelbergenſis, ſpartam Profeſſoris Medici olim in Marpurgenſi, hodie in patria Academia egregie ornantis, diſſertatio Inauguralis *de Malo Citrio*, ſub praeſidio magni *Georgii Franci*, quem nominaſſe ſat eſt, defenſa. Collegit enim ibi ex auctoribus neutiquam proletariis, non tantum, quae uſus Medicus, ſed et quae cultura poſtulabat. Neque alio fortaſſe ordine ac conſilio conſcripta videtur BVRGGRAFII diſputatio, more Academico pro honoribus in arte ſalutari ſummis obtinendis habita *de Malo Sinenſi Aureo*, cuius a celeberrimo Gieſſenſium Aeſculapio, Mich. Bernardo Valentini, *u* notitiam habeo.

Finem nunc facerem huic epiſtolae, niſi vir ſummus, IOANNES SIGISMVNDVS ELSHOLTZIVS, Archiater Electoralis Berolinenſis, meam adhuc dicendi operam poſceret. Immortalitati nomen is ſuum dudum conſecravit, quando monumenta exegit aere magis perennia, *x* ex quibus hac vice bina memoro, utraque lingua patria exarata, Diaeteticon alterum, alterum ſub titulo: **Neu-angelegter Garten-Bau.** *y* Vtroque in libro *z* multa egregia, uti vir erat ſingulari eruditione, continentur, nec ſolum malorum diſcrimen, *a* verum et culturam *b* optime perdocet. Atque huius quidem auctoritate tuto niti licet, utpote qui nihil ſcripſerit, niſi uſu id prius ipſe ſciret comprobatum. Id vero me adduxit, ut huic uni in hac commentatione locum darem, etſi de Heſperidibus ſeparatim nihil ediderit. Mentionem quoque hic facere poſſem Anonymi cuiusdam, qui ante duodecim hos annos Amſteraedami emiſit *Delicias et Arcana Florum*, *c* exiguum mole libellum; ſed ea, quae primis ſtatim paginis habet huc facientia, non contemnenda ſunt. Saepius tamen a Quintinio, eiusque compilatore Belga, abit. Quando hic ciſtas quernas praefert fictilibus, Anonymus ille lignea improbat: quae ſimiliaque apud ipſum legiſſe non poenitebit. At enim vero addere ſi voluiſſem eos omnes, qui hinc inde quaedam inſperſerunt de cultura citri, ingenti eorum copia obruerer, nec ſola nomina caperet haec charta. Magna profecto lumina, magnumque Botanicorum atque eo-

p Notis ad Fierae Coenam p. 26. 27. Doctiſſimus item Io. Dan. Maior Ephem. N. C. Dec. I. A. 3. Obſ. 241. et Andreas Cnoeffelius, ibid. A. 3. Obſ. 54. *q* Lib. II. c. 6. *r* Nederl. Heſper. c. 23. p. 16. *s* Hafniae 1668. f. 8. *t* In approbatione libello praefixa. *u* qui eam citavit in Muſeo Muſeorum L. II. Sect. V. c. XI. §. 14. *x* Eorum catalogum ampliſſimum texuit Merklinus Linden. Renovat. p. 682. 683. *y* Tertia huius libri editio Berolini excuſa eſt 1690. f. 4. Sed quartam iam in fol. audio eſſe paratam. *z* et quidem in Diaetetico, L. I. c. 7. p. 83. ſeqq. *a* L. IIII. c. 7. p. 236. 237. *b* Ibid. Cap. VIII. integro, p. 247-254. *c* Oder edles Kleinod/ wie man allerhand Arten Blumen vergröſſern / auch aller Art Citronen-und Oranien-Bäume ziehen ſoll 2c. Amſterdam bey Joh. Banſen 1700 f. 8.

rum, qui de Agricultura ſcripſerunt, numerum tacitus praeterire cogor, *d* ne modum epiſtola excedat.

Vnum adhuc ſupereſſet, HVMANISSIME VOLCAMERE, ut de praeclaro Tuo Opere verba facerem, Tuamque induſtriam celebrarem. Tua enim induſtria

Hic hiemes nil iuris habent; laeta omnia, laeta:
vernat humus, pulcris ſe oſtentat fructibus arbor,
ſeque ornant variis depicti floribus agri.

Sed cum amoena Tua Heſperidum viridaria Magnates confertim frequentent, beneque collocata ſumtuum ac laboris impendia praedicent; exteri item, quibus illa adeundi facultas eſt denegata, cum typis atque aere expreſſa vident leguntque, eadem demirentur: impudens eſſem, ſi imbelli hoc calamo paria facere tentarem. Praeterea cum meam hanc laudem non deſideres, abunde ſatis laudatus; votum tamen pro perpetuitate addere fas erit: Faxit Divinum Numen, ut iſtac felicitate quam diutiſſime fruaris, nominisque famam latius magis usque proferas!

Habes iam, VOLCAMERE HONORATISSIME, quae de Heſperidum ſcriptoribus reperire potui. Reſtat ut tribus, quod aiunt, verbis et Tibi et aliis excuſem, ſi qua fortaſſe in hanc verſionem Latinam interpretis culpa irrepſerint ſphalmata. Scias itaque, me pace Tua id mihi permiſiſſe, ut ſtili floridi modeſtiam affectans, non ſemper verba verbis permutaverim: a re tamen ipſa nunquam latum unguem conſulto receſſi. Maximam mihi difficultatem crearunt vocabula artis, ut vocant, de quorum defectu veriſſima eſt Gualtheri Rivii querela: *e* *Linguae utplurimum in vocabulis artium et doctrinarum ſuam naturalem patiuntur inopiam, licet abundent phraſibus et ſimilibus fucis.* Leviſſima colorum diſcrimina verborum vi conſectari, Herculeus plane labor eſt. Etenim vere dixit Phavorinus apud Gellium, *f* *plura eſſe in ſenſu oculorum, quam in verbis vocibusque diſcrimina.* Et quamvis hanc levare inopiam ſtuduerim, adhibitis aliorum ſubſidiis; vix tamen ſpondere auſim, nullum hic erratum eſſe commiſſum; maxime cum opera valde interrupta hanc verſionem adornarim. Hac Tua Lectorisque Benevoli humanitate, quam enixe mihi expoſco, fretus, plura addere deſino: iterum iterumque rogitans, ut tumultuariam hanc ſcribendi operam aequi bonique conſulatis. Vale, VOLCAMERE OPTIME, et me porro ama. Norimbergae a. d. VIII. Kalendas Martias A. O. R. CIϽ IϽ CCXIII.

d In quibus facile principes nominandi fuiſſent Petrus Andreas Matthiolus, Io. et Caſpar Bauhini, Abrahamus Muntingius, quem praeterire non debuiſſem, cum culturam ſingulis menſibus convenientem doceat, pluraque in opere Botanico afferat, quam in ullo ſchediasmate minore leguntur. Praeter hos laudem meruiſſent Vincentius Tanara, Auguſtinus Gallus, Olivier de Serres. D. H. Cauſe en de Koninglycke Hovenier, aliique. *e* In praefat. ad Germanicam Vitruvii verſionem elaboratiſſimam. *f* Noct. Attic. L. II c. 26.



PRAELOQVIVM AVCTORIS.

ANtiquitatem, quo propius aberat ab ortu et divina origine, eo perſpicaciorem fere fuiſſe, eoque magis rerum naturam ei patuiſſe, inventa veteris aevi utiliſſima indubitato confirmant. Campus hic nobis pateret dicendi ampliſſimus cum de multis aliis, tum de variarum gentium Legislatoribus, qui indomitos et effrenes hominum animos ad honeſtatem erudierunt, legumque fontes aperuerunt; de quibus Tullii judicium valet, quod de legibus XII. Tabularum tulit, eas omnium Philoſophorum bibliothecas et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate ſuperare. Miraremur ſtrategemata ingentesque militum copias, easque belli peritiſſimas, dolo tamen et arte varia devictas: Aſtrorum peritiam, quorum motus dierum operumque norma primis univerſi hujus habitatoribus exſtitit, DEI Conditoris notitiam, juſtique et injuſti cognitionem adaperuit et ingeneravit. Et quam perſpicacis audaciae eum fuiſſe putabimus, qui primus vada non tangenda permeavit?

Illi robur, et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci
commiſit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum
decertantem Aquilonibus,
nec triſtes Hyadas; nec rabiem Noti,
quo non arbiter Hadriae
major, tollere ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
qui ſiccis oculis monſtra natantia,
qui vidit mare turgidum, et
infames ſcopulos Acroceraunia?

Quid dicemus de eo, qui primus Vulcania fabricare arma docuit? Ignem e duro ſilice elicere, res quidem levis videtur; at ampliſſimae eſt utilitatis: nec inventori minus laudi eſt, quam Vulcano aeris liquefactio. Ita ſaepe e re minima non parum gloriae provenit; et ingenii felicitas ex illa aeque cognoſcitur, atque ex aliis artibus multo ſtudio multoque labore perfectis. Agriculturam, quia quotidiana ab infimae ſortis hominibus peragitur, artis expertem credimus: at ſi recte judicare velimus, etiam agrorum colendorum eorundemque fertilitatis augendae, ſcientia eſt, quam qui primus excogitavit, et a fimo putreſcente arboribus vitam et fecunditatem venire docuit; perſpicaciſſimi ſui ingenii documenta dedit non minora, quam alter ille, qui vires plantarum transplantatione augere fructusque elicere ſuaviores, primus tentavit. Agnoverunt veteres, immortales inventoribus hiſce laudes deberi: inde eos, quos ingenio praeſtare videbant, reliquis anteire, et quos prudentiae opinio commendabat, ceteris imperare recte juſteque volebant: Imo DEO aequabant, et, quae illorum ſuperſtitio fuit, in Deorum numerum referebant, Pomonam, Cererem, Vulcanum, Neptunum, Martem, Iovem et reliquum deaſtrorum agmen colentes.

Hanc veterum gloriam laudabili contentione, *τὴν μέν κεν ἐπαινήσειε νοήσας, quam ſapiens probaverit*, aemulatur noſtra aetas, felicique conamine tam inventis nova addere, quam jam cognita expolire ſatagit:

git: adeo ut non immerito virilem hanc dixeris, priorem illam juvenilem. Quicquid etiam Tullius de legibus ſuis gloriatus fuerit; mancae tamen fuerunt et imperfectae, quum in noſtris, quibus hodienum ſtamus, omnes lites caſusque paene ſinguli definiti ſint atque deciſi aequiſſime. Strategemata antiquorum, ſi cum hodiernis ea contendamus, quando ex opido munitiſſimo, quod praeſidio inſuper firmiſſimum tutiſſimumque videbatur, Ducem Summum, qui pro Rege ipſo curabat, captivum abduci audivimus, puerorum luſus eſſe cenſeamus. Armorum recens repertorum vis hodie tanta eſt, ut illam eludere velle, imprudentis videatur; et tamen illam non raro ingenii praeſtantia moratur. Si Zoroaſtris et reliquorum ſapientiam caeleſtem contemplamur, hos ex humili terra caelum eſſe contuitos, cum noſtri in ipſam adſcenderint, credibile apparet. Tot videlicet ſtellas veteribus nunquam viſas, tot Aſtronomorum errores mordicus defenſos detexerunt. Atque illi tamen animis hominum adeo firmiter erant infixi, ut, ſub hujus ſaeculi auſpicium interdicto, publica Imperatoris Auguſti Imperiique Statuum Potentiſſimorum auctoritate firmato, opus fuerit, ne in faſtis poſthac nugae iſtae divendantur. Redeant barbati palliatique Philoſophi omnes, et mirentur ſubtilitatem ejus, qui ex levitate aëris et pondere, de quo ipſi ne per ſomnium cogitaverunt quidem, multorum phaenomenorum cauſſas latentes ſolide deduxit. Navium varia genera antiquis haud viſa; aqua marina, quam bibere propter ejus amaritudinem non poterant, dulcis hodie facta, aliaeque nautarum artes, navigandique commoditates, artis nauticae augmenta indubio demonſtrant.

Οἱ δὲ ἕκαστοι ἴσασι, οἵ ἂν περιναιετάωσι.

Haec praeſagiens Seneca, novum orbem olim detegendum praedixiſſe creditur in Medea:

- - - Venient annis
ſaecula ſeris, quibus Oceanus
vincula rerum laxet, et ingens
pateat Tellus, Tiphysque novos
detegat orbes.

A 2 Porro

Porro ſpectatur hodie non ſine voluptate ignis in varias veluti formas mutatus, isque pictorum colores aemulatus: at idem veluti imber, cui Iupiter

nimbos, immiſtaque fulgura ventis
addidit, et tonitrus, et inevitabile fulmen,

in tecta urbium arciumque deſcendens, omnia vincit, evertit, comminuit. Ita videlicet et huc recte traxeris, quod Verulamius de igne Chymico dixit: *Vulcanus celeriter perficit, quod natura per ambages et temporis moras ſolet:* Sit ergo licet, pulveris pyrii uſum jam ante mille quingentos annos innotuiſſe, uti Iſaaco Voſſio credere placuit; tamen et luſus igniti et tonitrua illius horrenda, et gradus, quos noſtri artifices et augere et imminuere callent; veteribus inauditi fuerunt.

Haec cum ita ſe habeant, injurii in noſtrae aetatis homines illi mihi videntur, qui vetera tantum ſuſpicientes, praeſentia negligunt ac contemnunt. Laudemus veteres, eorundemque inventis grati utamur, niſi meliora edocti fuerimus: at ubi dies nos alia magis commoda docuit, majorum tamen noſtrorum ſolertiam magni faciamus. Quis enim mallet terram laborioſe colere et fructibus cordis frui, ubi illa fimo laetificata veluti ſponte parturit, et quidem ineunte vere? Tacitus Germaniam vocat informem terris, aſperam caelo, triſtem cultu aſpectuque, addens: *Quis porro praeter periculum horridi et ignoti maris, Aſia aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret?* Si hodie illam, innumeraque herbarum et plantarum non Italicarum modo, ſed et Indicarum, Aegyptiacarum, aliarumque genera felici gratoque apud nos hoſpitio excepta, laete adoleſcere videret; beatam omnino praedicaret. Obſtupeſcerent utique priſci agrorum cultores, ſi reſcirent artem nuper demum cognitam tingêndi pro lubitu auriculas urſi, tulipas, caryophyllos: in qua Belgae praeter ceteros excellunt. Et certe Botanices ſtudium ſaeculo nuper elapſo ſtupenda, ſive plantarum culturam, ſive ſationem et multiplicationem ſpectemus, incrementa cepiſſe, eademque multo potiora, quam unquam antehac ceperit, indubium eſt. Nobiliſſimum hoc ſtudium idemque jucundiſſimum tum mera ingenii et memoriae carnificina erat; cum nuda herbis impoſita nomina tam cito diffluerent,

quam

quam illa prius memoriae mandata. Iam vero plantis, quae ſibi invicem quoad folia, flores et ſemina non prorſus diſſimiles, in unam claſſem ordine et ex artis lege digeſtis, infinitus earundem numerus facili negotio comprehenditur adeo ſolide, ut et peregrinas dijudicare, primum nobis oblatas promte diſcernere, et cui illae claſſi inſerendae ſint, apte et certo definire valeamus. Debetur operis exaſciati gloria immortalis nominis Viris D. Paulo Ammano, Paulo Hermano, Roberto Moriſono, Ioanni Rajo et Auguſto Quirino Rivino, qui prae ceteris in iſtis concinne diſponendis laudabiliter elaborarunt. Num transplantationis, inſitionis et inoculationis artificia ab ultimis, quousque memoria repetere poſſumus, mundi temporibus ad nos transmiſſa fuerint; neque dicere audeo, neque valde negare. Hoc tamen nemo in dubium vocabit, frequenti artificii hujus uſu illud ipſum magis magisque excultum eſſe. Ante paucos adhuc annos inſolitum quid erat, et fere miraculi inſtar habebatur, unam eandemque ſtirpem bina, terna aut plura diverſi generis pira et poma proferre. Multo minus inſitio in cydoniorum ſtipites, indeque enaſcentes arbores pumilae, olim in hortis viſebantur. Hae nanae licet ſint, fructus tamen nihilo minores ceteris fundunt; quae res, niſi indies oculis obſervaretur, incredibilis videri poſſet. Imo hodie arbores etiam majores hieme eradicatae commode alio transferuntur tam feliciter, ut non tantum aeque, uti olim, vireſcant, ſed fructus etiam meliores porrigant; quod nemo amplius mirabitur, qui arbores frugiferas ex calidiſſimis regionibus, praecipue ex Italia, ad nos advehi, et eas tamen ciſtis incluſas per ſex, octo et plures hebdomadas extra ſolum viventes utiliter iterum plantari, ſecum perpendit, et largam inſuper frugum ſucci pleniſſimarum uſuram videt, cogitatque.

Maximum nuper hortorum decus, quo magnopere ſuperbiebant, arbores habebantur tres quatuorve aurantiae citreaeque in teſtis et vaſis ligneis depactae: ab illis vero fructus vel plane nullus; (antequam enim maturuerunt, poma defluebant;) aut exſuccus et flaccidus erat exſpectandus. Iam vero infrugiferas ex ſemine enatas ſtirpes inoculationis artificio non tantum ut gravidentur didicimus, ſed et tantum in arborum harum cultura profecimus, ut eae jam adultae feliciter migrent, et intra anni decurſum fructibus ſuis aureis,

 eisque

eisque maturrimis laborum taedia penſent. Favit mihi arridens fortuna, ut ab Avo acquiſitus in ſuburbio Norimbergenſi, Goſtenhof dicto, hortus hereditate paterna ad me devolveretur. Dicavi illum Heſperidibus, quae novo iſtoc hospitio, ſub finem hujus praefationis ſpectando, laetae multiplices malorum aurantiarum, citrearum, limoniarumque comas alunt, floribusque fragrantiſſimis virentes fructus maturitate excoctos et perfectos uberrime adhuc dederunt; imo filias illae itidem fecundas progenuerunt. Atque harum quidem cultura et educatio ſingulari cura ſuſcipienda eſt, ne naſuta olitorum incuria hieme eas perdat, ita ut hibernaculo adaperto morbidae omnes ſint, et vix ac ne vix quidem ſanabiles. Fundamentum peritae hujus curae eſt caeli et elementorum accuratior obſervatio. Ab his enim omne plantis herbisque, arbuſculis item tum vulgaribus tum e longinqua terra in noſtram tralatis, incrementum venit. Sedulus proin colonus illud Poëtae praeceptum mente ſemper volvat,

*Quas*que *auras paret Eurus; aquis quid turbidus Auſter,*
Cogitet, et quid Sol ſerus, quid portet Eous;
quo ventos cornu, quo Cynthia provocet imbres,
quae caelo, quam certa fides ſit habenda ſereno,
quatenus aut Helice, aut plauſtro tardante Bootes,
ſint aequi arboribus: teneris quid floribus obſint
vel nimboſae Hyades, vel Pleiades Atlantaeae.
Nam neglecta aliis, et inobſervata per annum
ſidera ſaepe nocent: ſuperi poſuere ſub illis
culturae rationem omnem vitaeque labores.

Porro quod ad elementa attinet, terra macra tempeſtive laetificanda eſt et temperanda; hoc niſi debita ratione fiat, mirum non eſt, ſi arbuſculae pereant. Aqua neque modica nimis, ne marceant, neque nimia irroranda, ne decorticentur. Pari ratione et aëris vis refrigerans ſubitaque mutatio, ſerotina hibernaculi exſtructione, aut maturata ejusdem deſtructione, arbores iſtas perimit: nunc enim ob diuturniorem illius excluſionem, ab humoribus in hibernaculo copioſis minus ventilatis, eae quaſi praefocantur; nunc intempeſtiva aperturarum reſeratione iisdem periculum imminet. Solis quidem radii

dii et aeſtus vehementiſſimus nunquam his arboribus moleſti ſunt; imo fructus tanto perfectius excoquuntur, quanto calidiores incumbunt. At hieme tamen calorem ignis in foco accenſi non niſi temperatum ferunt: quae res periti coloni circumſpectam diligentiam, ſi qua alia, requirit et probat.


Cum itaque et harum rerum aliqua ars ſit, eademque non vulgaris, in gratiam eorum, qui Heſperidum amatores cultoresque ſe profitentur, quid ipſe circa arborum harum inſitionem, propagationem, culturam tam aeſtivam quam hibernam obſervaverim, ſcripto hoc vulgare volui; quo alii ſciant, quid ipſis faciundum, quidve cavendum, ſi damnum irreparabile ſentire nolint. Id enim humanitatis leges requirunt, ut quae ipſi cognovimus, aliis ne invideamus. Equidem non primum inter Germanos aurantiarum cultorem me temere jactarim: hoc tamen jure quodam meo ſumere mihi poſſum, me nec labori ac diligentiae nec ſumtibus pepercisse, ut uſu et experientia, quam illae noſtris in oris Aquilonem ſpectantibus cultum expoſcant, cognoſcerem. Cum negotiorum et mercaturae cauſſa per aliquot annos Rovereti degerem, hortorum poſſeſſoribus, in eos ſubinde animi reficiendi cauſſa exſpatiatus, familiariter uſus ſum: atque ita aliquam harum rerum notitiam primum nanciſcebar. At multum diverſa colendi ratio Rovereti et in regionibus Benaco adjacentibus obtinet; quam noſtro ſub caelo noxiam eſſe fere, et alienam ab arbuſcularum indole comperi. Meo proinde ingenio uſus, emendare illam, noſtroque climati convenientem culturam tradere ſtudui. Vnde a Lectore Benevolo eam mihi humanitatem ſpondeo, ne, ſi qua a ſuis rationibus diſſidentia hic inveniat, praepropere noſtra damnet, ſed ſecum potius cogitet, tantum a me abeſſe, ut peritiſſimis viridariorum cultoribus praecepta dare voluerim, ut potius ingenue fatear, me inter graves mercaturae curas haec omnia meditatum eſſe et exercuiſſe. Multis tamen inſuper, qui ſibi omni de hortis colendis ſcientia abunde inſtructi et imbuti videntur, auctor eſſem, ut prius altius in ſe deſcenderent, ſeſeque rectius noſcerent. Vereor enim, ne plures tum demum errores ſat graves cognoſcant. Interim imperitorum iſtorum negligentiam legitimi hortorum poſſeſſores arbuſcularum optimarum interitu luere coguntur.

Deni-

Denique et illud hic monendum duxi, quo conſilio numeroſam pomorum aureorum ſubolem in ſcenam produxerim? Videlicet ut ſapientiſſimi Conditoris erga genus humanum clementiam et divitiarum largiſſimum proventum, quo nos cumulatiſſime beat, intelligamus, agnoſcamus, celebremus. Exhibuerunt quidem ante me diverſa eorum genera Ioannes Baptiſta Ferrarius, Romanus, itemque Ioannes Commelinus, Senator Amſtelodamenſis, elegantiſſime aeri inciſa: ſed aliquanto plura, ad vivum delineata omnia, quorum maxima pars in meo viridario adolevit, dare ſtudui: et propediem ſecundum eorundem ſpicilegium in Continuatione Heſperidum mearum inſtituam. Et ne cultus deeſſet, amoenos hortorum agrorumque vicinorum proſpectus una deſcribi curavi, quo, ſi quem forte legendi ſatietas cepiſſet, oculos regionis luſtratione paſceret. Qui meus hic labor ſi eruditis porro probabitur, uti eximio jam favore primam, eamque Germanico idiomate conſcriptam, editionem fuiſſe exceptam, grati praedicare poſſum; meum inſerviendi ſtudium magis magisque provocabunt, et ad Continuationem, praelo fere paratam, luci publicae propediem exponendam me magis magisque ſtimulabunt.



Q.D.B.V.



1. Das Waßer-Rad. 2 Platz der fünf Columnen [illegible] 3. Das Pomeranzen-Hauß. 4. Die Sonnen-Uhr von Bux. 5. Der Irrgarten. 6. Das Schild Crotten Weyerlein. P. Decker fec.
[illegible] Obeliſcus Conſtantinopolitanus auſ einem Stück [illegible] 20 ſchuhlang.



Q. D. B. V.

HESPERIDVM NORIMBERGENSIVM LIBRI I.

CAPVT I.

De Heſperidum pomario huiusque ſtructura, et de malorum aurearum plantatione.

IAm primum omnium ſatis conſtat, non parem novis quibusque eſſe inventis utilitatem; neque omnium eam rationem, ut ſpectanda exhiberi queant: imo potius pleraque in claſſem ingenioſorum quidem, ſed inanium ſunt referenda ingenii luſuum. Vnde fit, ut haud raro magnificas, quod dicitur, in Iovis regione arces exſtruamus, nubem pro Iunone amplectentes ipſi vanis nos vigilantes ſomniis illudamus, et de urſae corio ludamus. Sunt quidam maligni, turpi adeo inhiantes lucro, ut ad propria nimium attenti commoda, praeſtantiſſima quaeque artificia alto premant ſilentio, et ne aliis innoteſcant, ſecum mori patiantur; quamvis fideliter eadem evulgaſſe, et, de poſteris quoque optime meruiſſe videri velint. Horum alii verborum ſyrmate et πατάγω, quae ſciunt, obtegunt, ut eo ſub cortice latitans res ipſa aut plane non, aut certe difficulter admodum dignoſci queat. Alii ſignis et characteribus nemini cognitis, vocibus item plane inauditis, quas nec Oedipus evolvere poſſet, arcanos rerum ſenſus conſulto involvunt; immemores, aut prorſus neſcii, Horatiani

illius : *Paulum ſepultae diſtare inertiae celatam virtutem.* Vtrorumque dolus ſatis equidem gravis eſt, et cum iniuria ſumma coniunctus: attamen hos malitia ſuperant illi, quos primo loco fumum vendere, cupidique ſciendi animum lectoris inani vocabulorum ſtrepitu non ſine fraudis culpa exſatiare diximus : quandoquidem vana is ſpe deluſus et temporis et ſumtuum iacturam facit, inſigne NIHIL magno pretio, nec minori damno ſuo ac dedecore redimens. Ne vero huiusmodi quid et a nobis fortaſſe fieri quis ſuſpicetur , perſuaſus arenoſum regionis ſolum variis malorum aurantiarum,citrearum ſimiliumque arborum generibus proferendis minus aptum eſſe : ipſa experientia, dictis aut dicendis fidem faciens, noſtras diſſerendi partes in ſe ſuſcipiet, dubiosque αὐτοψία convincet. Equidem non infrequens eſt, ut, qui ante barbam ſenes docere temerario auſu conantur, arrogante ſe ipſos perſuaſione in diverticula et labyrinthos detrudant, indicesque praetervolantes a ſcopo aberrent. Nemo autem ſapiens truncos tum Hermas accuſabit, ſed errabundum minusque circumſpectum viatorem. Mea hic faciam rerum naturalium ſagaciſſimi pariter ac feliciſſimi fideliſſimique interpretis , Roberti Boylaei, verba, quibus invidi et imperiti de experimentorum fide conquerentis aemuli ſtupiditatem emendare ſtuduit: Ratiocinatio, inquientis, minus ſana eſt: Mihi ex voto haud ſucceſſit opus; ergo nec aliis. Imo vero, ubi operationes omnes haud diligenter ſatis peraguntur, ut eventus vota deſtituat, neceſſe eſt, etiamſi exempla vel decem imitanda tibi propoſueris. Quis enim imperitiae et incuriae medebitur ? Quandoquidem vero, ut ad ſcopum propius accedamus, commoda pomarii Heſperidum exſuſcitatio, ipſiusque mali locatio , plurimum ad ejus culturam conferunt; de illis ſub initium ſtatim totius operis Lectorem Benevolum monebo.

Quaerendus itaque eſt ante omnia locus domicilio mali Medicae aptus et congruus, ni et tempus et impenſas inaniter profundere velimus. Spectet autem area verſus meridiem potiſſimum et occaſum ſolis, libera ac patens, quo meridiano arbores tepori expoſitae, radiis inde ſolaribus tanto diutius illuſtrentur foveanturque. Exſtructa in latere aquilonio praealta aedificia tantum abeſt, ut aream malis hisce gignendis ſervandisque inutilem reddant, ut potius contra Boreae inclementiam et frigus commode has defendant. Taceo, Euri etiam incommoda quadantenus hac ratione averti, ita tamen, ne laetos Phoebi ex Oceano ſurgentis radios penitus arceant. Quod ſi loci interdum conditio ita ferat, ut pomarium eiusmodi muro contiguum lapideo exſtruatur, neceſſe erit, ut aſſeribus paries inducatur, lapidesque ſub ligno undique tegantur. Hoc niſi fiat, ab ſudore roſcido, quem lapides, pomario hieme clauſo, emittunt, multum arboribus noxae eſt metuendum, cum ſurculi erumpentes, gemmaeque, florum veluti matrices, ſitu facile corrumpantur , mucorem contrahant pereantque.

Formam ſive figuram viridarii, quae varia pro cuiusque ingenio eſſe poteſt, loci plerumque amplitudo et ſitus determinabit.

Altitudo autem, quantum ad interiorem attinet concamerationem , (hanc enim operi lacunato itidem praeferunt ;) menſuram quatuordecim aut ſedecim pedum nunquam excedat, cum exſtructum altius calorem nec concipiat mature, nec diu ſatis foveat ; et praeterea , igneis particulis circa ſuperiores cellae partes conſtipatis, fundus ipſe ſolumque humilius frigore prematur, et facillime congeleſcat.

Feneſtrarum aperturae, factae in lateribus Auſtro et Zephyro oppoſitis, crebrae ſint et altae, quo ſolis radii ad arboris usque ſcapos ſe interdum penetrent, eosdemque animent. Nec minus plaga aquilonaris quibusdam ſi pateat feneſtris, commodum erit ; quo et ab ea regione aëris tepor admiſſus ſuo frutices flamine,

frigi-

frigidioris aurae patientes ventilet, iiſdemque ita augmentum addat. Omnes vero, quotquot circum circa adſunt, ligneis probe ſunt muniendae valvis, quae frigore ingraveſcente obfirmatae teneriora germina a nociva ventorum intemperie defendant. Quam eandem ob cauſſam ſingulae quoque rimae ventis perviae muſco undique, ſtramine vel foeno ſunt quam diligentiſſime obſtruendae.

Porro domus Heſperidum excitatae pars ſuperior tranſtris ſive trabibus transverſariis, terno quaternove pede ſeiunctis, contignetur, aſſeribus pavimentum compingatur, illudque foeno aut muſco, ne igne incenſo calor diſſipetur, binûm circiter pedum ſternatur; hic vero muſcus aliis iterum aſſeribus hinc inde ſuperinductis condenſetur. Denique aſſeres aut ſcandulae, arctiſſime junctae, ſupremam domus partem contegant, ne vel per rimam unica aquae pluviae aut nivalis gutta arbores conſpergat, conſperſasque clavo, quem et fungum et patellam, noſtri den Brand vocant, inficiat, aliave ratione peſtifera corrumpat. Cumque ſcandularum potior ſit uſus quam aſſerum, is etiam opportunior minusque moleſtus erit, ſi aſſularum plures ita inter ſe firmiter connectantur, ut perticae cum dimidia in longitudine, in latitudine vero trium pedum menſuram exaequent, iunctisque hac ratione tectum inſternatur. At tum quoque neceſſe erit, ut, ubi binae huiusmodi tabulae ſe contingunt invicem, alia ſcandula ſubdatur, quae imbrium ſtillicidia per commiſſuram ſeſe inſinuantia excipiat, inque terram demittat.

Ligna ad domicilium, quod Heſperidum culturae inſerviat, dicto modo exſtruendum neceſſaria, verno tempore caedantur et exaſcientur, quo fabrefacta, et loco ab imbribus tuto coagmentata, ſolis per aeſtatem fervor exſiccet. Quodſi enim autumnali tempeſtate viridia adhuc fabricentur, ipſumque mox aedificium excitetur, non poſſunt non, foco in cella ſuccenſo, graves maximeque frugibus infeſtos illa vapores emittere, qui plantas perimunt interficiuntque.

Area, ſi ita videbitur, uno alterove pede altior ſit terrae ſolo, pinguioreque gleba obruta, eo fini, quo et arbores in illa conſitas aurae purioris flatus contingant, et ipſa area, imbre multo per aeſtatem humectata, exſiccetur iterum facilius, nec radicum capillamenta putredo vitiet. Cumque ſolum arenoſum malis Heſperidum plantandis plane ſit inutile; illud profundius effodiendum, et fertilior pinguiorque in egeſtae locum arenae terra cumulanda.

Arbuſculae inſerendae procero caudice ſint conſpicuae, ſcapoque recto altius emineant; quales fere ſunt, quae ex agro Liguſtico ad nos exportantur. Et ſciendum eſt omnino, quas regio ad lacum nobis Benacum mittit, vivaciores quidem frigorisque eſſe magis patientes; rarius tamen erectis ſe commendare cruribus ſeu ſcapis. Cauſſa haec eſt, quod Genuenſes elegantiae arborum et nitori ſtudent; lacus vero Benaci accolae lucro unice inhiant; arbores autem humiles maiorem florum pomorumque copiam proferunt; id quod recte obſervavit P. Auguſtinus Gallus in Operibus diurnis, Giornata VII, ubi de cultura acruminum Salodienſium quam diligentiſſime eſt commentatus. Optime is ſibi conſulet, qui ſtirpes noſtro ſub caelo inoculatos et decore altos, ſi haberi poſſunt, comparaverit, utpote qui, (propria experientia edoctus ſcribo,) vivaciſſimi ſunt, fructuumque copiam fundunt. Amplius neque id ſilentio hic plane eſt praetereundum, arbuſculas, quas Itali ad nos venales afferunt, vaſis modice amplis utilius quam pomario per binos pluresque annos inſeri, usque dum folia emittant et germinent. Obſervavi enim, illas in viridarii area plantatas nequidem poſt tertium annum fronduiſſe; quae tamen effoſſae, indeque in vaſa translatae, ramos et folia protruſerunt.

Lectae ita arbuſculae, pro locorum amplitudine, binis aut ternis ordinibus, ſeptem minimum aut octo pedum interſtitio disiunctis, ea ratione collocentur, ut humiliores priorem, magisque procerae poſteriorem ordinem occupent. Hoc enim niſi fieret, et altiores primo potius loco ſi reponerentur; multum hae obeſſent, quominus reliquae plantae grato ſolis ſplendore, ſalubrique aëris tepore perfruerentur. Adhaec ſalutare comperi, non ſine quodam veluti tegumento arbores illas terrae inſeri. Aſſeribus itaque in quadrum diſpoſitis ita concludo, ut binos cum dimidio pedes diſtent a ſcapo, totidemque ſupra pomarii fundum emineant; hoc praeterea obſervato, ut ordinis poſterioris ciſtae illis, quae in prioribus collocantur, itidem paululum ſint eminentiores. Ita enim, ob vas illud, quod latera ambit, pertuſum, in ipſo quoque pomarii ſolo radices firmiter agere queunt, et tamen extra frigidae terrae viſcera quadantenus conſtitutae, calidiori aëri radiisque ſolaribus ſunt expoſitae liberius: terrae namque portionem, ope vaſculorum aggeſtam, caloris vis citius penetrat et calefacit. Vnde non poteſt fieri, quin arbuſculae hae et florum et fructuum pinguiorum ſint feraciores reliquis, quas neglecto hoc artificio inſtituunt. Huius artificii origo non incommode referri poſſe videtur ad ablaqueationem ſive radicum denudationem, veteribus etiam cognitam. Nemini enim ignotum eſſe poteſt, arbores felicius fructificare ſolere, ſi circa codicem, quae Palladii verba ſunt, dolabra diligenter terra aperiatur, et purgatis omnibus veluti lacus efficiatur, ut ſolis teporibus et imbribus provocentur.


Non pauci cum Dimlero in Pomario ſuo, in ea verſantur opinione, arborum quoque amicitiam eſſe et pacem, quam Sympathiam Graeci appellavere; easque, ſi in vicinia collocentur, laetius aſſurgere. Nihil dicam de tilia, iunipero, palma ſimilibusque, quarum duplex, maris et feminae, genus reperiri traditur; utpote de quibus conſtat, alteram ab altera ſeiunctam infrugiferam fere eſſe: mali tamen punicae non poſſum non meminiſſe, utpote cuius iuxta myrtum plantatae poma maiora ſunt fructibus reliquarum et longe praeſtantiora. Idem fere de chryſomelis atque malis citreis nonnulli affirmant. E contrario dantur arbores, quae omni cura ſunt diſſociandae, ne iuxta ſe invicem poſitae altera alterius fecunditatem impediat, aut prorſus ſterilem reddat. Vitis, quae ulmum amat, alieniſſima eſt a braſſica et lauru: uti viciſſim olus, quo vitis fugatur, adverſum cyclamino et origano areſcit. Inter cannam et filicem bellum viget adeo implacabile, ut hortulanus campum ab huius radicibus purgaturus nihil aliud agere debeat, quam ut vomeri alliget cannam, cum haec penitus enecet id, quod flammis non fuerat conſumtum. Vid. Franc. Mothaei Vayerii Tractatus de la Contrarieté d'humeurs qui ſe trouve entre certaines nations, et ſingulierement entre la Françoiſe et l'Eſpagnole, qui exſtat T. I. Operum p. 163. De quercu et olea teſtatur Plinius Hiſt. Nat. XXIIII. I, eas tam pertinaci odio diffidere, ut altera in alterius ſcrobe depactae moriantur; quercum vero et iuxta nucem iuglandem interire. At haec (quamvis decora ſit et fructus ferat grato ſapore ſe commendantes) non quercui ſolum; ſed et hortis quibusvis valde noxia eſſe perhibetur, niſi quodam in angulo ſola ſuperbiat. In Pomonae enim aut Florae horto conſita, arboribus, floribus frugibusque omnibus umbrâ, quam diffuſiſſimam ſpargit, et odore foliorum fragrantiſſimo inimica eſt. Tale quid etiam in ficu me obſervaſſe memini: hanc quippe cum e regione oleae, et quidem octo pedum interſtitio, ponerem, augeri et frondeſcere; oleam vero per aliquot annos ne gemmam quidem protruſiſſe, aut vel tantillum incrementi cepiſſe, liquido comperi. Non enim aliam oleae decreſcentis aut certe minus laete florentis, cauſſam cum hariolando aſſequi potuiſſem, ficum eruere alioque transferre conſtitui: quo facto olea ſtatim et vigere et florere coepit. Porro ficum ad parietes viridarii plantatam pulcre

florere

florere ac fructus dare vidi et numeroſiores et carnis ſuccique pleniores: at aurantias illo circiter loco poſitas, poma ex ſe generare aut nulla aut pauciſſima, eademque non ſatis pinguia deprehendi: eaedem vero, remotis ficubus, pomorum erant fertiliſſimae. Vnicuique proin auctor ſum, ne ficum in Heſperidum pomariis multam plantet; utpote cuius radices alte in terram deſcendunt, eidemque ultra ſesquiperticam, fibris aliarum arborum implicatae, ſe inſinuant; uti ipſe expertus teſtari valeo. Si quis tamen parietes omnino opere topiario veſtire velit, vel vulgare vel Indicum iasminum, myrtum, laurum ſimilesque, huic uſui convenientius deſtinabit. In cauſſam huius rei inquirenti non alia occurrit probabilior, quam quod ficus, nux et id genus, humores avide imbibentes, nutritium oleae, malis aurantiis aliisque ſuccum ſubducant: *Fame* enim *plantas*, ſcribente Raio in Hiſtoria Plantarum Lib. I. cap. 30, *non minus quam animalia tabeſcere et tandem enecari, minime dubium eſt.* Vti et alias ex nimio alimento obeſitate laborare, Plinio auctore, idem aſſerit. Sed hac de re, praeter laudatiſſimum Raium, reliqui etiam videndi ſunt, quibus in haec talia accuratius inquirendi voluptas fuit et occaſio. Rationum interea momenta ſupplebit Italorum teſtimonium, qui nobis ſaepius ficum acruminibus veneni inſtar eſſe, ingenue faſſi ſunt.

Ceterum Hortorum meorum delineationem, aeri inciſam ſequens pagina exhibebit. Binae illis adiunctae ſunt fornaces, quarum deſcriptionem ibi dare non potui, eo quod in hibernaculis utrinque contiguis, quibus plantae in fictilibus poſitae aſſervantur, conſpicuae, meum hoc ſimul pomarium latenter ſubintrent et calefaciant.




Hesperthusa
Ægle
Arethusa
Ihr Früchte und Gewächs, lobt Gott in frembden Lande;
So wohl als alles das, was lebt in jedem Stande.
Vom Himmel kommt euch Sonn u. Mon, Safft Krafft u.
Himmel düfft aus euch deß Schöpfers Preiß dafür.
Schuh.
10
20
30

CAPVT II.

Quando Heſperidum ſcena claudenda, quando aperienda?

MAximam certe curam adhibeat oportet, qui Heſperidum arbores feliciter plantare diſcupit: at non minori diligentia opus eſt, ut eas hieme ab omni frigore ſedulo conſervemus: praeſertim curandum eſt et providendum, ut earum domicilia, certo tempore contecta, nec ſerius nec citius, quam par eſt, iterum retegantur. Nam arbores commodae implantatas terrae, optimeque cultas, frigus inopinato incidens aut pruina gelidior adurit. Quod ſi ignis nimius accendatur; laetior inde veniens germinum protruſio ſtirpi itidem periculoſa eſt et letifera. Et, ſi horum nihil contigerit, omnibus malis ſtudioſiſſime ſervatis, praepropera feneſtrarum apertura, vel intempeſtiva domicilii deſtructio, aeque noxia eſſe poteſt, ac negligentior per hiemem cura. Poſſunt equidem errores leviores, ſi qui forte admiſſi fuerint, arte corrigi; id quod non niſi crebra experientia addiſcitur; at maiores non ſecus ac morbos atrociſſimos, neque Medici ars, neque remedia exquiſitiſſima, curare aut efficere valent, quin ſaeva mors, curam diligentem nihil morata, plantis arboribusque veniat.

Scenam malorum aurantiarum tempeſtive tum claudemus, cum rore leviter congelato campos obtegi patentes animadvertimus; id quod utplurimum vertente Septembri, aliquando eo ineunte; rarius ſub Octobris initium fieri conſuevit. Atque tum ſine mora ulteriore aedificium pilatim agatur, hoc eſt, pila arrectaria, quae vocant, ſeu fulcimenta parietum jungantur trabibus, tectumque reficiatur, ne arborum fruges, praeſertim tenerae adhuc, pruina conſperſae algeant, medioque deinde vere nigreſcant aut ſaltem immaturae decidant. Et hoc quidem damnum prae reliquis frequenter ſentit malus citrea et limonia, cum utraque mollior ſit aurantia, nec aetatem adeo duratura. Paries meridionalis, ſi ita viſum fuerit, paulo diutius pateat, quo praetenerum lignum hiberno duretur incommodo, et grata dierum autumnalium apricitate fructus gaudeant, neque ipſae arbores foliorum defluvio turpiter nocenterque calveſcant. Pateat autem tantisper, dum acrior autumni tempeſtas et frigora citretum undique claudi jubeant.

Non leve hic damnum parit vulgatus error, quando hibernacula aurantiarum nimia fruticum plantarumque, in vaſis fictilibus ligneisque ſervatarum, copia onerata obruuntur, iisdemque Heſperidum arbores quaſi obſepiuntur: humoribus quippe nimiis hibernaculo repleto, minus libere aër ita rarefactus ibi ventilatur: quae cauſſa eſt, cur ſitu omnia corrupta putreſcant.

Ne

Ne quid dicam de eo, aditu ad ſingulas arbores intercluſo, nos impediri, quominus curam iis debitam geramus, noxiaque avertamus. Accedit et illud, multos in hibernaculis demum fructus ad maturitatem pervenire, qui maximam ingredientibus voluptatem praebent, niſi quidem ſpatium anguſtius tranſitum denegaverit.

Ne autem, aedificio hoc optime licet firmato ac communito, algor vehementius urgens arbores nihilominus laedat, commodum imo neceſſe erit, unam, binas pluresve fornaces, pro loci capacitate et amplitudine, parietibus ita aptare, ut frigidiorem aërem usque quaque calor immiſſus temperet, ne hinc ille tepidior, illinc nimium gelidus, fruges fruticesque ſimul perurat perimatque. Nec tamen requiritur, ut, ſimulatque in area domicilium fuerit exſtructum, focus illico ſuccendatur, ſi videlicet frigus nondum ſit adſtrictius; ſed potius feneſtrae in meridionali latere interdiu, ubi diei ſereni apricitas invitaverit, paululum recludantur ad aërem amoeniorem transmittendum. Eae tamen, vergente nonnihil ſole, mox iterum ſunt occludendae.

Certum ſtatuitur tempus, quo igne foci modico primum ſunt calefaciendi, quando terra algere incipit. Aliis haec experientia placet, ut rigeſcente leviter ſive congelata nonnihil in ipſo hibernaculo aqua, (quam eapropter in vaſculo quodam diligenter aſſervant,) ignem in foco illicò ſuccendant: quem tamen, ſi me audire velint, citius accendi par erat. Majori vero circumſpectione hic utendum, quam quae in domicilii conclavibus calefaciendis vulgo adhibetur. Illud enim Heſperidum domicilium leviter tantum intepeſcat, ne laetiora germina intempeſtive ſubnaſcantur; acrius tamen ſaevientis gelu efficacia declinetur. Videat itaque is, qui felices ejusmodi hortos poſſidet, ne colonus vel familia, cui eam calefaciendae porticus curam demandavit, ſegnius ſuo fungatur officio. Gelu enim vehementius ingruente, accenſus iterum iterumque ignis in fornace excandeſcat; nec e re eſt, ut novo ille pabulo continue alatur, quia nimios calores aeque ac algores reformidant iſtae arbores. Frequenter autem fieri ſolet, ut hortulani, quo in utramque dormire aurem poſſint ſecuri, nec vel media nocte vel horis antelucanis ſurgere e lecto debeant, alimenta igni copioſiora addant. Ita enim ſperant fore, ut calorem diutius foveat pomarii porticus: nec animo ſecum reputant, quantum inde damni in dominum redundet, dum et arbores et poma ſuccus nutritius deficit, ſicque utraque arentia pereunt. Quandoquidem vero nocte ut plurimum intempeſta frigus ingraveſcit, et contra tepor in pomario evaneſcere incipit; ſurgendum eſt hortulano diligenti, frigorique remedium quaerendum. Denique ut aëris mutationes exactius noſcat atque dignoſcat, eundemque in pomarii conclavi rite temperare valeat; thermometron eo hibernaculi loco ſtatuendum, quo ſolis radii non penetrant, ut Mercurius vel liquor aſcendens, aut deſcendens, quoto gradu gelu ſit intenſum vel remiſſum, indicet.

Thermometra parandi rationem, variaque eorundem genera exhibuerunt clariſſimus quondam Noricorum Archimedes, Ioannes Chriſtophorus Sturmius in Collegio Experimentali ſive Curioſo; item Chauvinus in Lexico Philoſophico; et Anonymus in Tractatu peculiari de hoc argumento tum Gallica tum Germanica lingua edito; qui, cui volupe, videri et conſuli poterunt.

Iam

Iam vero etſi inficiandum non eſt, uſum aliquem eſſe Thermometrorum in obſervandis aëris mutationibus, caloris frigorisque incrementis ac decrementis quotidianis, imo horariis, nihilominus tamen fieri poteſt, ut ignis minus idoneo tempore vel ſubjiciatur, vel removeatur. Indicandum itaque paucis eſt, ut iſti per incuriam admiſſi hac in parte errores corrigendi: Aeſtu ſupra modum aucto, feneſtra aperienda, et aër frigidior admittendus, qui illum temperet. Quod ſi ex altera parte peccatum, et focus iuſto ſerius accenſus fuerit, frigore praeſertim praeter exſpectationem acrius urgente, ita ut et fruges et ipſa terra induruerint; errato erratum adderet, qui ſubjecto plurimo igne calorem vehementius augeret: perderet enim et fructus et arbores. Rectius vero is aget, qui modico hibernaculum tepore externo et adventitio, quem vix ac ne vix quidem ſentias, adimplet, ut adeo ſenſim illae regelare, et ab interitu vindicari queant. Illuſtris apud Amſtelodamenſes, dum viveret, Senator, et Horti Medici Curator ſplendidiſſimus diligentiſſimusque, Dominus Ioannes Commelinus, in ſuis Heſperidibus Belgicis memorat, cum Anno 1669. in horto cujusdam amici aurantiorum ſtirpes frigore paene conſumtae fuiſſent, illas dicto modo feliciter non tantum fuiſſe conſervatas mortique ereptas; ſed et fructus earundem proxima aeſtate citius quam alias maturuiſſe. Haec cum ita ſe habeant, neceſſe erit, ut ad frigoris inclementiam arcendam et feneſtrae et valvae ligneae, quam fieri poteſt diligentiſſime obſtruantur. Quod tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi neque circa meridiem, ſolis ſplendore invitante, eſſent recludendae: imo potius perquam utile erit, ſi valvae tum paululum removeantur, quo gratiſſimum Phoebi lumen, vitra penetrans, malos iſtas refocillet.

Sunt, qui hibernacula ſub veris initium majore ignis gradu calefieri ſuadeant, quo nova citius germina et flores protrudant mali, et fructus tum praecociores, tum maturiores proferant. Suo illi per me abundent ſenſu: alterius autem me eſſe ſententiae haud poenitet; perſuaſus enim ſum, noxium hoc eſſe arbuſculis; quandoquidem non ſucci illae naturalis tantum habent, ut ſponte ſurculi prodeant. Calor itaque exaeſtuans eos protrudit; qui deinde, aura frigidiore ſpirante, (id quod noſtris in regionibus circa Maji et Iunii menſes interdum contingit) flacceſcentes decidunt, ipſius etiam arboris viribus nimium quantum deficientibus. Non inficias equidem ibo, illo artificio iis in locis, ubi aër ferventior, tuto quem uti poſſe; aliter vero pronuntiandum eſt de noſtra plaga, jam magis verſus Hyperboreum Septentrionem vergente. Non ſemel obſervavi, arbores vi ignis non adactas, cum Iano ſub anni initium gemmulas ſponte protuliſſe, quae menſe Majo flaveſcentes, antequam in florem abirent, deciderunt. Contra eas florum gemmas, quas domo nondum deſtructa, valvis feneſtrarum adapertis emiſerunt, aetatem tuliſſe memini.

Praeterea et diuturniores hibernaculi carceres cum aliquo fruticum damno ſunt conjuncti. Tempeſtatis proinde ratio eſt habenda, eaque ſerena ac miti, aër admittendus, qui noxios vapores expellat et repurget, ſicque putredinem imminentem arceat. Ceterum ubi poſt diuturnam aëris excluſionem vaporum tenues exhalationes laquearia et partes hibernaculi ſuperiores petant, id quod in pomariis loco humidiore ſitis frequenter fieri ſolet, linteo perticae affixo ſedulo abſtergendae: hac enim ratione patellam, ar-

boribus ex iſtac vaporum conſperſione metuendam, quam facillime arcebimus.

Poſt Purificationis Mariae feſta ſollennia non amplius adeo crebro fornaces igne incandeſcant: quin potius, quamprimum terram adſtringere gelu ceſſat, ſpiracula interdiu, ſed non niſi äëre radiis ſolaribus temperato, ſint laxanda; et primum quidem unica feneſtrae ſuperioris ala, deinde ea integra pandatur, usque dum mali, liberioris jam aurae nonnihil patientes, plures aperturas recludi expoſcant. Menſe tamen Martio, qui utplurimum alget, feneſtrae omnino clauſae teneantur; nec prius aperiantur, quam placidi ſolis ignes leniorem nobis tempeſtatem ſpondeant. Sed et hic modus tenendus, quem ipſa ratio praeſcribit, nec fines,

quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum,


ſunt egrediendi. Menſe autem Aprili, ſicubi caeli ſerenitas favet, feneſtrae liberius pateant; non tamen ſimul omnes: quae tum demum patefaciendae, cum gelidae pruina noctes tellurem ulterius inſternere ceſſant, et tempora magis amoena redeunt. Poſſumus etiam, Aprili abeunte, praeter valvas et feneſtras, in latere meridionali unum alterumque aſſerem refigere. Integra vero domus, menſe demum Majo deſtruenda, in futuros uſus loco a pluviis tuto reponitur.

Nonnulli hirundinis adventum, certum eſſe et indubium veris benigni ſignum autumant; atque tunc vaſa arbuſculis conſita ex hibernaculis proferunt, et in aura libera ſtatuunt. Hirundines vero tempeſtatis indices indubias non eſſe, noctes illarum adventum ſecutae, multaque glacie et pruinis rigentes, nos docuerunt. Servant tamen aviculae illae ſua tempora, ſuoque nobis adventu ſi non certo, quadantenus tamen, primam aeſtatem denuntiant: quemadmodum etiam humilius volantes, ac terrae ſtagnisque veluti incumbentes, pluviam praedicere cognoſcuntur. Cauſſam hujus rei in eo quaerendam eſſe cenſeo, quod aër pluvioſus, utpote particulis aqueis craſſioribus repletus, ſuo culices ac muliones pondere deprimit. Haec itaque animalcula minutiſſima ut venentur, ſibique eſcam parent hirundines, inferiora quoque petant loca neceſſe eſt; quae caelo ſereno altius iterum contrariam ob cauſſam volant, quod videlicet aëri tum puriori culices inerrant.


Quod ſupereſt, non ingratum, uti ſpero, Benevolo Lectori ſpectaculum Hortos Heſperidum Salödienſes, deſcriptos aerique inciſos hic ſubjicere volui, prouti circa lacum Benacum coluntur. Horum alii ſimplici quaſi ordine gaudent; alii ita ſunt inſtructi, ut primum ſecundus et tertius excipiant, poſterioresque anterioribus emineant: in radice quippe montis ad lacus ripam conſiti ſunt. Quae res non ſolum oculos paſcit, ſed et arborum fecunditati multum prodeſt, cum ſol, ſuo cuncta lumine refocillans, ad omnes rectius penetrare, gratoque adſpectu ſingulas recreare valeat. Longitudinem centenum plerumque ſpatio pedum, imo nunc longiore nunc breviore pro loci natura ac ſitu, definiunt. Latitudinis eam communiter rationem habent, ut bino arbores ordine commode ſtatuantur. E binis aut trinis Heſperidum porticibus ſibi invicem contiguis, prior ſemper patula eſt, nec hiberno tempore aſſeribus operitur: ea plantas excipit promiſcuas viliores que; itemque malorum auriferarum vulgatiores, quas, praeter reliqua hujus arboris

delicatioris

delicatioris genera, frigidiorem auram non expaveſcere ſciunt. Secunda ac tertia porticus teneriores ejusmodi majorisque pretii arbores ſervat, ſatas tum in vaſis, tum in ipſo ſolo. Ordo hujus anterior non raro citreis muro applicitis loco operis topiarii ſuperbit: poſterior malos limonias recipit et aurantias praeſtantiores. Porro utraque porticus, et ſecunda et tertia, muro praecingitur pectorali, cui columnae innituntur lapideae, in figura addita *Lit. C.* notatae, quae per integrum annum ſub dio pernoctant. Cum terra pruina concreſcere incipit, pilis arrectariis aſſamenta illis prorſus aequalia, utrinque firmiter conjungunt Itali; iisdemque cardines ſive ancones ferreos *Lit. D.* applumbant, ex quibus valvae januarum inuncatae dependeant; has deinde pro tempeſtatis varietate modo obducunt, modo removent. Feneſtrarum quidem repagula, nobis in plaga ſeptentrionali uſitata, ignorant: omnes tamen rimas, quam poſſunt diligentiſſime, obſtruunt. Quod ſi neque ſic ſatis tutae ſunt arbores, et penetrans frigus noxam, id quod raro fieri ſolet, illis minatur; foſſas praelongas euripi inſtar, variis anfractibus ſciſſas, ducunt, quas prunis deinde candentibus replent. In medio hortorum ſtipites et pilas ligneas in terram plures defigunt, *Lit. E.* quibus tectorum contignationes innitantur. His aſſeres *Lit. B. B.* inſternunt, quos magna cum cura, tempeſtatis rationem habentes ſaepius iterum tollunt. Simulatque enim laetiſſimum ſolis lumen hiemis rigorem ita temperat, ne interdiu algeat; et valvas laterales et aſſeres nonnullos a tecto auſerunt, quo Phoebi ardore arbores nonnihil incaleſcant. In poſtremis pomarii partibus, poſt tertiam porticum exſtructae ſunt pergulae, *Lit. G.* in quibus per aeſtatem materiam, domui iterum excitandae neceſſariam, recondunt.



 CAPVT III.



CAPVT III.

De Aquae utilitate, et ſedula arborum irrigatione.

PRima illa rerum Principia, quae Elementa vocamus, plantis arboribusque incrementa dare, in confeſſo eſt;

Quippe ubi temperiem ſumſere humorque calorque,
concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumque ſit ignis aquae pugnax; vapor humidus omnes
res creat, et discors concordia foetibus apta eſt.

Neque vero putandum eſt, vel ignem vel aquam excluſis reliquis quidquam valere: primarias illis partes demus; ceterum et reliqua in hanc laudis ſocietatem ſunt admittenda. Recte Ariſtoteles L. II. de Gener. Anim. Cuncta pluribus nutriuntur. Etenim quae videri poſſint maxime ſola nutriri aqua plantae, pluribus nutriuntur. Miſcetur enim aqua terrae; quapropter agricolae admiſta ſpurcitie plantas irrigant. Arbores, foliorum ac frugum ornatu per hiemem ſpoliatae, ſatis ſuperque teſtantur de imminuto ſolis a vertice noſtro paululum declinati calore: cum quid aeſtus aeſtate valeat, eaedem frondibus veſtitae loquantur. Pluviarum fertilitatem oborta, illis ceſſantibus, ſiccitas abunde comprobat. Specus ſubterraneae ſteriles, utpote in quibus tum plantis tum hominibus ſpiritus praecluditur, de uſu et neceſſitate aurae liberioris non dubitabile praeſtant experimentum. Et quis adeo perfrictae eſſet frontis, ut negare ſuſtineret, terram fertiliſſimam omnium eſſe matrem, quae ex ſinu ſuo gramina, frondes, fruges, arbores, genere infinitas proferat? Haec quamvis indubia ſint; eruditis tamen dubio non caret, cuinam elementorum primas adſignare partes conveniat. Acriter inter ſe certant, a quonam ex illis plantae et arbores, ſuccum, vires, incrementa, verbo, ipſam eſſentiam pariter atque exiſtentiam capiant? Thales Mileſius, unus e ſeptem Graeciae Sapientibus, cum aquam initium omnium rerum ſtatueret, definire hoc litigium multum laboravit. In illius ſententiam non pauci deinde eruditorum conceſſerunt, et ex aqua conſtare omnia, tum rationibus tum experimentis adſtruere conati ſunt. In quam rem Iſidorus L. XIII. Etymolog. c. 12. ſcribit: Aquarum elementum ceteris omnibus imperat. *Aquae enim caelum temperant; terram ſecundant: aërem exhalationibus ſuis incorporant; ſcandunt in ſublime, et caelum ſibi vindicant: quid enim mirabilius aquis in caelo ſtantibus? Parum ſit in tantam perveniſſe altitudinem; rapiunt et ſecum piſcium examina, effuſae omnium in terra naſcentium cauſſa fiunt; fruges gignunt; arbores, frutices, herbasque producunt; ſordes detergunt; potum cunctis animantibus tribuunt.* Inter ceteros vero huius opinionis patronos Joannes Helmontius, qui a bene multis magni nominis Philoſophus ac Chymicus habetur, ſingulari quodam experimento idem evincere, atque evidentiſſime probare ſtuduit, omnibus omnino ſolam plantis aquam et vires et incrementa afferre. Terrae in foco diu ſatis exſiccatae libris ducentis vas fictile replebat, eique ſalicis codicem quinque pondo inſerebat; ipſum vaſculum ferreo, eoque perforato, operculo communiens, terramque, cum uſus poſtularet, aqua pluvia irrigans. Poſt quinque annorum decurſum ſalix eradicata centum ſexaginta novem pondo cum unciis tribus pendebat; terrae vero probe, ſicut antea fuerat, iterum arefactae pondus ducentarum librarum, nonniſi duabus unciis deficiebat. Quo ipſo firmiter ſatis probatum eſſe credidit Helmontius, ſali-

cem, quae centum ſexaginta quatuor libris aucta erat, tantum augmenti non e terra, ſed ex aqua pluvia cepiſſe. Haec autem utcunque ſe habeant, de eo tamen dubitare non poſſumus, non quamlibet irrigationem plantis, praecipue malis aurantiis, citreis, ſimilibusque commodam eſſe. Itaque eius etiam certus modus eſt tenendus, ratione tum temporis, tum ipſius aquae.

Ad hanc quod attinet, aqua putealis, ſive fontana, maxime recens hauſta, utpote durior, et radiis ſolaribus nondum mitigata, ad plantas irrigandas nullum plane uſum praeſtat. Quod ſi vero, alia deficiente, omnino eſt adhibenda, per unum alterumque illa diem ſoli exponatur, nonnunquam et ſtercora ei admiſceantur, neceſſe eſt, quo aliqua pinguedine veluti macerata leniatur, uſuique apta reddatur. Stagnans item, quae pigritia vitium et foetorem concepit, ob craſſitiem ad irrigandum prorſus inepta habetur. Fluviatilis, canalibusque immiſſa, et mollior eſt, et arboribus laetior. Aqua vero pluvia ad hos uſus omnium eſt praeſtantiſſima, quippe caeli quaſi halitu foeta, ideoque diligenter colligenda, et aſſervanda.

Quando, et quantum aquae arboribus ſit affundendum, equidem pro certo dici non poteſt. Vtrumque tempeſtas, ipſaeque arbores vel in nudo terrae ſolo, vel in vaſculis conſitae; liberiori aurae expoſitae aut in hibernaculis reconditae, rectius certiusque determinabunt. Exaeſtuante itaque ſolis calore videndum, quam ſiticuloſa ſit terra? Atque tum pomiferis hisce arboribus, maxime ubi in teſtis aliisque vaſis ſunt depactae, veſpere ſingulis diebus aqua recte affunditur: ſi vero dies non adeo ſint aeſtuoſi, ſufficit, ſi poſt unum alterumque diem id fiat: interim nihilominus cura ſedulo agenda, ſi fortaſſe terra citius irrigationis officium inſolata requireret? Qui humum aqua non prius perfundendam cenſent, quam arborum folia nonnihil lenteſcant, iuſto ſerius hoc fieri ſuadent. Ceterum binae regulae generales, nunquam negligendae, hic dari poterunt: 1.) Arbuſta ſole adhuc calente ne irrigantor; 2.) Aquam frigidam ne affundito: haec enim radicibus, algore inhorrentibus, quendam quaſi rigorem inducit, efficitque, ut comae arbuti flaveſcentes defluant. Huius defluvii cauſſa nonnunquam nimia etiam humectatio eſſe ſolet.

Iam quod ad humectationis modum attinet et menſuram, tantum aquae plantis, in vaſe fictili vel ligneo ſatis, affundendum, quantum terra imbibit, donec per illud foraminibus contuſum effluat. Illa proinde rhythia in tignis, in crucis modum compactis, ſtatuantur, ne putredo eadem inficiat: ſic enim et radicum vigor integer ſervatur, et aër facilius terram permeare valet. His contra neglectis, nimii tubera humores in vaſorum fundis excernunt, quae obſtruunt foramina, et aſſerculos rancore corrumpunt. Cavendum etiam eſt, ne prioribus ſublatis, nova ſuccreſcant. Quemadmodum vero arbores, diotarum hoſpites, exaeſtuante caelo aquae ſitientes ſunt quotidie; ita quae in ipſo pomarii ſolo ſunt radicatae, urente licet ſolis aeſtu, et aethere imbrem per aliquot hebdomadas non dante, non niſi poſt alterum, tertium aut quartum diem irrigationis beneficio ſunt recreandae. Quo autem omnem hic errorem praecludamus, certiusque noſcere valeamus, quando terra ſit humectanda; effodiatur paululum terrae, quae ſi nullo amplius humore madeat, demum irriganda. Tantum vero aquae miniſtretur, quantum tres quatuorve gutti capiunt; ſed ita ne praecipiti inundatione terra circa ſtipitem viſcidior reddatur, et luteſcat, eaque ipſa, quae radicibus ſaluti eſſe debebat, mortem putridam acceleret. Melius ille arboribus conſulet, qui ſingulis eiusdem ordinis, a primis ad ultimas progreſſus, undae urnulam affundat; quo peracto ad primas redeat, et, dum priores terra humores hauſit, alterum congium adſpergat. Si liberaliores hoc in officio fuiſſe nobis videmur; effodiatur paululum terrae circa ſtipitem, quo, illa citius exſiccata, ab arboribus putredo arceatur. Cum florere incipiunt, et novellos pomorum foetus

produ-

producere, irrigationes noſtris in terris frequentiores ad frugum incrementum requirunt: alibi enim, ubi primo ſtatim vere florent, aurantia verno ſatis humentia ſucco adventitius et ſuperfluus liquor emollire ac ſolvere ad lapſum creditur. Porro et citreis et aurantiis in pomario quidem depoſitis, ſed quadrato ex aſſeribus ſepimento eminentiori uti capite I. dictum eſt, circumdatis, tempeſtate etiam pluvia, tempeſtiva eſt rigatio. Foliorum enim corona imbres excipit, ab iisdemque nonniſi guttulae in ciſtas defluunt: maxima vero imbrium pars viciniam petit. Hinc terrae ſuperficie parcos imbibente humores, altius illi ſe inſinuare, totamque inebriare nequeunt.

Circa hibernam rigationem ſequentia ſunt notanda: 1) Eam non adeo copioſam eſſe debere, ut aeſtiva; cum modicum radices humorem deſiderent. 2) Tellurem circa ſcapum paulum eſſe egerendam, et alveum rotundo ambitu, unius palmi ſpatio a codicibus, ducendum, qui undam recipiat; ne ex hac, ad truncum usque defluente, truncus vitietur. 3) Aquam frigidam his uſibus incommodam eſſe, eiusque loco tepidam adhibendam: et quidem 4) in cacabo non aereo, ſed alio quocunque calefactam. 5) Ipſo rigationis tempore aërem quoque, niſi frigidiſſimus fuerit, paulum intromittendum, qui a noxiis hibernaculum humoribus purget, cum illi copioſiores ex inundatione plerumque adeſſe ſoleant. Ante omnia vero videndum, ne unda conglaciet. Quidam, quos intempeſtiva vexat ſapientia, nive etiam circa malos aurantias citreasque copioſa terram contegunt: ſed experientia, optima rerum magiſtra, inſcitiae eos arguit, dum his praecipue maximum a nive periculum imminere compertum eſt. Non negamus, quod maximis graviſſimisque naturae myſtis proditum eſt, nivem hibernis prodeſſe; cum vel noſtri agricolae ex nivium copia de anni fertilitate ſtatuant. Externo enim frigore concluditur intus calor et augetur, ſuborientium herbarum maleficia tolluntur; frugum luxuria et praecoces exortus prohibentur etc. Adeo ut plantis fruticibusque duriore ſub caelo natis nix potius proſit quam noceat. At de noſtris Heſperidum malis aliter fortaſſe pronuntiandum. Hae enim ex calidiſſimo ad nos ſolo allatae, jucundius hoſpitantur, ubi ipſa etiam terra, cui inſitae, aëri ſemper tepidiori et quidem libero eſt expoſita; nec illius exhalationes unquam reprimantur. Quod ſi vero quis nihilominus a nive his venire malis fecunditatem exiſtimaverit, caveat tamen 1) ne illam copioſam addat. Thomae Bartholini ſententiae hic ſubſcripſiſſe non poenitebit: *Notandum tamen,* ſcribentis, *copioſam nivem fecunditati eſſe inimicam, ſi diutius iuſto terrae incubuerit. Suffocat enim extinguitque frigore continuo vitalem frugum herbarumque ſuccum, ut nimium concluſus putreſcat, et enecentur plantarum radices. In exoticarum plantarum cuſtodia ſaepe hoc damnum deploravimus, quae copioſa nive, etiam fimo diutius tectae, emarcuerunt. Moderatum frigus conſervat, nimium deſtruit, diutiusque nix imminens, ingelu denſatur, benigno aëre ſupreſſo.* Conf. Bartholini Tract. de Nivis uſu Medico capp. 2. 3. et 10. ubi de nivis fecunditate et pinguedine plura habentur. 2) Caveat, ne ipſi ea codici applicetur: quam cautelam paulo ante etiam affundentibus aquam dedimus. Ratio ex antecedentibus facile patet. Obeſt enim nix, quominus aër tepidior malorum radices exhilaret; cum illae, exhalationibus vaporum impeditis, facile noxam patiantur; ſuccus enim earum corrumpitur, ita ut arbor non poſſit non intercidere atque emori.

CAPVT IIII.

CAPVT IIII.

De Terra, plantationi malorum citrearum et aurantiarum apta.

QVamvis negandum non ſit, et Helmontii experimentum, capite praecedente relatum, ſatis ſuperque evincat, ab aqua maxime plantas arboresque incrementa capere; non tamen idcirco aquae ſoli iſta omnia accepta ſunt referenda. Terrae etiam ſuae partes, ſuaque utilitas tribuendae. Haec enim omnium mater ideo dicta veteribus, quod omnia nutriat, niſi humores imbiberet, et ad radicum fibras ſenſim leniterque diffunderet; niſi ſuo illos ſinu reciperet, eosdemque ſummis ramorum cacuminibus diſpenſando erecta haec ſervaret; et radices certe putredo mox vitiaret, et ſuperbum horum decus facile ſubverteret. Vt vero non omnem aquam his rigandi uſibus aptam comperimus; ita aliae arbuſculae aliud ſolum amant; hae uliginoſum et argilloſum; iſtae ſiccum et arenoſum; illae ex binis temperatum et medium quaſi inter utrumque. . Nemini itaque mirum videri debet, arbuſculas e peregrino ad nos ſolo perlatas, humique noſtrae depactas, raro admodum radices agere et germinare; utplurimum enim emoriuntur, aut certe modicos tantum fructus proferunt, modiceque fertiles ſpem commodi aut lucri vehementer fallunt. Ita nimirum eſt, non omnis fert omnia tellus; et in agro ſatis pingui tenuis minusque larga interdum avena eſt, atque meſſis nimium macilenta. Equidem iſtac felicitate gaudere Galliam, eamque feraciſſimam rerum omnium eſſe vult Renatus Rapinus: non tamen ceteroquin negare poteſt, ſuas cuique regioni eſſe divitias peculiares.

Quanquam multo generoſos palmite colles
inprimis longo tollat Burgundia tractu;
quanquam pomiferis laetetur Neuſtria campis,
Belſia frumentis ſit opima, Bigerra metallis,
Benharnus nemoroſa, racemiferique Tricaſſes,
nutritor pecorum Biturix Arvernus equorum:
Eſt tamen omne ſolum Francae telluris alendis
hortorum arboribus, rurique inſigne colendo.

Negare itidem non potuit, cum ſub initium operis aptam horto parando tellurem eſſe quaerendam praecipiat, opus eſſe, ut diligens agricola noſcat cultus habitusque locorum; et ſi haec glareoſa fuerint ac ſterilia, jugi eadem ſtudio et arte indefeſſa fecundare calleat; qua laude noſtri coloni, illas agri Norici partes, quas ab allii ceparumque proventu, das Knoblauchs Land/ ſive a planitie et jucundo oculis proſpectu der Lug ins Land vocamus, incolentes, praeter ceteros ſunt conſpicui. Ager ſabuloſus eſt; ſed arte ita excultus, ut fructus varii generis ferat et copioſos et laetos, certantes cum iis, quos pinguior in regionibus vicinis gleba produxit, aluitque. Multo magis vero ab hortulano perito requiritur, ut, quibus ſe terris plantanda educandaque planta, e ſolo peregrino hoſpes, praecipue citrus et malus aurantia, indulgeat, quove ſolo ſit contenta, quo non? exacte dijudicet. Cumque ſaepius eveniat, ut terra, e qua in noſtrum pomarium arbuſcula eſt transferenda, longe ſit diverſiſſima ab ea, quam nos colimus; neceſſe eſt, ut hanc pro illius uſu mitigare idem ſciat ac temperare.

Naturam

Naturam ſoli peregrini partim tactu, partim guſtu, haud difficulter dignoſcemus. Eius enim glebae radicibus adhaerentes ex Italia una cum ſtirpibus ad nos perferuntur: quae digitis contrectatae limoſae vel argilloſae, itemque guſtu ſubdulces deprehenduntur: at terra, noſtris praecipue in regionibus, magis glabra eſt et arenoſa, ſubacidoque linguam ſapore nonnihil conſtringit. Multum vero et noſtra inter ſe pro locorum varietate differt; quam niſi miſcere, atque ſic cuicunque malorum aurearum generi commodam reddere, intelligat hortulanus, parum laudis meretur.

Quidam Italiae incolae, quos Batavi ſequuntur, terram cum fimo equino vel bovino, et eo quidem trimo, permiſcent: at nos heic locorum fundum terra obruimus, e lignorum ſecamentis putribus facta, laetaminis minimum addentes; eo quod hoc non minus detrimenti afferat, quam cornuum raſura, ſive ſcobes corneae, quas ungularum fimum appellant. Optimum factu eſſe comperi, ſi ſolo noſtro communi adiiciatur terra, multa pinguedine glutinoſa. Haec ubi defuerit, vices eius ſuppleant purgamenta, ſive glebae terreae viſcidiores, quae ex canalibus et ductibus aquaticis, quotannis egeruntur; maxime ubi tres illae pluresve annos coacervatae multum graminis emittunt. Horum purgamentorum uſus tunc erit maximus, quum arbores ſunt inſerendae. Miſta enim cum terra e ſcrobe egeſta, et una cum hac in ſcrobem revocata, demerſas radicum, fibras optime nutriunt, iisdemque ſuccum praebent egregium.

Nec minus utiliter folia malorum eiusmodi decidua, quae in unum locum congeſta computruerunt, cum ſolo noſtro permiſceri, a multis annis obſervavi.

Sed quaeritur, quando hae mali ſtercorationem exigunt; ſive quo anni tempore terram laetari oportet? Verno id commodiſſime fieri cenſeo, cum humores humi frigore depreſſi ad illius rurſum ſuperficiem redeunt, per trunci poros ad ramos et folia enituntur, ipſasque arbores hieme intermortuas denuo vegetant, et nova quaſi vita donant. Tum enim debilior eſt terra, eo quod portiones eius praeſtantiſſimas radicum fibrae exſuxerunt, et ad arborum ſaginam transmiſerunt. Ne igitur alimenta illis pinguia deſint, ipſeque ſuccus nutritius deficiat, laetamen ſolo, vel eius loco glebae glutinoſae ac viſcidae, ſunt addendae, quae novam germinum prolem concipiant ac protrudant. Fiat hoc, ſi ita lubet, menſe Februario. Regula enim eſt agricolarum:

Wann kommt das Feſt Sebaſtian/
ſo lauft der.Safft den Båumen an.

h.e. *Adveniente die, celebrant quo feſta Sebaſti,*
plantis humor alens arboribusque redit.

Si quis fimum citius, ipſo adhuc auctumno, adhiberet, hoc utiliter fieri, mihi perſuadere nequeo: cum hac laetificatione gemmae ante tempus eliciantur, praeſenti arborum periculo. Illi vero plane audiendi non ſunt, qui ſtercorationem frugiferarum arborum omnino ſuperfluam iudicant, eo quod in campo patente poſitae, neque unquam propter loci diſtantiam laetificatae, nihilominus vireant quotannis, fructuumque magnam copiam fundant. Addere poſſunt, quod Melitenſes coloni, quorum tamen ager pomorum punicorum feraciſſimus eſt, nullo unquam campos laetamine conſpergant. Hos itaque ſcire velim, Melitenſem agrum ſub caelo ſitum eſſe calidiſſimo: quod ſi ergo laetamen, cuius pinguedo calorem fovet, adderent, hic intenſior terram, ut ipſi aiunt apud Ferrarium, inebriaret et venenaret. Loci enim temperies quo calidior, eo parciorem; et quo frigidior, eo frequentiorem ſtercorationem exigit, uti idem auctor ſapientiſſime cenſet. Nam ibi et terra argilloſa, et aër multa pinguedine nunquam non eſt repletus; quibus fecunda redditur terra citra ullius laborem: haec quippe particulas pingues in illo volitantes attrahit, tantamque earum copiam imbibit,

bibit, quanta ſufficit arboribus alendis. At noſtris his regionibus, quibus et caelum et terra per hiemem clauſa, gratuita iſta impraegnatio ceſſat. Alia itaque via eſt tentanda. Quod vero ad primum attinet, Sapientiſſimi inde Creatoris providentia iure merito eſt agnoſcenda, ſummisque laudibus celebranda. Is quippe adeo ſcite prudenterque etiam hac in parte omnia ordinavit, ut foliorum veſtis, qua arbores ſingulis annis ornat, auctumno defluens, et hieme putreſcens, ipſas foveat, terram iisdem circumiectam ſaturet, fructibusque incrementa novis det praebeatque. Sufficeret quidem hoc ipſum et ſativis hortorum hoſpitibus: at quoniam area ſemper comta magis arridet, a foliorum ea defluviis indies purgatur, ſicque arboribus nutrimentum denegatur. Hoc itaque ſarcire debet laetamen, quo ſolum tenue ac macilentum habeat, quod plantis tribuere, unde ſe ſatiare, frugumque augmenta et copioſiora et ſuaviora provocare poſſit.

Parcum frugum proventum vulgo adſcribunt arborum vacationi et quieti; eas enim ſteriles communiter perhibent ceſſare, ne jugi partu enecentur. Hanc vulgi fabulam iam quidem nec affirmare nec refellere in animo eſt: illorum interim ſententiae ſubſcribo, qui eam potius ſterilitatem colonorum negligentiae et culturae intermiſſae ut plurimum tribuendam eſſe confirmant. Debitum ſtatis temporibus laetamen non adhibent, putationem omnemque curam peſſimi omittunt, arborum, (quod mihi huius farinae homo fateri non erubuit,) ratio ut habeatur, ad ſe nihil pertinere exiſtimantes, ſibique ſufficere, ſi ſolum recte diligenterque colatur. Non itaque mirandum, ſi arbuſta, vix perfunctorie culta, laſſentur et ſterileſcant, vel, ut dici ſolet, fructus emittere ceſſent.

Equidem non negaverim, arbores non ſingulis annis fructus facere; ſed longe diverſiſſima ſubeſt ratio. Nunc enim pruina flores conficit et gemmas abolet; nunc varii generis inſecta, ut erucae, inſectantur; nunc rubigo aut urens caeli facies adurit: Quamvis pleraque haec coloni diligentia mala tempeſtive averti, ſedula pomarii cura cunctis mederi, ſicque horti hortorumque inquilinis plurimum conciliari poſſe gratiae fertilitatisque, dubitandum plane non ſit. In primis vero tum, cum poſt aliquot annorum eorumque fertilium ſpatium, terra videlicet emaciata infirmataque, arbori ſagina deeſt, omnino curandum eſt, ut nova ſolo addatur, ſuoque tempore illud laetamine vel alia ratione, uti ſupra dictum eſt, reficiatur. Hospites praeſertim, ex pingui arvo noſtrum in ſolum arenoſum translatae, hanc ſibi curam poſcunt. Pinguedinem enim ſemper amant; quam cum ex ſterili arena haurire nequeant, ea profecto poſt unum alterumque annum aliunde iterum ingerenda. Deprehendet autem quilibet, malos aurantias ex laetaminis defectu poſt tertium quartumve annum rariores ferre flores: qui ſtatim copioſiores iterum proveniunt, ubi fimo eae ovillo, et quidem temporis longinquitate mucido, ſaturatae fuerint.

Cum igitur maximam culturae partem abſolvat laetificatio; ipſum neceſſario ſolum eiusdemque pingue, certo quodam experimento eſt explorandum, quatenus arboribus ſerendis aptum ſit? Experimentum hoc eſto: Fiat ſcrobs, terraque foſſilis alicubi ad tempus coacervata, deinde iterum in eundem revocetur. Hanc ubi ſcrobs ille non amplius omnem ceperit, bonam, praepinguem, aëreque impraegnatam, iudicaveris: ſterilem vero et ab aëre exſiccatam, adeoque uſibus noſtris ineptam, iure optimo dixeris, quae reducta ſcrobem non ad ſummum usque marginem complet, utpote multo nunc quam antea compreſſior. Denique ſi terra ita adaequet ſcrobem, ex quo illa eſt egeſta, ut neque redundet illius quidpiam, neque huius capacitas maior ſit quam pro terrae quantitate; ea habetur optima, malisque Heſperidum inſerendis quam maxime accommoda; utpote inter pinguem et macilentam media.

Poteſt

Poteſt etiam ſoli pingue hac ratione diiudicari. Vas fictile terra compleatur, eidemque affundatur aqua: quod ſi illa immota multo nihilominus limo fuerit viſcoſa, bene eſt: Sin vero glareae inſtar ſubſidat, aqua ſemper pellucida neque tantillum turbida; parum ex ea fertilitatis ſperandum. Alii terram aqua perfuſam ſubagitant; poſtquam deinde haec iterum ſubſedit, aquam deguſtant; quam ſi dulcem experiuntur, illam plantis convenire ſtatuunt; uti e contrario inhabilem pronuntiant, ſi aqua ſubacida fuerit.

In univerſum ſciendum eſt, terram pro plantarum varietate variam eſſe poſſe ac debere. Statuimus interim et pro certo affirmamus, malos citreas aurantiasque, de quibus hoc in libro nos acturos Bono cum DEO conſtituimus, terram amare dulcem ac limoſam. Qualis reliquis conveniat, alii diſpiciant; cum hac ſuper re multis diſceptare verbis mihi neque libeat neque vacet.

CAPVT V.

Variae circa aërem obſervationes, ut plantandis ille, transferendis hibernandisque malis aureis conferat.

Aërem elementorum eſſe praecipuum et utiliſſimum, quod reliqua omnia omnino penetret, eorundemque naturam et indolem conſervet, in confeſſo eſt. Ignis praefocatus extingueretur, niſi eum aër ſufflaminaret aleretque. Aquam moveri, non aliunde fere eſt, niſi ab aëre. Et cui hodie amplius ignotum, huius illam preſſione attolli, ut ſurſum tendat, cum naturali ſua gravitate deorſum feratur? Terrae, intimisque ac profunde latitantibus huius partibus, aër itidem ſe inſinuat: id quod ex eo ſatis conſtat, quod eam non raro findat, concutiat, ſubvertat, uti crebriores terrae quaſſationes hinc inde obviae abunde teſtantur. Nec quenquam adeo hoſpitem fore reor, qui animantia cuncta, ipſosque piſces, oceani et aquarum habitatores, aëris beneficio vivere, eoque ne puncto quidem temporis carere poſſe neſciat. Plures eosque admirandos aëris effectus, et innumera, a celeberrimo Magdeburgenſium Conſule, Ottone Guerikio, ope Antliae pnevmaticae ab ipſo ingenioſiſſime inventae, inſtituta experimenta lubens ſciensque hic praetereo. Plantae, arbores herbaeque omnes, aëre non magis carere poſſunt quam homines. A binis illis Viris excellentiſſimis, Marcello Malpighio et Nehemia Grevv, plurium pro aëre et ſucco nutritio recipiendo vaſorum viſcerumque compage, (quam diligenti plantarum ſcrutinio et anatome obſervarunt,) eas eſſe donatas, didicimus. Ea ergo vaſcula augendis, vegetandis colendisque arboribus inſerviunt: Quae, utriculorum fibris minus curate cuſtoditis, ſi nec ſuccum amplius, nec aërem libere admittant, non poteſt fieri, quin plantae marceſcant aut penitus emoriantur: Illarum namque eadem ratio et natura eſt, quae animantium, quibus curſus ſanguinis impeditus morbos aut mortem itidem minatur. Hinc aëris qualitates tam quod ad plantationem, quam quod ad collocationem, multo maxime autem ad hiemationem attinet, ſunt notandae. De priore illa in ſequentibus; hic vero, aëris ſemper rationem habituri, de poſterioribus, collocatione nimirum et hiematione, agemus.

Plantae exoticae tenerioris naturae omnes, praecipue vero citreae aurantiaeque, aëre gaudent liberiore. Vnde quotidie videre eas licet magis vegetas in hortis, quam in feneſtrarum proiecturis, ubi aedium vicinia auram nonnihil arcet. Et quamvis in ambulacris hypaethris collocatae felicius germinent ac perennent; neutiquam tamen ita ſunt laetae ac illae, quas ſoli area recipit. Quid? quod neque hae omnes ex aequo fruticent. Auſtro ac Zephyro expoſitae comam nitidiorem alunt magisque florentem, quam quas *horrifer invadit Boreas.* Hic quippe frigora faciens, maxime cum *denſi funduntur ab aethere nimbi*, harum nitori elegantique luxui plus obeſt, quam illarum, quas tepidior aura illico iterum refovet: ipſum ſiquidem ſolum ſpirantes ab Auſtro Zephyroque venti citius exſiccant. E re itaque erit, ſi citretum verſus meridiem vergat, aedificiaque celſiora tempeſtatem aquiloniam avertant; Quod iam olim ſapiens elegantiſſimi Pontani fuit monitum, canentis:

In primis fuge Sithonii mala frigora caeli,
afflatus cave Threicios boreamque nivalem,
quique Lycaonio ſpirant de vertice cauri.
Quod ſi non alia poteris ratione malignum
frigus, et Odryſii compeſcere flamina venti;
obiicibus cohibe, ac ſummi molimine muri,
aut olea, et multa prudens circumtege lauro,
aut valle occulta, vaſtique crepidine ſaxi;
aut ubi celſa ſuis obſtent faſtigia tectis.

Denique et illud hic praetereundum non eſt, praeſtabile eſſe aurantiis, ſi terra iis circumfuſa crebro fodiatur, quo aëri magis ſit pervia: maiora enim inde poma proveniunt, et fecunditas augetur. Num vero paſtinatione frequenti, quod illuſtri et perſpicaciſſimo Verulamio in Hiſtoria vitae et mortis viſum eſt, ſtercoratione item et irrigatione aetas arborum imminuatur, crebro partu parentis vires vitamque delibante, aliis disquirendum relinquo. Conſentit Verulamio Ferrarius, arboresque quinto quoque anno vel decimo circumfoſſas vitam vivere diuturniorem exiſtimat. At a ſola paſtinatione tantum periculi non erit. Modus ſervetur in laetamine et irrigatione: et terrae proſciſſio vitam potius diuturniorem dabit, neutiquam vero imminuet.

Quae auctumno ſpirant flamina, imminentis nivoſae hiemis nuntii, itemque pruinae algentes, in has molliſſimi generis arbores admodum ſunt iniurioſae. Tempeſtive itaque tegete ſunt protegendae, et ab Caeciae iniuriis tuendae. In hibernaculo tamen collocatis, uti iam dictum eſt, liberior non ſtatim aura eſt intercipienda: hinc omnes ianuarum et feneſtrarum aperturae primis diebus ventis pateant; rigidiori deinde Aquiloni obverſae muniantur; usque dum hiems ſaevius imminens illas penitus includi iubeat.

Iam vero ut mali cum foetura per hiemem conſervatae, vere ineunte e hibernaculi carceribus amoenae emittantur, hoc opus, hic labor eſt. Omne autem hic punctum fert aëris temperatio. Quamobrem videndum, ne feneſtrarum aperturae pauciores ſint, neve iuſto minores. Cavendum item, ne plantarum vaſis fictilibus ligneisve compactarum, multitudo, maxime ſi praealtae fuerint, aërem intercipiat eiusdemque ventilationem impediat. Ita enim foret, ut condenſati vapores arborum vitam praefocarent, illisque putredinem inducerent. Idem hoc malum malis minatur diuturnior, imo et nimia, ſcenae obſtructio, cum videlicet ne rima quidem aëri pervia relinquitur. Harum quippe par ratio eſt, quae aquarum ſtagnantium, quas alia accedente aliaque recedente non undantes, mox vitium cepiſſe videmus. Non ſecus item piſces, cum ſub aqua, glacie undique obducta communitaque, auram haurire nequeunt, vivere deſinunt. Medebimur vero illi malo, ſi relaxentur pau-

liſper

liſper crateres, levioresque in conclave flatus tempeſtive intromittantur: ſecus ſi fuerit, intempeſtiva aëris admiſſio tantundem periculi malis creat, quam illius excluſio. Etenim vel unius iniqua ſpiraculi tempeſtate relaxatio nocet, ſaevioris aurae frigore arbuſcularum germina ſtatim perurente. Igitur aeſtuarium, editiore aedium loco factum, unicum, quo ſenſim aër irrepat modicus, vel ad ſummum duo, et quidem ſub meridiem, utpote quo tempore frigoris vehementia nonnihil remiſit, paulum aperiatur: neutiquam vero mane vel veſperi, cum algor tunc ut plurimum intenſior eſſe ſoleat. Atque haec fere eadem de irrigatione capite praecedente tertio dicta ſunt, quo Lect.B. nunc remitto.

Ceterum hac ego arte ad arbores aura reficiendas utor. Citreti mei, binas inter aedes medii, aditus hieme per atrium oblongum aedificio contiguum ex utroque latere tantum patet: Supra utramque igitur hibernaculi ianuam, feneſtras in atria ſpectantes ſingulas minores fieri curavi; quas hieme pro lubitu vel occluſas vel apertas habeo, atrii interim foribus in hortum ipſum ducentibus nunquam non obſeratis. Ex ſuperioribus ita aedium partibus per ſcalas ſpirales, in extremo quodam angulo ſtructas, aeſtuariorum dictorum beneficio aër tanquam per circulos usque ad hibernaculum penetrat; quod cum pervaſit, per vaporarium in oppoſito pariete factum exitus ei patet. Iam autem, eam ſemper, fortaſſe non adeo indubiis nixam rationibus, opinionem fovi, acrem aëris temperiem plurimarum anfractuum colliſione multum mitigari, et de inclementia remittere; adeoque plantis eſſe convenientiorem. Porro cum aquae fontanae indoles, de qua ſupra dictum eſt, durior ſit, quam ut ea irrigatae aurantiae laetentur; et vero putealis, per aquaeductus veluti mitigata, his uſibus deſerviat: non incommodum fore auguratus ſum, ut in hibernaculi extremitatibus canales opere ligneo, et arcuato, vel oblonga et quadrata forma ſaepius inflexo, inſtruantur. In modum videlicet tubulorum fabrilium, per quos ventus, organa pnevmatica animans, in loca diverſa eaque diſtantia fertur. Per eiusmodi canalem, parieti aedibus, ſi fieri poteſt, contiguo iunctum, varie inflexum, inque ipſum hibernaculum immiſſum, itidem duci poſſet aër: atque tunc, quae ab eo longiſſime abeſt, feneſtrae valva explicari pauliſper poterit, quo ipſum conclave liberius purgetur. Hoc tamen qualecunque cogitatum, cuius ipſe experimentum nullum cepi, aliis examinandum relinquo et diiudicandum. Sentiat interim quisque, faciatque, quodcunque optimum factu viſum fuerit.



 CAPVT VI.

CAPVT VI.


Vſum Ignis, et nonnullas de ſuccendendo foco obſervationes tradens.

NOn veteres ſolum, de quibus Graecia olim gloriabatur, Naturae Interpretes aſtrorumque periti, ſed quos parentum avorumque noſtrorum vidit aetas, in eo fere omnes conſentiunt, ſolis igneum eſſe corpus, quod res creatas omnes, terram praecipue, illuſtret atque foveat. Cauſſam afferunt ſolis figuram; tuborum quippe opticorum et teleſcopiorum auxilio maiorum is conſpectus, corpus oſtentat gibboſum et inaequale, partibus conſtans ſolidis fluidisque quam plurimis: quarum hae cupri aerisve liquefacti, vel potius Oceani igniti, aeſtibus ignivomis undantis, flammarumque fulgurantium copiam inter ingentes picei fumi nubes eiicientis, ſpeciem aemulantur: illae vero, ſolidae puta partes, hinc inde diſperſas in aequore inſulas monteſque ignivomos referunt. Vt ſolem ignem eſſe crederent, adducebantur viribus et effectibus, quos lucido huic corpori cum igne noſtro elementari communes conſpiciebant: facile incendit, ligna aliamve materiam nunc prorſus abolet, et in cineres redigit, nunc inſigniter immutat, eiusdem praeſertim radiis in quoddam centrum ope ſpeculi cauſtici collectis. Adducebantur illius vi calefaciendi, qua omnia alit, reficit, maturat, conſervat; cum e contrario cuncta langueant, ubi a vertice noſtro deflectens radios ex obliquo minus copioſos, et quaſi e longinquo in terram demittat. Maximo id noſtro dolore loquuntur plantae, ſub caelo fervidiore natae, et a nobis hoſpitio exceptae, praecipue vero aurantiae, citreae ſimileſque arbores, quibus calor ſolis, etiam cum altiſſimam caeli viam aeſtivi tempore ſolſtitii tenet, nunquam nimius eſt, ita ut fatiſcerent aeſtu aut debilitarentur: imo potius quo fervidiores ſunt ſoles, eo magis reficiuntur, eoque perfectius excoctos iucundioreſque fructus fundunt. Iam vero quamvis ignis noſter elementaris, quae quorundam eſt opinio, ex illo Solis oceano emanaverit; longe tamen ratione tum indolis, tum virium eo eſt inferior et ignobilior. Flammas equidem clare micantes ſpargit, denſas piceaſque fumi ſpiſſioris nubes evomit, corpora quaelibet diſſolvit, comminuit, conſumit, plurimoque inſuper humanum genus lucis calorisque commodo impertit: at ſoli eiusque efficaciſſimis haec omnia viribus comparata, vix alicuius ſunt momenti. Quid enim ſcintilla ad incendium horrendum? quid arenula ad ingentia montium iuga? quid minuta aquae guttula ad vaſtiſſimum et inexhauſtum mare? Sed ignis noſter ſolis proportione vel millies millenis vicibus impotentior eſt habendus. Mirum itaque non eſt, ſi, quantum ſolare ſidus ſuo plantas aeſtu arboreſque fovet ac reficit, tantum illis periculi ab igne terreno immineat. Vere igitur de ſole Anaxagoras ad Lechinium ſcribens pronunciat; ſolem eſſe plantarum parentem, terram matrem. Ejus ſi unus perpetuo eſſe tenor, et aequalis caeli ſtatus, non abſurdum fuerit uſu venire, quod Empedocles dicit:

Perpetuis foliis et toto fructibus anno
ubertate vigent,

ſemperque plantarum natura valentiſſima eſſet, et aequaliter conſtanterque ſe haberet. Neque Heſperides tanto impendio apud nos alerentur, quarum ſole depreſſo refo-

refocillandarum cauſſà focus ſuccendendus eſt. Quae res curae pleniſſima. Experientia quippe nobis ſaepius comprobavit, dum ignis in hibernaculorum focis ſuſcitandi modus non rite ſervatur: (in eo autem vitium facile committitur;) plurimas praeſtantiſſimasque arbores in hibernaculo aduſtas eſſe. Is autem modus eſt optimus, ſi ita temperetur calor, ne frigus conclavia penetret, aut terra, in qua conſitae ſunt arbores, gelu conſtringatur. Invaleſcente enim aeſtu, germina arbores nova emittunt; quae ob ſucci deinde nutritii defectum flaccida decidunt; ipſis arboribus ſaepe deficientibus. Atque huic errori non facile remedium paratur: Non enim largior hic irrigatio quidquam proficiet, etiamſi quis iſtoc officio repetitis vicibus defungeretur, ea mente, ut aquam radices imbiberent, hauſtam cum ſtirpe et ſurculis communicarent, irrigatasque benigne reficerent. Spes haec ideo illum deſtituet, quia ſpiraculis non adapertis, aethereque novo ſemper excluſo, radix cum ſtirpe ſuffocata decorticaretur. At quominus toties, quoties terra madeſit, aëris repagulum recludatur, frigus obeſt. Neque illorum mos colonorum, in utramque aurem dormientium, perverſus eſt probandus, qui ſui ingenii homines, coniectura nitentes, fore ut frigora noctu augeantur, ſerotinis quidem iam horis, antequam cubitum eant, igni alimenta addunt copioſiora. Tum enim ipſis quidem levius negotium faceſſitur, ita ut ſecure ſtertere nec leviſomnes noctes ducere debeant. At hibernaculum, qualis in hypocauſtis aut balneis eſſe ſolet, calorem conciperet, id quod maximo plantis damno futurum. Tutiſſimum ergo illud habeat hortulanus conſilium: ſolicitus ſemper de cura ſit arborum et impiger; perque hiemem bis aut minimum ſemel de nocte ſurgat, ipſum ingrediens hibernaculum, quo quae illius ſit conditio, cognoſcat, ſicque, ne praepropere quidquam agat, cavere poſſit. Tum demum neceſſitate exigente, accendat ignem, neque illum multo pabulo nutriat, ne nimius arbores premat: atque ita damnum ex ignium ſuſcitatione metuendum nullo negotio declinabit.



CAPVT VII.

CAPVT VII.

Mali Medicae Conſitio.

ILlos a vero haud procul aberrare cenſeo, qui hoſpites in Germania aurantiarum citrearumque ſtirpes Italicas tenellis comparant infantibus, qui ultima ſtatim aetate a matribus abducti, vel aliam ob cauſſam de lacte materno depulſi, nutricibus aliisque alendi et educandi committuntur. Quid aliud eſt terra, niſi communis rerum omnium mater, quae ſuo e ſinu res tam viventes quam vita carentes, et in his etiam metalla atque plantas, profert, ac ſuo unumquodque modo lactat, nutrit et conſervat. Suo dixi modo; ſingula quippe genera ſingulis quaſi uberibus admovet. Hinc veterum prudentes naturae Multimammiae nomen indiderunt, et ſub imagine feminae πολυμάστου effinxerunt. Igitur quam triſtis de liberis parente orbis agitur fabula; et quantam aliis faceſſit moleſtiam illorum educatio, quibus ubera vel infelices vel delicatae matres praebere recuſant: tam aegre fit arboribus, tantaque earundem habenda eſt cura, (ſi quidem eas adoleſcere velimus,) quae e ſolo naturali, in quo genitae, evulſae peregre abire, aliaque ſub plaga conſitae, a tellure minus vivace pingues vitamque largientes petere humores coguntur. Etenim quemadmodum ea nutrix repertu eſt difficilis, quae lacte abundet, materno exacte per omnia ſimili: nunc illius quippe lac ſpiſſius eſt, quam ut infanti lactenti conducat; nunc aliis de cauſſis lactentis indoli adverſatur, ita ut varii corpori tenello morbi contrahantur, vel animi etiam mores corrumpantur, cum errores plerumque cum lacte nutricis ſugamus: ita telluris, diverſa ſub caeli declinatione poſitae, natura nonniſi rariſſime eadem eſt, quae illius, cui plantae peregrinae ortum debent; adeoque his illa parum fere congrua deprehenditur. Terra nimirum, fruticibus iſtis ignota antea, vel craſſa nimium eſt, vel nimium pinguis, vel adeo ignobilis, ut plurimis eae damnis et periculis obnoxiae, aut pereant, aut ſaltem ſilveſcentes fructus denegent. Proinde cum aeque ambigua plantarum quam infantium educatio, ſummo ſtudio ſummaque cura ſit ſuſcipienda; quaedam hic addere de aurantiarum citrearumque Conſitione ac translatione praecepta, non ab re fuerit.

Nemini obſcurum eſt, magno eiusmodi plantas numero ex Genuenſi et fertili ad Benaci ripam agro quotannis ad nos, verno tempore incaleſcente, et ad varias Germaniae partes transmitti, quas delectationi noſtrae hortorumque decori redimimus. Sed earum noſtras in terras transplantatio non aeque felix eſt, plurimis artis ignoratione deficientibus, paucioribusque tantum evaleſcentibus. In his, uti dictum eſt, Genuenſes nitida rectitudine, vegetaque proceritate conſpicuas, reliquis praeſtabiliores cenſent nonnulli, cum Salodienſes incurva humilitate ſint inamabiles. Nollem tamen has propterea negligere, quandoquidem facile apud nos inoleſcunt,

oleſcunt, auraeque rigidae patientiores ſunt quam illae Genuenſium. Sunt, qui in adultiores Heſperidum arbores, quae ſint brachii craſſitie, ad nos afferendas impenſam faciant, easque in ciſtis ſive vaſis ligneis amplioribus depangant, cuiusmodi quidem ſtirpes heic locorum perrarae ſunt inventu: Ipſa vero ratio dictitat, capacitatem illiusmodi vaſorum anguſtiorem eſſe, quam pro radicibus earundem explicandis, et pro terra, quae ſucci affatim deferat, recipienda, maxime cum in Italia ſpatium viridarii patentius occuparint. Quod ipſum obeſt, ne a crure ſummo ramoſa brachia in orbem amplum, Coronam olitores vocant, diffundantur, neque foetus ita largos proferant, ut decore alias nativo comae aurique feraces veſtiantur. Sed eſto, ponantur in ipſo terrae cubili; radices tamen, quibus nitantur, non habent, utpote quae reciſione nimium attritae, primariis nequidem integris. Ambiguae ergo fortunae adſcribendum, ſi novas faciant, alimento arbori praebendo ſuffecturas. Illorum proin ſententiae ſubſcripſiſſe non poenitet, qui plantis noſtro in ſolo natis, educatis inſitisque primas tribuunt, easque eſſe praeſtantiſſimas contendunt, cum radices illarum integrae de ſua arboris roborandae virtute nihil amiſerunt. Iſtae vero ſi minus placuerint, mediocris altitudinis teneriorisque aetatis Italicas reliquis praefero: qua in re ipſos Italos habeo conſentientes. Et experientia me edocuit, aetatem illas facile durare, fructus item et ſuaviores et maiores, quin et maiori copia, facere.

Denique ſtirpium, quascunque tibi redimas, plantandarum radices aqua egelida, quam ſtercore bovino emollire poteris, per diei noctisve ſpatium perfunde: Atque tum demum depangantur in vaſis fictilibus potius quam ligneis, ſi illorum quidem tantae laxitatis, quanta arborum radicibus commode explicandis ſufficit, copia haberi poteſt. Fictilia ligneis praefero, quod ſolis illa ardor citius penetrat, magisque calefacit, adeoque id commodi praeſtat, ut arbores celerius egerminent. Radicum vero fibrae ne ad vaſorum ambitum unquam pertingant, interiacentis terrae beneficio cavendum.

Quod ad radicum attinet tonſuram, in diverſas abeunt ſententias hortorum cultores, aliis defendentibus, fibras radicum extremas, antequam ponatur arbuſcula, ſubſecandas eſſe. Mihi vero aliter videtur, praeſtabilius eſſe rato, ſi ne minima quidem fibrarum pars reſcindatur. Extra omnem enim dubitationis aleam poſitum eſt, arbores nulla radicum parte truncatas facilius ali rectiusque educari. Sunt et eorum non pauci, qui ipſas etiam radices praecipuas, maxime ſi vaſculum illae proceriores requirerent profundius, amputare non vereantur: quod quidem etiamſi quadantenus excuſari poſſet; mihi tamen ideo non probatur, quod eo ipſo et radiculae minores nimium laeduntur, maiorique copia averruncantur. Tutiſſimum huic malo remedium parabimus, ſi radices arborum depactarum prominentes coſtis ligneis in quadrum diſpoſitis muniantur, intra quas pinguis terra eousque aggeratur, dum radix omnis penitus adoperta: vel parentur a figulo binae hemicycli figura teſtae, ſemipedales, aut, ſi placet, altiores; quae radicibus circundatae, humique plenae, eas altius eminentes contegant. Nec prius hae teſtae removendae, quam ipſe truncus evellatur, alioque in ſolo ponatur. Amplius non paucos olitorum ea tenet opinio, has ſtirpes vaſis eo usque tantum eſſe depangendas, ut ſi non


ipſae radices, radicum tamen nodus exſtet, eam ob cauſam, ne arbores corticibus delibrentur. Mihi vero nondum perſuadere potui, fruticum incremento id eſſe praeſtabile, ut radices ſemper ſitientes, et quae ſedem amant ſubterraneam, ſolis aeſtui adeo libere exponantur. Inferiores quidem earundem particulae, terrae humores exſugunt: at hi trunco pariter et radicibus exſiccatis alendis neutiquam ſufficiunt. Atque in hoc non cultores ſolum Italos, qui experto mihi idem ſaepius confirmarunt, habeo conſentientes; ſed et ipſa experientia adſtipulatur, dum arbores profundius depactae et flores et fruges dare copioſiores deprehenduntur. Denique celebris ille P. Auguſtinus Gallus libro ſupra allegato non inſcite annotavit, radices vix uno alteroque pollice humi haerentes,cum paſtinantur arbores, reſcindendas eſſe, utpote quae effoetae plerumque nulliusque uſus, ſuccum ſtipiti praeripiant: at quo altior ſub terram radix ſit depreſſa, eo fertiliores eſſe arbores.

Sunt quidem, qui hanc radicum depreſſionem cauſſam venditent decorticationis: quam falſam eſſe ſequenti experimento ſum edoctus. Malum citream, cuius caudex tres circiter pedes altus, integram, ita ut ſola foliorum corona exſtaret, ſub terram depreſſi: ea adhuc integra ultra quatuor annos floruit ſine ullo decorticationis periculo: dein alia cauſſa morbifica accedente periit. Vt vero citream illam profundius demergerem, hanc habui cauſſam: Quandoquidem citreae gemmae non raro ſtirpibus inſeruntur indolis agreſtioris, ſubamari quid admixtum habentibus: (huius vero acoris et arbores ex iſtis gemmis enatas et fructus illae agreſtes participant:) experiri volui, num radices faceret pars arboris ſuperior? et num haec, eademque melior radicata, (reciſa prius parte inferiore,) fructus ferret ſapidiores, quam illae arbores, quae ſcapo infelici ſive agreſti adhuc ſunt coniunctae? Eandem ferme Limoniae ſervandae rationem inii. In citreti illa ſolo erat poſita, multumque, cortice inferius circa arefacto, periclitabatur. Hunc libro tenus viridi delibravi; ſcapum vero aſſulis in quadrum diſpoſitis, interſtitio terra repleto, conſepii. Cumque poſt annum quartum novas ſuperius radices ex ſe generaſſet, partem arboris inferiorem penitus intermortuam reſecari, et ſuperiorem, novo radicum germine luxuriantem, transplantari feliciſſime curavi. Floret adhuc dum illa arbos, et florum fructuumque decore quotannis admodum eſt conſpicua.

Maiorem iis, quae de falſa decorticationis cauſſa diximus, fidem faciat et illud, quod ramulus intra teſtam minorem, in modum ſurculi caryophyllorum propagandi concluſus, eaque parte, qua terra tegebatur, cortice nonnihil, experiundi gratia, nudatus, vere inſequente flores emiſerit frequentes, reliqua arbore prorſus ſterileſcente. Quo ipſo comperi, citreas hac ratione itidem feliciter propagari.

Veriorem itaque delibrationis cauſſam cenſeo, nimiam; quae hiberno tempore fit, irrigationem; praecipue ſi aër diutius arceatur. Hibernaculo enim nimia humorum copia referto, non poteſt fieri, quin radices putreſcant: haec vero putredo latius ſerpit, altiusque adſcendens ipſum etiam ſcapum corripit: unde iſtud delibrationis malum oritur. Illud quoque hic praeter-

praetereundum non eſt, teneras eiusmodi ſtirpes nuper plantatas utiliter interdum tepida adſpergi, ne aër exſiccans cortici viriditatem prius auferat, quam novum radices ſuccum attrahant arbori diſpenſandum. Porro notandum, arbuſculas nuper terrae creditas intra conclave eſſe recondendas, usque dum germinare incipiant: atque tum demum aëri ſenſim ſolisque radiis permittendae. Denique ubi novellorum ſtipitum elegantiae obeſſe videntur rami nimium longi nimiumque craſſi, hos ſcite tollet colonus artis peritus, quo ipſa deinde arbor decore magis conſpicuo ſuccreſcat. A nulla tamen, utcunque vigeat, ante annum tertium aut quartum flores fructusque expectabit.



 CAPVT VIII.

CAPVT VIII.

Transplantatio.

PErlatas ad nos peregrinis e terris arbuſculas noſtro in ſolo, nativo illarum plane abſimili, radices agere, flores emittere, amplius et fructus, quos ferunt, ad maturitatem pervenire, non magis mirum eſt, quam easdem, poſtquam ad ſpectabilem magnitudinem et robur excrevere, ſine noxae periculo iterum effodi, inque vaſa alia, ipſamque citreti aream transferri. Tantum vero abeſt, ut detrimentum inde capiant, ut felicius potius ſuccreſcant, fructuumque optimorum uſuram praebeant. Transferuntur autem ex vaſe anguſtiore vel in aliud capacius, vel in ipſa aurantiarum domicilia. In fictili poſita malus Medica, tertio quoque anno eximenda eſt; et quidem, quanta fieri poteſt, cura ac diligentia in id enitendum, ne ſua radices gleba denudentur. Hinc ne nimium arida comminuatur facile ac ſponte decidat, pridie eius diei, quam eximenda, affuſo humore madefaciendα, quo tenacius radiculas amplectatur. Deinde trulla fabrili concretae gleba terrae vaſi adhaereſcens circa abiungitur, et arbuſcula nullo negotio educta, vel eidem vel alii fictili maiori, recenti terra ingeſta, imponitur.

Quod ſi vero malus transponenda vaſtius incrementum ſumſerit, et tum magnitudine tum robore multum invaluerit, conſultum duco, ut, gleba in orbem a vaſe, trullae fabrilis ope, circumciſa, imae ſtirpis fundus involvatur pannis, ne reſtis, quo conſtringenda ea eſt, corticem conterendo laedat. Tum reſtis in laqueum ligatur, atque huic contus ſive baculus inſeritur, quo anſarum loco utantur bini viri, quibus extrahendae arboris negotium committitur, dum interea alius vel ſecurim adverſam vel fuſtem in vaſis externa lignei ſemel iterumque impellat. Atque hac ratione illaeſis arbor radicibus extrahitur, vaſe quoque alii inſerendae aſſervato. Vaſis recens parati fundo pingue ſolum ſuperinducitur, et ſuper hoc arbor iam evulſa, (haec vero in terram demittenda non eſt;) illico locatur, humo tantum, quae radicibus non cohaeret, bipalio prius decuſſa. Reliqua lacuna glebis itidem pinguibus expletur; et ipſa arbor in loco recondita opaco, radiis ſolaribus per aliquot dies ſubducitur, neque iis niſi ſenſim permittitur. Sic namque illa optime invaleſcet.

Sin autem arbores translatitiae maiores ſint, quam ut in alia laxioris capacitatis vaſa transponere libeat, attolluntur, promiſſiores radices ſummatim falcula undique detondentur, ſimulque humus adiuncta decutitur; tum vero iterum in vaſe ſuper novo ſolo, quod laetamine maceratum, ſtatuuntur.

Ceterum quod ad malos Medicas fertiles, easdemque annoſas et e vaſis in pomarii aream translatas, attinet, ſciendum, earum plurimas poſt annum ſecundum tertiumve

umve demum, florum fructuumque nobis delicias largiri. Poſitae enim in ſede areae patentioris debita, roboris lignique prius incrementa capiunt, quam Florae amoenitates oſtentent. Vidi tamen aliquando ſat magnae molis arbores aliquot, quas ex amici viridario redemtas meos in hortos transplantaveram, inſequenti ſtatim vere, maiori florum copia ſuperbientes, quam antehac unquam geſtaverant: at foliorum nemus non effundebant. Nec aliter annis tribus proxime inſecutis ornatae comparuere. Tandem vero foliorum amictu ſe induentes fructuum quoque dulcedinem praebebant. Diſſimulare tamen nequeo, florem illum ſolito minorem, flaccidum nec diuturnum, indeque brevi iterum deciduum fuiſſe. Floret adhuc dum meo in Heſperidum campo quaedam ex illis limonia, pomis permagnis fecunda; ſed neque poſt annum decimum, quem ibi exegit, ramorum coma ſatis belle virente: maioremque ſemper florum quam foliorum copiam protrudit, licet emta pulcre fronduerit.

Multis tempeſtiva videtur auriferarum poſitio arborum Aprili menſe aut Maio: nec pauciores lunae curſum, ſignorumque caeleſtium poſitus, praecipue, quam Phoebe iam domum ſit ingreſſa, reſpiciunt. Hos alii rident. In eo tamen plerique omnes conveniunt, luna creſcente hanc e loco in locum deductionem eſſe ſuſcipiendam. Id vero rectius auctumno fieri contenderem, eo quod pomorum nondum maturorum defluxus neutiquam eſſet metuendus, qui alias,malis vere translatis, caveri nequit. Menſibus ſiquidem auctumnalibus ſucci plenae ſunt arbores, quae ſub verna anni primordia eo marcent ademto. Intra parietes enim concluſae, totaque hieme nec aërem nec ſolis radios ſpectantes, non poſſunt non,utpote exſuccae, poma, nec raro etiam comam demittere; qua deinde illis denuo expoſitae iterum ſenſim ſe induunt, lenteque germinant. Eſt et alia huius rei cauſſa, radicum videlicet tonſura nimia, quae ut abortum novellae patiantur, certo certius efficit.

Ceterum in transferendis hiſce malis et alii quamplurimi ſat graves errores committuntur, quos tamen levibus plerique annumerant et negligunt, cum eos rectius omnino caverent. In his primo loco annoto, quod coloni inertes ac imperiti, arbores e vaſis extracturi, manibus ſcapum comprehendant, valideque in utramque partem concuſſas, non ſine radicum laeſione, evellant. Illarum ſiquidem fibrae, imo fictilium fundo adhaerentes, fere diſcerpuntur, et ab ipſa arbore cum huius maximo damno diſſociantur. Deinde et illa, maxime a celeberrimo Tanara in Oeconomia, manibus terram in vaſa ingerendi conſuetudo improbatur. Boni olitoris eſt, inſtrumenta ſua in promtu ſemper habere: trulla itaque potius vel pala utatur: neque terram circa codicem interdum aeſtate cumprimis, leviter paſtinare intermittat, quo aëri illa laxior magis ſit pervia. Porro monendi ſunt coloni, ne translocaturi arbores maiores, manu altera fictile, altera codicem prehendant, eo quod et truncus et radices ſua e ſede laxatae facile moveantur. Atque huius rei cavendae cauſſa lignei, qui illas capiant, capedines ferreis annulis, vel uncis muniuntur; his deinde, ſi vaſa ſunt maiora, coloni annulos cum longuriis binis adaptant, ut commodius portari poſſint: ſin vero minora, manibus anſas prehendunt, et quo velint, auferunt. Denique erroribus etiam vulgo non agnitis annumerandum, ſi ſtipites palo adiuncti, dum alii terrae inſeruntur, ab eo

 abiun-

abiungantur. Immotus ille maneat, ne amotus alioque loco iterum ſtatuminatus, radices laedat, arborique noxam ferat. Quid vero factu facilius eſt, quam ut partium craſſiorum humi latentium liber, maxime ſi cum impetu ſudes ſub terram deprimatur, atterendo conquaſſetur? Inde putredo; quae latius ſerpit arboremque ipſam conficit. Ab hac enim decorticatio, marcor et ipſa denique mors. Superpondii loco et illud hic monebo, ab Italis has arbores collocari in muris, quos vocant artifices, pectoralibus aliisque baſibus lapideis; quas Belgae aliique rectius in ipſa terra ſtatuunt; partim quia ventorum violentiae ita quadantenus ſubducuntur; partium quia radii in loco humili ſolares refracti copioſiores ſunt, necdum diſperſi.



CAPVT VIIII.

CAPVT VIIII.

Propagatio.

NOndum ſibi ipſi ſatisfecerat divina omnipotentis Creatoris benignitas, ut Ipſius iuſſu pareret terra ſtirpes, herbas frugiferas et arbores fructiferas, quae ſuo quaeque in genere fructum ederent : voluit etiam, ut in ſingulis ſuum ſemen ineſſet, et ut ſingulae multiplicarentur. Quae ſi attentius contemplari libuerit, inſigne Divinae providentiae argumentum dabunt, et clariſſime evincent, DEVM Sapientiſſimum rerum uti creandarum ita et conſervandarum curam agere ; neutiquam vero voluiſſe, ut ullum ex iisdem genus, antequam orbis hic illabatur ac pereat univerſus, concideret aut aboleretur. Hinc in ipſo etiam diluvio, quo *genus mortale ſub undis perdere, et ex omni nimbos dimittere caelo*, ſtatutum erat, illius evitandi gratia ad Noachum in arcam de quadrupedibus tum mundis, tum immundis, de volucribus, atque etiam de omnibus humi repentibus convenerunt, ex maribus et feminis congregata. Imo quod magis mirandum, omnia quoque ſtirpium, arborum puta, fruticum et herbarum, genera, ne ſub undis, mortem alias inferentibus, omnino ſuffocarentur, idem Numen benigniſſime conſervavit. Et certe ori digitum loquaci imprimamus, craſſamque fateamur ignorantiam, neceſſe eſt, quoties olera aut fruges e minimo ſemine germinantes contemplamur, atque his pro uno grana vel ſexcenta ineſſe videmus. Ita namque unicum frumenti Indici granum bis mille alia proferre creditur. Ex phyllitidis ſive linguae cervinae ſemine, parti foliorum poſteriori adhaereſcente, vel myrias minutiſſimorum nova, provenit; quae, niſi microſcopio ſubiiciantur, oculorum fere aciem ſubterfugiunt. Quam modica noſtra ſit ſcientia, fateamur neceſſe eſt, cum ex nuce minuta eximiae proceritatis pinum, abiem umbroſamque cedrum egerminare videmus. Obſtupeſcimus artificioſam ſeminum texturam accuratius contemplati, videntesque ut ſingula grana putamine ac quaſi uterculo contegantur, ſub quo bina latent folia craſſiuſcula, ſeminalia vocant, ſuo convolventia ambitu folliculum ſubiectum, qui matricis vicem ſortitus, foetum tenerrimum, ex quorundam ſententia, ſeu plantulam formatam continet. Cuncta haec de ſeminum vegetatione, univerſoque plantarum incremento, plane ſolideque detexerunt deſcripſeruntque viri excellentiſſimi, Nehemias Grevv et Marcellus Malpighius, qui omnino legi merentur. Addi etiam poterit diligentiſſimi rerum curioſarum obſervatoris, Antonii a Leeuvvenhoek, Anatomia ſeu Interiora rerum cum animatarum tum inanimarum ope microſcopiorum detecta, variisque experimentis demonſtrata. Praeterea Divini Numinis Clementia in eo etiam miranda conſpicitur, quod hominis mentem ea inſtruxerit ſagacitate, ut plures plantarum modos multiplicandarum, quibus celerius quam e ſemine protuberant, cogitatione conſequuta fuerit. Atque illi ipſi modi non arboribus tantum vulgaribus, ſed et aurantiis et citreis utiliter applicantur. Satus tamen et per grana ſeu nu-

cleos

cleos propagatio frequentiſſima eſt et princeps ; utpote quae reliquis per ſtolonem, clavam, taleam, ramum, propaginem, veluti materiam praebet.

Iam quod ad earum ſatum attinet, notandum, poma, quae citreae, limoniae, et aurantiae noſtris in oris proferunt, ſeminibus fere plenis ſolidisque eſſe deſtituta: quod ſi non penitus caſſa, coloris tamen haec aduſti, papaveris grana raro exſuperant. Semina itaque e pomis generoſis ac maturis, quae nobis dat Italia, hos in uſus ſunt eligenda ; atque extracta illico, aut certe haud diu poſt, in terram ſunt deponenda. Succum enim poſt binas hebdomadas certo amittunt, aridaque paene ſterileſcunt. Porro deorſum verſo acumine, uti nemini eſt ignotum, haec grana ſunt ſtatuenda. At cum, quae pars ſit eorum acuminata, non ſemper dilucide ſatis cognoſci poſſit, tutius omnino transverſa collocantur ; atque ſic, germinibus ſurſum propullulantibus, radix indubie deſcendet. Seliguntur vulgo in hos uſus e limoniis aurantiisque pomis vulgaribus ſemina, quae ſtirpes ſic ſatis inoleſcentes pariunt. Qui vero eximiae quantitatis poma, ſua de arbore pendentia videre discupit, Citrearum potius aut Pomorum, de Adami nomine nuncupatorum, grana ſerat, ſtirpibus inde enatis quodcunque malorum aurearum genus, aurantias, limonias aut poma Adami, committere placeat: tum enim fructus ferent, qui reliquos decora magnitudine multum antecellunt. Quodſi arbuſculis mitia iam poma ferentibus gemmae, ex malo conſimili, quo tempore florent, decerptae, inoculatione, quam vocant, inſerantur, inſitiva eiusmodi poma celeri uberique proventu, magnitudine ac formoſitate praeſtare, multo experimento eſt compertum: Praecipue autem guſtus eorum eſt iucundiſſimus ; ſaporem quippe citrea adoptivis transmittunt. Quo frequentius vero mitibus rami arboribus denubuntur, eo pretioſiora poma pariunt. Idem faciunt fruticibus e granis pomorum Sinenſium enatis commiſſae limoniae aurantiaeque: quibus ſi novae eorundem Sinenſium gemmae, poſtquam florum ſpem ſemel oſtentarunt, denuo iterumque coaleſcunt ; ſubolem facient et formoſiorem et gratiore magis ſapore commendabilem. Vaſis illa ſemina fictilibus ligneisve communiter reconduntur: at in ipſos pomarii pulvillos media inter malos reliquas, eaque non parca, rectius ſeruntur. Ita enim felicius fruticeſcunt ; deinde ſcapi palis potiſſimum maritati, et a ſtolonibus diligenter purgati, procera magis rectitudine ſuccreſcunt: tum laetiora augmenta capiunt, hibernaque tempeſtate fortius perdurant, ita ut poſt annum tertium aut quartum iam craſſiores inoculationis vulnera non pertimeſcant. Hic et illud praeterea tacendum non eſt, quas citreorum limoniorumque dant grana ſtirpes, celerius ſuboleſcere quam illae aurantiorum. Cauſſam in eo quaero, quod ligni citrearum materia tenerior, nec adeo dura quam aurantiae: hae vero prae illis admodum ſunt durabiles, et quam diutiſſime perennant. Ceterum Pomorum Sinenſium aurantiorumque grana ſi forte inter ſe permixta promiſcue in terram deponantur, et una fruticent ; arbuſculae inde enatae e ſpinis dignoſcuntur, quibus et prominentioribus et pluribus Sinenſes armantur. Hae quoque ramos frondesque, vepris inſtar aut dumi, nullo ordine decoras ex ſe faciunt.

Quod iam porro ad multiplicem arborum harum multiplicationem attinet, triplici potiſſimum illae ratione proveniunt ; 1.) delibratione ſive ſurculi inſitione, Batavis uſitatiſſima ; hic quippe cum arbore inſita ſemel coalitus, florum foetuumque proventum praeter ceteros maturat: 2.) Ablactatione, quam vocant, et 3.) Inoculatione ; cuius et apud Italos et apud Germanos vulgatior uſus obtinuit. Et Itali quidem coloni integra ſilveſtribus eiusmodi arbuſculis citreta conſerunt, quas ubi

ubi obſequentes huic artificio fuerint, et gemmam admiſerint, deinde pereg:e mittunt, alibique locorum venales exponunt.

Inſitio duplici fit modo, vèl per ἐκκεντρισμὸν, vel per delibrationem, quae et alias *coronalis* nomen habet. Haec ita fere abſolvitur: Arboris ab excreſcentiis omnibus liberae ea pars, quae maxime nitida et ſine cicatrice, vulnere rotundo ſerra tenui et acuta diligenter praeciditur. Ne vero liber laedatur, partem codicis ſuperiorem ſiniſtra teneat hortulanus: ſecturam autem non integram ſerra abſolvat; ſed cultro potius perficiat. Deinde praeciſi trunci plaga ſcalpello peracuto aequatur et laegivatur, quo omni inaequalitate ſublata citius ea convaleſcat. Tum ſurculus ab vegetae aetatis arbore, (haec enim ſi ſenior, effoeta; ſin iunior, tenerior eſſet, nec dum ita induruiſſet, ut commode immitteretur,) petitur annuus, isque infra ligni nodum bimuli carpendus. Is poſtmodum cultro minori bene acuto, qui ſcalpello librario non plane abſimilis, ſequentem in modum debet parari. Ab uno latere infra nodum, in gemmae cuiusdam vicinia fit inciſio usque ad medullam, ſed ita ne haec laedatur: tum quidquid ligni eſt ad duorum digitorum latitudinem, cum aliqua medullae etiam laeſione, (quum ſurculi in cunei ſpeciem efformentur,) exſcinditur. Porro ab altero latere cortex ſpadicei coloris exterior blande abradenda; daturque opera, ne liber ſimul interior viridis detrahatur. Surculus ita praeparatus aqua interea humectatur, dum fiſſura arbori imprimatur, et cuneolus laevis eburneus aut buxeus adigitur inter lignum et corticem, et huius quidem, uti diximus, parte nitidiſſima. Nec omnino ab re erit, ſi vel ortum ſolis, vel certe Booten, qui *tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra*, ſpectet ſurculus. Primum omnium autem cavendum, ne cortex dehiſcat: ideoque levius exteriori eſt infligendum vulnus, quod ſurculi parati inciſionem ſive cuneum non excedat. His ita rite paratis, cultellus pro ramis inſititiis aptandis fabrefactus iterum ſubducitur, illiusque in locum ſurculus intruditur, cuius erecti cortex cortici et ligno lignum aptatur. Tum philyra ſtirps fortiter conſtringitur, iunctis in latere ſurculi cuneolis binis ligneis, qui ut firmius ille haereat, et cum codice citius coaleſcat, efficere debent. Hoc enim neglecto, et cortice non ſatis coarctato, a ſucco verſus partes ſuperiores expulſo, ibidemque collecto, nodoſa multaque ſuffragine deformis foret arbor. Poſtremo unguento emphyteutico inungendum eſt vulnus ſtipitis rotundum, ad excludendum humorem aëremque alienum; muſco item illud inveſtiendum, ne cera ſole liqueſcat, aut a pluvia ſurculo inſititio ſit noxa metuenda.

Si ſurculus in medium arboris caudicem, adeoque intra ipſum lignum diffiſſum inſigendus, pars arbuſculae ſuperior eadem ratione demitur, quam in praecedentibus tradidimus; et quod a ſerra inaequale relictum, cultro pariter reſcinditur. Deinde ſcalpro ſive cuneo praeacuto ſtipes ibi finditur, ubi cortex laevi elegantique nitore commendatus viſitur: ita tamen hoc fiat, ne fiſſura meditullium ipſamque arborem laedat. Hanc cuneolo ſervamus apertam tantisper, dum ſurculum recipiat; qui annuus eſſe debet, et pro arboris inſititiae conditione binis trinisve gemmis praegnans. Si pluribus ille turgeat, recidendae eae ſunt et ſurculus decacuminandus; vulnus vero emplaſtro emphyteutico oblinendum. Tum ex utraque parte ad rectos ille angulos proxime ſub gemmarum aliqua inciditur; iterumque medullae cura habetur, ut illaeſa ſervetur et integra. Porro ſcalpello utrinque ad modum cunei conformatur, ipſaque fiſſura oblique deorſum articuli longitudine ita ducitur, quo in aciem tandem ille deſinat; neque, medullam ſic parumper incidi, quidquam curandum. Sunt, qui ſurculum fiſſura ita praeparent, ut ea in parte, cui adnata eſt

gemma, plus ligni relinquatur; ex altera vero, quae introrſum ſpectabit, eo magis reſecetur. Porro extrema corticis pellicula ab latere interiore abraditur; cum in exteriore lignum non ſit denudandum. Quo facto in ſtipitis ante praeparati fiſſuram ſurculi apicem cuneatum inſerimus, operamque damus, ut inciſio illius ad rectos angulos facta ſtipiti praeſecto exacte reſpondeat, et alter ſe ad alterum arctiſſime applicet. Subtracto iterum cuneo, fiſſuram tam ſuperne quam ad latera unguento oblinimus emphytevtico, et cortice tiliaceo, ſed non adeo fortiter, obligamus: denique ne aqua, et ventus ſe ingerant, damnum omne praecavemus, muſco aut linteolo ſcapi detruncati vulnus inveſtientes, ac vinculo cannabino decusſatim poſito firmiter conſtringentes. Semper autem gemmae ratio habenda, ne ulla ratione vel perungatur vel obducatur.

Ablactationis modum duplicem cognovimus. Prior, qui aliis propagatio per circumpoſitionem audit, communiter caryophyllis applicatur: ad alia fruticum arborumque genera propaganda aeque feliciter adhibetur. Eius ratio haec eſt: Arboris propagini annuae vel bimae crena oblonga infinditur, ea lege, ut una ramuli tantum medietas ad ipſum meditullium usque aliquantisper ſeparetur; altera vero ab arbore matre non avellatur. Illa porro crena inſerto foliolo emarcido aut exſiccato divaricatur paululum ac diducitur, quo maturius radices agat, et, ne iuſto citius concreſcat, caveatur. Vaſcula interea figulina orbicularis formae parata habeantur, in fundo et a latere alterutro pertuſa. Per haec arboris illa propago, cuius fiſſura terra laudabili prius implenda, traiicitur; et, obſtructa iterum folio vel cortice apertura, terrae optimae quantum ſatis additur; ipſumque vaſculum arcte firmiterque arbori connectitur. Illa ergo ſi crebro madefiat, poſt anni ſpatium ramus, qui radices interea egit, ab arbore abſcinditur, et in vaſe ampliori reconditus umbratilem degere vitam iubetur, nec ſoli prius libero exponitur, quam foliorum vigorem oſtendat. Iſta vero omnia, praecipue reſciſſio propaginis, verno, rarius primo aeſtatis tempore ſunt peragenda. Sunt praeterea alii, qui ea ramum parte, quae in terram deponenda, undique decorticent, pellique canina cineribus tenuiter confecta et elaborata circumveſtiant. Mihi tamen neque huius neque illius ablactationis experimentum capere libuit: quin potius id egi, ut oculus ſeu nodus unus aut bini terrae immergerentur; ex quibus germinantibus loco ſubolis radices enaſcuntur. Hi ergo ramuſculi ſub terra, vaſculis incluſa, usque in annum ſecundum tertiumve relinquendi, (citreae tamen fere citius quam aurantiae inoleſcunt;) ac tempore potiſſimum aeſtivo largiter rigandi, atque tum demum, cum hoc blandimento inter poma ipſa et cacumina, audaci ingenio arborem aliam longe a tellure faciendi, radices impetratae ſunt, uti loquitur Plinius Lib. XVII. cap. 13. a matre avelluntur. Vſus quoque et experientia docuit, taleas nude in terram loco opaco depactas, et aquae tepore madido ſubinde irroratas, feliciter propagari, maxime illas, quas malis citreis limoniisve detraximus. Sed lente admodum adoleſcunt; cum ablactatae illae propagines multo celerius luxurient. Conſentit mecum Auguſtinus Gallus, loco ſuperius citato ſcribens: Sero admodum fructus faciunt arbores e Limoniorum, Citreorum pomorumque, quae ab Adamo nomen habent, granis enatae: Teneriores vero ſurculi anniculi, quales inſitioni aptos ſuperius deſcripſi pedales, non ſcabra inaequalitate deformes, ad unum binosve pollices extremitate craſſiori delibrati, frequentiores terrae fecundae et ſpongioſae immittunpur, eorum tamen ſummitate nonnihil extra terram exſtante et prominula. Hi tede ab ſe invicem ſeiuncti, et dulci aquae rore creberrime conſperſi, mox ſuboleſcunt,

oleſcunt, ni vel frigus vel aeſtus, quorum utrorumque ſunt impatientiſſimi, eorundem augmentationi officiat. Atque hic per avulſos malleolos propagandi modus Lacus Benaci accolis uſitatiſſimus eſt, quippe qui multa eiusmodi malleolorum millia depangunt, quos deinde varie inoculatos peregre mittunt. Scribit laudatus auctor, fructus ex malleolis hac ratione depoſitis anno poſt inſitionem quarto fuiſſe enatos. Felicius vero comprehendent, ſi obliqui ſive incurvi, quam ſi directi, terrae infigantur.

Eſt et alius ablactandi modus, quo alteri cuidam arbori adhuc agreſti novus ſurculus coniungitur. Illa videlicet una cum vaſculo, cui inſerta, iuxta arborem, quam propagando multiplicare ſtudemus, quam proxime fieri poteſt collocatur, ita ut talea a ſtipite non avulſa ad agreſtem usque pertingat; vaſcula vero palis defixis firmantur, ne vel ventorum violentia vel alia ratione loco facile dimoveri queant. Quo facto arbuſcula illa agreſtis omnibus ramis ſpoliatur, ipſumque hoc vulnus rotundum, uti ſupra de propagatione per inſitionem agentes praecepimus, cultro acuto laevigatur, moreque ſolito ſtipes finditur. Tum ſurculus ille inſititius ita fiſſurae arboris vicinae imprimitur, ut plane illaeſus a ſua arbore ne avellatur, ſed ei perpetuo maneat affixus; infra nodum vero corticem, et aliquam ligni portionem ab utroque latere, medulla omnino illaeſa, ubi cum ſcapo combinandus in trigoni formam eousque abſcindes, ut ille tamen cortex reſiduus et ramuſculo adhuc cohaerens, fiſſuram ſtirpi impreſſam exterius claudat. Fiſſuram hanc ſurculo inſerto conſtringe, et emplaſtro inunge, quemadmodum in reliquis inſitionum generibus fieri ſolet. Atque ita tantisper utrique codici iunctus haereat ſurculus, usque dum a nova illum nutrice ali et germina emittere conſtet. Tum enim a matre is curate abſcinditur, et tralatitia iſta arbor cum nova ſua prole transfertur, quo lubuerit.

Omnium denique praeſtantiſſimus ac commodiſſimus nobiliſſimae huius arboris propagandae modus habetur ac revera eſt Inoculatio: de qua ut rite ſit peragenda, ſententiis inter ſe diſſident Genuenſes et agri ad Lacum Benacum coloni: utrique tamen ſuos invenerunt aſſeclas, qui in cultura et multiplicatione malorum harum eos ſequuntur. Genuenſibus gemmas ſtipitibus altis et erectis, iisdemque non adeo teneris, ſupero quodam loco inſerere placet, cum foliorum ita corona magis eniteat. Lacus Benaci accolae infimo quoque loco oculos codici adfigunt; quorum rationibus ſubſcripſiſſe non poenitet, tum quod maiori florum fructuumque copia decorem Genuenſium compenſant, tum quod noſtris in oris hac ratione multiplicatae arbores illis ex Italia advenis longe ſunt vegetiores, et aëri rigidiori ferendo magis adſuetae.

Inoculationis autem haec fere eſt methodus: Aeſtate ineunte, cum humor radicalis e radice in totum arboris truncum diffunditur, ex arbore frugifera oculus belle virens ac nitidus conquiritur, qui a rami ligno una cum cortice in clypei formam, parte inferiore cuſpidata, ita ſolvitur, ut gemma illaeſa in corticis articularis medio haereat. Arbor vero, unde haec depromenda, iuvenis ſit, nec effoeta: niſi enim ipſa fecunda frugum iam antea mater facta fuerit, oculus inde decerptus et cum alia ſtirpe coalitus, arborem quidem producet pulcra coma virentem; flores tamen ac fructus nunquam ab ea exſpectabis. Gemmae a ramulo ſolutio, reſecto prius folio, nec eo tamen integro, caute eſt inſtituenda, adhibitis in ſubſidium partim cultro, partim pollice; cuius quidem opera hic tutius utimur, ac omnimodam libri inſtar clypei reſecti, leniter hac illac moti, ipſiusque adeo oculi, ſine ullo huius detrimento a ramulo ſeiunctionem cautius magisque ſecure urgemus. Haec itaque gemmula ſi

F 2 interna

interna ſui facie aequabilis eſt nec ſcabra, aut foraminulis ſinuoſa, bonae illa notae cenſetur et commoda; ſin dictae abfuerint virtutes, parum idonea planeque inutilis ad hanc rem habetur. Porro cortici arbuſculae, cui inoculare conaris, fiſſuram ſcalpello acutiſſimo imprime deorſum ſecundum arboris longitudinem, eaque oculo parato reſpondeat: ita vero ſecetur, ut lignum cortici ſubjectum prorſus inviolatum et illaeſum ſervetur; quod perquam eſt neceſſarium. Tum aliam transverſam duc fiſſuram, quae cum priore ad angulos rectos in forma literae T concurrat; atque corticis latera deorſum tendentia ope eburnei ſtili blande a ligno ſolve. Denique gemmulam, intra labia interea ſervatam, nec tamen madefactam, in fiſſuram praedictam intrude; ubi opera adhibenda, ut exacte illam ſubeat, arboriſque cortice undique clauſa neutram in partem declinet aut propendeat. Tum emplaſtro emphyteutico utraeque, et libro ex tilia vel cannabinis ligamentis communiuntur, ut nihil praeter nudum oculum cum ſuo foliolo promineat. Haec omnia tempore pomeridiano aut veſpertino, ubi ſolis aeſtus deferbuit, caelo ſudo, ſereno ac placido, ventiſque ſubſidentibus ſunt peragenda; ipſae vero arbuſculae vaſis incluſae in locum umbroſum ac tecto communitum reponantur, ne radiorum ſolarium violentia oculum exſiccet, aut imber ſuffocet. Quod ſi areolis iſtae ſuis moveri nequeant, folium alicuius arboris ſupra oculum alligare poteris, quod illi contra dicta incommoda tegmen praebeat. Cumque ſub iſto foliorum integumento Forbicinae haud raro lateant, quae oculum germinantem arrodant, omnemque laborem impigrum ac ſpem inde conceptam intercipiant, ſedula quoque inſpectione et cura ſollicita opus eſt.



CAPVT X.

CAPVT X.

Putatio.

QVemadmodum caeſariei nutritio neque decora eſt homini, neque ſalutaris; ita nimia arborum proceritas comaeque prolixitas et decori earundem officit et fertilitati. Sequiorem equidem ſexum pulcra caeſaries ornare creditur: at in homine foeminei ac delicati, imo, iudice Syneſio, petulantis illa animi indicium eſt. Idem vir ſapiens quotiescunque iuvenem coma ſuperbientem vidit, levem ac improbum ſe vidiſſe ludionem dicere ſolitus eſt. Nec multo mitius de ea iudicaſſe cenſendus Condaules, Mauſoli, Cariae Regis et Artemiſiae, (quae virum amaſſe fertur ſupra omnes amorum fabulas, ultraque affectionis humanae fidem,) dux belli fortiſſimus, prudentiſſimusque. Hic Lycios cernens cincinnorum ornatum magnifacere, literas eſſe ſimulabat allatas a rege, quibus capillos ſibi mitti iuberet. Callide tamen ſimul promiſit, ſi certam pecuniae ſummam in capita contribuere vellent, ex Graecia capillos afferendos ſe eſſe curaturum. Et illi libenter praebuerunt, quod poſtulabat, collectaque eſt ex magno populo copioſa pecunia. Neque vero omnes Syneſio vel Condauli aſſentiuntur; cum non pauci inſigne utriusque ſexus ornamentum comam reputent. Quidquid autem huius ſit, id ſaltem certum eſt, eum, qui prolixos fovet capillos, pluribus premi incommodis, quam qui eorundem ſilvam caedi interdum, ac promiſſiores retondi curat. Capillitii enim enormitates, maxime ſi non rarum illud, ſed denſum, variis morbis et infirmitatibus obnoxios reddunt; utpote liberum per poros tranſitum ſudoris ac humiditatis ſuperfluae intercludentes. Plura inde damna metuenda ſunt, quibus recenſendis diutius immorari nolumus, ne extra orbitam vagari videamur: neque pluribus verbis praecipiemus, detondendam tum eſſe comam, et partem illius, quo videlicet rarior fiat, radendo eximendam; cum uſus et neceſſitas unumquemque, vel me tacente, quid factu opus ſit, admoneat. At illud tamen de arborum juſto tam proceriorum quam denſiorum ramis foliisque, quae a Poëtis non incongrue comae appellantur, dixiſſe, ab re et propoſito noſtro non erit alienum.

Sunt equidem, quibus arbores frugiferae, et praecipue illae, de quibus hoc in opere nobis ſermo eſt, praealto eoque foliorum ſilva conſpicuo, cacumine ſuperbientes praeter ceteras arrident: neque diffitendum eſt, gratiſſimum illas oculis ſpectaculum exhibere: at ſuum hoc ſterilitate decus ut plurimum deturpare, minori certe copia fructus reddere cenſentur. Cauſſam huius rei in eo quaerimus, quod omnes in ligni ſubſtantiam et augmentum ſuccos convertunt, unde in fructus turgeſcere aut plane nequeunt, aut ſi aliquam eorundem ſpem oſtendant, illa tamen cum ipſis frugibus immaturis mox decidit, raroque hae ad maturitatem pertingunt. Ne quid dicam de eo, quod foliorum luxuria liberioris aëris meatum arceat, radiosque ſolares, quo minus ſingulos arbuſculae ramos luce ſua foveant, multum prohibeat. Iam vero quis negabit, potiorem utilitatis, adeoque florum et fructuum, quam decoris, foliorum puta, rationem eſſe habendam. Quid multis? Nativum arboris decus, multum augeri

 cen-

cenſeo, ubi ramorum viriditatem aurantiorum aurum, malorumque citreorum ſulphur diſtinguit, cum viſum aeque ac guſtum haec ſatiare valeant, ex foliis vero ſolus oculus quandam voluptatem capiat. Vnde et commodum et neceſſarium videtur, ut ſub veris initium tam lignum ramique luxuriantes, ne intra coronam condenſati aërem, uti dictum, ſolemque excludant, interradantur, quam ramalia, de quorum putatione Capite XIII. plura dicenda erunt, recidantur.

Praeter ceteras aurantiae folio argenteo nec non Olyſſiponenſes, in horti area locatae, plurimos primo vere ſurculos protrudunt, qui ſupervacui digito ſtatim exputandi, nec ſingulis ramis ultra binos aut tres relinquendi. Poſitae vero in vaſis tam aurantiae quam citreae tum demum exputantur, cum nimia foliorum denſitate laborant; ramorum item aritudo, et ſi qua praeterea pars vitioſa formoſitatem reliquam deformat, reſecatur. Vulnus inflictum vel emplaſtro emphyteutico vel cera terebintho reſinata, vel colore quodam oleoſo, contra aëris pluviaeque iniurias ſedulo oblinatur, neceſſe eſt.

Si latioris areae inquilina ſuos latius diffunderet ramos, et ad vicinam usque arborem porrigeret, ita ut ſe mutuo amplexu contingerent, tonſuram itidem ſubeunt, quo aura cum ſingulis ex aequo liberius communicetur. Deſecantur quoque rami diſtorti, et terram ſpectantes, itemque laſcivius pullulans ſuboles atque ſtolones. Et quoniam continuis ordinibus una pone alteram ſtatuitur arbos, quae in principio collocantur, artis putatoriae beneficio humiliores; quae poſt principia, aliquantum proceriores educantur. Hinc ubi altius aſſurgentes iuſtam altitudinem exceſſerint, decacuminare eas conveniet. In ſerie vero poſteriore locatas ſi incrementa ſumere diſcupis, vulnerando eas excitabis: reſecantur nimirum ramuli terrae proximi, ac vulneribus cera reſinata, prout dixi, vel quodam pigmento oleoſo obliteratis, facile aſſurgent. Hanc rem non quolibet cultro, vulgaribus quibuscunque uſibus deſtinato, ſed falce putatoria tranſiget peritus colonus, quam cum reliquis ferramentis acutiſſimis ſemper in promtu habebit. Cultri enim culinarii uſus arborum fruticumque incremento nimium quantum officere perhibetur, pluribus id docente D. Elsholzio in Horticultura.

Putationis tempus commodiſſimum veris initium creditur, circa ſolſtitium puta, ſub Martii atque Aprilis converſionem. Luna huic operi ſeneſcens favet; ſenioque curvatum in falcem ſidus putatoriae falculae praelucet, ac putatores proſperum ad opus invitat: quia per lunare damnum ſiccior citrus ſine nimia humoris iactura, hoc eſt, citra profuſionem arborei ſanguinis vulneratur, iudice Ferrario. Lunam tamen in cancri ſcorpiique ſignis non amplius exiſtere, ſed ſupra illa emerſiſſe tempeſtivum erit, cum clavus ſive patella arboribus induci credatur. At quemadmodum aliis in rebus, ita et in re hortenſi neceſſitas legibus praevalet, adeoque noxiae aritudinis reſectio nullo non tempore tempeſtiva cenſetur. Luſtrentur itaque vere adoleſcente in hibernis hucusque latitantes, et iam in campum apertum deducendi, arborum ſingularum ordines, atque emaciati vitioque correpti, ne latius illud proſerpat, rami aeque ac frondes inutiles ceterae amputentur. Atque harum quidem teneriorum cacumina ultra partem haud raro dimidiam per hiemem exareſcunt: quae retorrida, cum ſuccus primo vere nutritius ad omnes

iterum

iterum arboris partes penetrat easque nova vita donat, a reliquo vegetae viriditatis ramo, luridi aut ſubflavi coloris orbe internoſcitur, nonnunquam etiam, ramulo puta nondum ad aliquam ſoliditatem indurato, prorſus citra humanam operam ſeparatur. Propria quoque experientia ſum edoctus, validiorum ramorum ariditatem, falce feſtinanter ac praepropere reciſam, partem ſinceram nihilominus traxiſſe, ac latius, cancri inſtar ſerpſiſſe: vulnere licet cera emphyteutica ſedulo communito. Hinc veris tempeſtivitatem praeſtolatus, ubi dictum in ramo orbem ſubflavum, ramenta ab ligno viridi diſcriminantem, obſervavi, exſiccam partem, non tamen omnem, praecidendam curavi; ſanam quippe vulnerare piaculum mihi eſt, ne cognata contiguaque viriditas cum ipſius matris periculo interimatur.



CAPVT XI.

CAPVT XI.

Groſſorum ſive Pomorum crudorum defluvium.

NOn illico aurum eſſe habendum, quod coruſcum auri colorem aemulatur, trito apud nos proverbio dicitur. Quod ipſum non tam de auro, argento aliove metallo, aut gemmis clare micantibus intellectum volumus; quam potius eo innuimus, a rebus multa cura geſtis, etiamſi ingentes nobis ſpes oſtentent, minimum eſſe ſperandum, cum illarum nos ſaepiſſime umbra decipiat, ſperatoque fructu privet. Atque hoc eo potiſſimum fit tempore, quo immenſa Divini Numinis clementia largiſſimam nobis agrorum opulentiam veluti e propinquo commonſtrat: quippe quae tantam inſatiabilibus et avaris laetitiae materiam praebet, ut ne ullum in horreis angulum ſuperfuturum metuant, quem non laeta illa ſperatarum frugum copia repleat. Ardentibus itaque votis annonae caritatem exſpectant, quibus uſibus corradendum ex ſperato annonae proventu argentum impendant, iam ante meſſem ſoliciti. Saepius autem accidit, ut in ipſo, quod dicitur, partu ſpes eorum praefocetur, dum modo inopinato imminens tempeſtas ſperatam meſſis felicitatem humi proſternit, modo inſtantes pluviae grana eluentes, germinaque nondum demeſſorum provocantes, irritam faciunt; modo graciles ſpicae et grana fatua imminuunt. Vnde macer frugum proventus, multique in granariis anguli farre vacui eos docent, inania ac vana fuiſſe ipſorum conſilia, et lucro ipſos nequicquam inhiaſſe. Idem frequentiſſime experimur in aurantiis citreisque, quae nondum matura ſuis ab ramulis magno numero pendentia, fertilem nobis inſecuto maturitatis tempore meſſem pollicentur: at eadem poma, immiti auctumni, vel etiam laetiſſimo veris tempore, cruda adhuc decidentia, inane ſui deſiderium nobis relinquunt, ſicque noſtram ſpem creberrime fallunt.

Huius vero defluvii variae ac multiplices ſunt cauſſae: 1.) Si nimia pomorum copia ramuli onerantur, ita ut a ſucco ſatis ea nequeat vegetari, nedum ut omnis conſervetur, et ad maturitatem perducatur: non poteſt non maxima eorum pars, utpote ſucco carens, emarcida ante tempus decidere.

2.) Si arbores ſerotinae tum demum florere occipiunt, cum partus per aeſtatem ſeneſcentem et autumnum ad aliquam ſuccreſcere magnitudinem et ſoliditatem amplius nequit, ita ut ingruente hieme infirmus adhuc ſit et exiguus. Nonnunquam et aeſtivus calor ocyus ceſſat, et contra pluvioſa, humida ac frigida oritur tempeſtas; id quod frugibus earumque augmento et robori ſumendo itidem vehementer officit.

3.) Si ipſae malorum aurantiarum et citrearum ſtirpes aëri diutius autumnali exponuntur, ut matres cum tenerrima ſua prole pruinas ſemel iterumque perferant, et ab illis adurantur. Quae ſi per hiemem abortum non faciant, vere tamen proximo poma nigreſcunt et pereunt.

4.) Si arbores fructibus foetae in hibernaculo non ſatis adaquantur, nec eo, quo par eſt, modo ac tempore irrigantur; ſi aëre, quo maxime indigent, intercluduntur.

5.) Stirpes, tum vaſculis inſertas, tum in terram defixas, menſibus ut plurimum Aprili et Maio poma ſua deiicere, obſervatum eſt, ſi verno tempore caeli ſolisque nimium iis praepropere conceditur; aut, quo pomarium hieme munitur, tectum feſtinanter deiicitur, cum, ut caelum ac ſolem iterum ferant, ſenſim paulatimque denuo eſſent aſſuefaciendae.

6.) Subit animum memoria eius, quod praecedente capite octavo annotavimus, citreas atque aurantias frugum defluvium pati, ſi illas vere translatas, et a terra nutrice avulſas, ſimul tondere ac vulnerare audemus.

Haec autem pericula ut plurimum averruncare, aut certe malis iſtis quadantenus mederi valemus. Quantum enim ad primam cauſſam attinet, paratum eſſe hoc remedium aptiſſimum, nonnulli cenſent, ſi copioſiores e ſtirpibus flores legantur, aut pomorum enaſcentium abundantia decerpendo imminuatur. Neque diffiteor, arboribus in vaſa depactis hoc percommodum accidere, praecipue ſi cura geratur, ut tempeſtivis floribus et primis intactis, cordi tantum delibentur. Cumque non omnis gemma aut flos fructu quoque turgeat, ſolicite cavendum, ne turgeſcentes demantur: ſecus enim, ſi ſteriles intacti remanſerint, ſperato ſe fructu quis ipſe imprudens fraudare poterit.

Sciendum itaque, uterculum floris in malo citrea, et Aſſyria, eiusdemque frugiferi, piſtillo ſubviridi eſſe notatum, eoque ad cordis ſimilitudinem interdum efformato. Atque huic ipſum pomum adnaſcitur: quo evaleſcente, dictum illud piſtillum ut plurimum exuitur, ac diſparet. Contra, in quibus ſtamina tantum et fibrae apice luteo viſuntur, de illis ſpes frugum ferendarum concipienda nulla eſt; cum inanes ſint ac infrugiferi. Aurantiarum vero flores paene omnes impraegnati ſunt, foetumque cum petalis florum deciduis ſtatim emittunt: qui ſi ſaturate viridis eſt, ſpem facit pomi vivacis ac perennis; ſin ex viridi luteus apparet, vix ac ne vix quidem matureſcet, ſed brevi emarcidus defluet.

Iam ſi quaeratur: An ex arboribus, quae citreti aream occupant, flores ſuperflui itemque fructus, cum illarum commodo delibentur? putamus, id fieri poſſe, ſi fructum quis non ex frugibus, ſed florum abundantia, praecipere cupiat. Alias vero, ſi me audiveris, aurantias ſuo florum decore, quantumcunque etiam luxurient, non ſpoliabis, cum metus, ne ferundo pereant, vanus omnino ſit ac nullus. Radix enim liberae terrae implantata ſucco ac humoribus, quos imbibat, abundat, quo matrem cum ſuis liberis alat munificeque enutriat. Ad haec ſi horum nonnulli aetatem duraturi non ſunt, ſponte ſua decidunt, ſtirpemque onere, quo nimio gravabatur, relevant.

Porro quod ad tertium attinet, defluvii periculum, in quod incuria hominum poma haec coniici, ſuperius diximus, (quando videlicet aſpera brumae aura, et pruinae urentes, ab illis non debite arcentur,) impigra ſolertia et cura averti ſine

G Mo. Bot. Garden, 1893 labore

labore poteſt. Tempeſtivitate nimirum utendum , et tam vaſorum hoſpites hoſpitio in tempore excipiendae , quam in pomario vernantes tecto contra frigus communiendae. Iam autem dictum eſt , noctu tantum primis hoſpitii diebus valvas eſſe claudendas ; de die vero , caelo praeſertim ſereno ac tepido , removendas , quo hujus grata uſura , quamdiu licet , fruantur , utpote qua per hiemem nimis diu carere debent.

Quam quarto loco defluvii cauſſam indicavimus , eam nunc ab diuturniore pomarii concluſione, nunc ab feſtinata eiusdem apertione accerſimus. Proprio enim periculo didici , altero ſtatim poſt omnimodam tecti deſtructionem die , dubio procul ob ſubitam aëris mutationem et diurnum ſolis aſpectum , omnem fere fructuum copiam ſimul humi diſperſam iacuiſſe , et raros hinc inde e ramulis dependiſſe. Haec cum obſervarem , aura admiſſa malos haſce media etiam hieme recreare , nec minus vere novo , cum dies laetus et apricus illuxerit, feneſtris recluſis nova veluti vita donare ſtudui. Qua de re capitibus II. et III. bene multa praecepimus. Illud hic repetiiſſe iuvabit , ne integrum menſe Aprili aedificium ſimul uno veluti impetu deſtruatur , ſed per partes , ita ut poſt plures demum dies tecto culmen nudetur. Commodum pariter huic malo remedium deprehendi, ut, poſtquam focus non amplius ſuccendebatur, ſuperioris contignationis tabulam unam alteramve auferendam curarem; imminens enim tabulato tectum contra frigus externum citreas aurantiasque ſatis defendit : iſta deinde apertura, aëre praeſertim extenuato et liquido , interdiu noctuque patet , quo noxii , qui per hiemem copioſe collecti arbores preſſerant vapores , educantur et exhalent ; hae vero auram puram deſuper venientem ferre adſueſcant, ſenſimque reficiantur.

Simili fere ratione quintae defluvii cauſſae medebimur. Maxime autem e re fuerit , ſi , fecundo imbre terram inundante, fixae in vaſis arbores ſub dio ſtatuantur, et noctu intra tectum iterum referantur. Sin hoc minus placuerit , aut commode fieri nequiverit , alia res tentanda eſt via , qua ipſe reficiendis arboribus in area locatis alias uti ſoleo. Nimirum imbre cadente feneſtrarum obſtructiones omnes removeo , arboresque ac ſingulos earum ramos ipſaque poma , aqua pluviali , hunc in finem excepta , ope penicilli maioris conſpergo. Quo fit , ut guttae quidem minus limpidae ex foliis decidant ; ipſi vero fructus ſaturate vireſcant ; apertiſſimo indicio , collectum in foliis pulverem lutulentum , qui altius inſedit multumque virium vel impediit vel confecit , rore hoc aſperſo dilui , adeoque ipſas arbuſculas irroratas recreari, confirmari atque conſtitui. Si multo tempore in terris non pluit , loco aquae pluviae aliam quamcunque his uſibus deſtinavi , ita tamen , ut in vaſe aſſervata prius nonnihil tepeſceret, ne ſuo ramulis frigore officiat, eosque enecet.

Denique cum verna radicum tonſura iure merito cauſſis defluvii huius annumeretur;hoc una cum damno inde emergente certo certius cavebitur, ſi illa reſectio vel plane intermittatur, vel commodiori tempore inſtituatur.

Quibusdam etiam annis obſervatum eſt , groſſos diu ſatis firmiter haerere , etiamſi pediculus ſubniger ac macer exaruerit , ipſaque tandem poma nigredine tingantur. Cauſſam non aliam ſubeſſe credo , quam quod aedificium ſerius erigitur , malique tegetibus quaſi poſtliminio adumbrantur. Tum enim pruina tam fruges, quam

earum

earum petiolos adurit; qui deinde per hiemem prorſus exſucci et emarcidi fiunt, usque dum fruges denique ipſae ob nutritii humoris defectum fuſco marcore inficiantur. Facilius haec, quae dixi, mihi perſuadeo, cum uvas ſimile quid paſſas eſſe ipſe viderim. Autumno enim medio thyrſi pampinei pruina algente ſtatim obriguere, et contorti ſunt, uvis nondum ulla ex parte laeſis: at thyrſis poſtmodum langueſcentibus, baccae quoque flacceſcere, ac putredine reſolvi ac vitiari coeperunt. Idem quoque damnum ex ſubita tempeſtatis mutatione provenit,

— ubi Rypheae torpentia frigora brumae
candidus aprica Zephyrus regelaverit aura,

et muri praecipue lapidei humore ſudaverint; uti hoc ipſum alibi iam a nobis notatum eſt. Anno huius ſaeculi ſeptimo rarum arbores defluvium paſſae ſunt, vix unquam antea a me obſervatum: ac initio quidem errore quodam, circa curam hiemationis admiſſo, id factum mihi perſuadebam; ſed querelae ob ſimile damnum ab aliis auditae hoc mentem dubio liberarunt. Poma videlicet aurantia maiora, praeſertim vero Olyſſiponenſia, nec non poma Adami et limones, poſtquam pomaria adapertis feneſtris vento inſpirabantur, ante maturitatis tempus, luteum colorem ducebant; tandem vero menſibus Aprili et Maio, nativo planeque aureo accepto, indurata, ſucco vacua et immatura humi colligebantur. In cauſſam huius rei inquirens, non aliam ſolidiorem invenire potui, quam fervidos diuque urentes aeſtatis antecedentis calores, qui effecerunt, ut poma, quae prima ex floribus praecocibus enata ſunt, magnopere grandeſcerent, et ante hiemem ferme matureſcerent. Ad illa vero excoquenda ſucco nutritio copioſiore opus erat, qui ingruente autumno ſenſim deficiebat. Vehementer autem dubito, rore ea frequentius adſperſo potuiſſe conſervari, maxime cum hibernaculum undique clauſum aura inſpirare rarior nequiverit. Iſti igitur fructus exſiccati macreſcebant, ſiquidem et pori ſive vaſa, per quae humor ad ſupremas usque frondes devehitur, occludebantur, ut adeo ob denegatum ſuccum vere adventante neceſſario deciderint; quamvis aëri expoſiti aliquo prius colore infecti conſpicerentur.



CAPVT XII.

CAPVT XII.

Agit de Quaeſtione: Num mala citrea et aurantia, quae in Italia gignuntur, ſucco ſint magis turgida, quam quae Germania nobis dat? et, num illa uſu praeſtantiora quam haec? item: Quodnam ſit tempus collectionis?

QVanta noxa, quot quantaque in omni vita detrimenta a praeiudiciis oriantur, verbis explicari non poteſt. Paucis ut multa dicam: Praeiudicia ſunt fons ille perennis, ex quo omnes errores ſcaturiunt: ſunt damnoſa Pandorae pyxis, ex qua omnis generis mala hominibus ſunt immiſſa. Nonne quotidie videmus pueros anilibus nutricularum fabulis enutritos ac perterrefactos, etiam cum ad pubertatis annos pervenerint togamque virilem ſumſerint, lepore ac dama timidiores? Leviſſimi motum ac ſtrepitum folii exhorreſcunt,et propriam ſibi umbram neſcio quam larvalem formam imaginantur. Seduli iuventutis praeceptores, illi praecipue, qui adoleſcentiam bonis literis artibusque imbuunt, teſtes advoco, quantum negotii ipſis faceſſant ii, quos a praeconceptis opinionibus erroribusque ad veritatis tramitem perducere debent. Plus certe temporis eorum informationi impendendum, quam qui ullo de rebus conceptu nondum ſunt imbuti. Etenim *quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.* Vt difficulter timorem, quo viſa aranea, artificioſo quodam reti muſcas captante; vel mure ridiculo conſpecto, nonnulli percelluntur, rurſus omittunt? Quam nauſeam multis creat cibus, nunquam antehac deguſtatus; quem tamen ubi ſemel delibarunt, in deliciis poſtea habent; etiamſi proximos ſe, eo comeſo, morti futuros firmiter prius perſuaſi eſſent.

Sunt autem iſta praeiudicia vel intellectus vel voluntatis. Atque illi quidem oriuntur nunc ex eo, quod nimia quis ſui fiducia fretus falſam opinionem ut certam et indubiam arripit, priusquam in rei ipſius cauſſas accurate ſatis inquiſiverit: quo fere praecedentia exempla pertinent. Nunc alterius, quem virum bonum nec errare, aut labi, nec nos decipere poſſe credimus, auctoritate ducimur, in cuius ſententias utroque, quod dicitur, pede properanter imus, in eorum verba tanquam oracula iurantes. Atque hinc eſt, quod innumeri ſcriptores viris doctis vapulant, eo quod falſiſſimas aliorum nugas ex aliis fideliter in ſua ſcripta derivent, orbique erudito divendant. Atque haec labes eo deterior eſt, quo longius a primo auctore receſſum, et opinio ab aſſeclis non adeo perſpicacibus hauſta fuerit: e rivulis enim cum in ſua fere deducant hi imitatores, ſervum pecus, maiorem ſordium copiam una transfundunt. Sunt autem et quaedam voluntatis vitia, ut malitioſa invidia, et ſimilia, quae ut praepropere de rebus iudicemus, nos adducunt. Hinc fit, ut tum res tum ipſos homines frequentiſſime vitiorum labisque non unius maximo eorum damno inſimulemus, quo ſuſpecti redditi famae utilitatisque iacturam faciant. Atque in hunc cenſum falſa iſta referenda opinio, aurantia citreaque mala, quae Germaniam natale ſolum habent, et ſucco et viribus deficere, ac corticoſa nullius fere uſus eſſe. Non equidem diffiteor, a veritate id non

prorſus

prorſus eſſe alienum, ſi de arboribus ſermo ſit, quae intra vaſa anguſtiora arctantur; aut de iſtis, quae loco umbroſo poſitae et aura et libero ſolis aſpectu defraudantur, aut in quibus colendis alia culturae pars debitae negligitur. Hae cauſſae ſunt, ob quas minus illa ſuccoſa, inſignique facultatis ac bonitatis portione deſtituta. Augmento enim eorumque maturitati, et ne ad frugem poma perveniant, iſtae plurimum obſunt. Idem vero de malis, ipſius ſoli hoſpitio exceptis, quibus nec aëris liber afflatus nec ſolis radii, neque cetera cultura debita denegantur, vere dici nequit. Et in quorum animis perverſum hoc iudicium inſedit, ii vel ignorantiae vel invidiae ſe obnoxios ſciant: Noſtris videlicet invident, iſtam arborem his quoque in regionibus feliciſſime coli, ex eaque feraciſſima fructus nos percipere non crudos et inchoatae tantum, ſed perfectae maturitatis ſuaviſſimosque. Tantum enim abeſt, ut noſtra poma arantia ad unum omnia, quae illorum criminatio eſt, corticoſa ſint, et exſucca, ut pro certo potius affirmem, eum, qui haec conſtanter affeverare non dubitat, aut nulla aut vix una arbore pendentia apud Teutonas meos vidiſſe; aut certe falſo perſuaſum eſſe, ex fructibus, quos arbuſculae frondis obtentu feneſtram inumbrantes ferunt, omnia ſe cognoviſſe Heſperidum Germanarum poma, eorundemque genera varia deguſtaſſe. Adeant Italorum tabernas, eorumque, qui ex comitatu Tirolenſi, nundinarum tempore Heſperidum nobis aurum venale exponunt; redimant ſibi mala aliquot tam citrea quam aurantia, quo tandem cognoſcant, eorum certa genera, Limonum praecipue, Cedratorum ac ſimilium, carnoſo obducta cortice, medulla minus ſuccoſa, ipſam quoque ad nos Italiam mittere. Arbores itaque pomorum minus mitium feraces cum ſint, non poteſt fieri, quin, ubicunque locorum, ſive in Italia ſive in Germania, pomario inſerantur, fructus congeneres ubique fundant.

Qui vero bonas pomisque ſuccoſis fertiles arbores ſuo in plantario plantat, poma mitia multoque ſucco gravia legat neceſſe eſt. Fieri equidem interdum ſolet, ut unus idemque codex aut ramus fructus multum diſſimiles creet; ſed eorum corticoſi e floribus cordis enati, illam ipſam ob cauſſam, deficiente videlicet ſolis vi, minus excoquuntur, multamque in iisdem cruditatis remanet; id quod in arboribus intra vaſa depactis frequentius obſervatum eſt. At non omnium in Germania hoſpitantium arborum, pomorumque inde provenientium, eandem eſſe conditionem, fructus, quos noſtra haec tulit terra, artificis manu caelati teſtabuntur: plurimorum namque imagines, ipſa poma copioſo ſucco multaque carne abundaſſe, oſtentant.

Si quis certo experimento, pomo tamen nondum diſſecto, deprehendere cupit, corticoſum illud ſiet, an ſucci plenum? ſciat, e pondere id commodiſſime diiudicari poſſe. Carnoſa enim ſuccoſum pondere multum excedit: quo leviora vero ſunt, eo craſſiore cortice haud dubie veſtiuntur.

Alterum, quod citreis noſtris aurantiisque hominum error vitium affingit, eſt, ſucci minus plena adeoque ſicciora eadem eſſe. At falſum hoc eſſe, oculis, cui volupe eſt, quilibet conſpicere valet, modo pomum in tempore decerptum cultro diſſecare voluerit. Exſucca enim, ſi qua alicubi reperiantur, poma, intempeſtive eadem lecta, et vel horti dominum, vel hortulanum minus eorundem culturae peritum arguunt. Nam maturi fructus, ubi iuſto diutius ſua ex arbore pendent, ſenſim marceſcunt, exſiccantur tandemque torrefacti prorſus indureſcunt.

Tum autem Heſperidum iſtaec poma tempeſtive decerpimus, cum aureo ſuo colore tinguntur. Simul ac enim eo imbuuntur, matureſcunt. Parum vero refert,

 ex parte

ex parte eadem ſubviridia adhuc pallere ; ſucci namque ſunt pleniſſima , ubi multa ipſorum parte aurum nitet. Illud vero ſciendum , noſtris in tractibus hos fructus altero demum anno maturitatem aſſequi ; et , ubi auctumno circa menſem Octobris flaveſcere occipiunt, initio veris demum proximi metenda eſſe : quae , ſi ulterius ab arbore pendeant, nullos fere uſus aut ſane exiguos praeſtant.

Sunt nonnulli, qui aurantiorum culturae peritiſſimi ſibi videntur, in ea opinione, nec ab eadem ſe dimoveri patiuntur, cauſſam huius exſiccationis eſſe, quod ſuccus ex pomo, quod permaturuit , per ſcapum veluti canalem in ramos et ſtipitem refluat. Hanc vero ſibi falſam falſo imaginantur, cum etiam poma , quae tempore opportuniſſimo demetuntur, et in futuros uſus diutius aſſervantur , nihilominus ſenſim exſucca fiant. Nimirum innumeris cortex meatibus ſive foraminibus , poros vocant , patet, per quos humor ille paullatim exhalat, et in auras , non vero in ſtipitem, ex quo decerpebatur , abit. Hinc Tenara recte monet, ſi quis diutius aſſervare decerpta vellet, illa vel ſub arena pura, vel furfure vel milio vel ſub farina recondenda, et in loco opaco eoque ſicco reponenda eſſe. Iſtam illorum Philoſophiam ad aniles fabulas, unde ortum illa traxiſſe videtur, ablegabimus. Inſedit animis hominum inepta iſtaec opinio, quando viridis arborum coma ineunte auctumno defluit, omnem ſimul liquorem verſus terram defluere, et in radice colligi. Fidem venerandae alias antiquitati adhibeat, qui volet : a me, ut aſſentiar, impetrare non potui. Equidem veterem colonorum regulam :

Adveniente die, celebrant quo feſta Sebaſti,
plantis humor alens arboribusque redit;

noſtro quoque aſſenſu comprobare viſi ſumus ; neque id in dubium nunc vocabimus, ſub veris initium ſuccum in ſumma etiam arboris cacumina omnesque eius ramos copioſiorem aſcendere ac transfundi; imo in cauſſam huius rei inquirentes, illam etiam confirmare ſatagemus: Sol enim altiora caeli tenens, plures ſpargit radios; qui humores, frigoris vehementia depreſſos, ut ſupremas arbuti partes petant, denuo excitant ; inde et cum Phoebi aſcenſu iſti augentur, atque cum ſol eſt altiſſimus, frutices quoque udo humore maxime abundant; foliaque et flores et fructus creant. At enim vero ubi cum ſole retrogrado dies decreſcunt , ſuccus quoque arborum nativus paullatim decreſcit ; ſuperſtes vero tum frugibus tum ipſi ligno nutrimentum praebet , eademque alit atque durante hieme fovet. Et quo depreſſior terraeque vicinior Phoebus ire ſolet, eo minor ſucci copia ad arbuſta et frondes defertur ; donec eo deficiente,

—— —— *frondes autumno frigore tactas*
jamque male haerentes alta rapit arbore ventus

Non itaque perſpicere valeo , ut humor per tenuiſſima ramorum filamenta ad radicum usque fibras recurrat.

Ceterum illud veriſſimum eſſe comperi , poma noſtra tam citrea quam aurantia, quamvis ſucci pleniſſima fuerint, arboresque in terra pomarii optime inſtructi eaque fertiliſſima peregrinentur, nullum tamen ſemen aut grana reddere. Aut ſi qua generant , non ita tument , uti in hortis Italicis enata : rudimentum enim tantum grani eſt, quod interdum conſpicimus, non vero ſemen perfectum, nedum maturum , et quod novis inde arboribus ſerendis ſerviret.

CAPVT XIII.

CAPVT XIII.

Malorum Medicarum morbi, horumque curatio.

NIhil quidquam, utcunque etiam nobis videatur, adeo validum eſt, adeo firmum ac ſtabile, ut ab exitio ſe et interitu vindicare poſſit: nihil, quod nullo unquam caſu laedatur, atteratur: imo cuncta prorſus denique abolentur. Idque homo, rerum creatarum omnium uti poſtrema ita perfectiſſima, ſiquidem ſolus is ratione praeditus eſt, ſuo ſatis exemplo confirmat. Eius imperio terram ſubiecit DEVS O. M. ut dominaretur in animantia terreſtria, et in piſces aquatiles; tradidit ei vaſtum Oceanum; aves in aëre ſummo nidulantes, uſibus eius conceſſit, omniaque humi repentia. Corpus ipſius ſtupendi operis miraculum eſt, ſive, quibus fulcris innitatur, conſideremus, oſſa nimirum, eorumque formam ac ſtructuram, ut carne illa atque cute tegantur, venas item, arterias, nervos, vaſa lymphatica, quorum ope et ſanguis et chylus et ſerum per corpus integrum diſpenſantur; ſive ipſa viſcera, ſanguini excoquendo et ſuperfluis reiiciendis prudentiſſime ordinata, contemplemur. Cerebrum quoque, accuratiori mentis trutina ponderatum, utpote ex quo tanquam ex admiranda ſpirituum animalium officina, hi ad omnia ſenſuum organa animanda ſapientiſſime diffunduntur, luculentiſſimo Creatoris O. M. potentiam pariter ac ſapientiam teſtimonio comprobat, nosque, ut tanta haec beneficia admiratione ſtupentes gratiſſima mente nunquam non celebremus, commonefacit. Hoc tamen naturae miraculum, cuius perfectioni nihil omnino deeſſe videtur, languidum nihilominus eſt, ac fragile, morbisque mille et mortibus non unis obnoxium, ita ut poſt exitioſum generi humano Adami lapſum concinna iſtaec membrorum diſpoſitio ac concordia amica facile diſſolvatur, turbetur, ipſumque corpus minimis momentis penitus evertatur. Quoties membra inopinato luxamus, crus frangimus, aut articulum extorquemus? quoties muſculos partesque corporis toroſas quaſſamus; quoties ſphacelo, cancro aut putredine corruptae abſumuntur? Nonne cutem morbilli, varioli, ſcabies, puſtulae, ſimilesque hoſtes, inſectorum denique varia genera infeſtant ac deformant? Nec paucioribus, imo longe plurimis morbis viſcera quoque interiora afficiuntur. Quos quantosque interdum vehementior cordis palpitantis vivacitas ac pulſus edit? Quos cordis angores experiuntur aſthmate ſive dispnoea laborantes? quam periculoſa eſt peripnevmonia et phthiſis? quam difficulter ab aqua intercute, hydropem morbum nominant, corpus liberatur? quam gravis, ubi lienis affectus turget? quam miſer ille, qui nulla ciborum cupiditate aut appetentia tangitur? Nonne impedita ciborum in ventriculo concoctio lerna et fecunda infirmitatum mater eſt? quot dolores pariunt colicae paſſiones, dyſenteria, alvique ſolutae profluvium? quot lapides intra veſicam et renes enati? Catarrhi, rhevmatum, pituitae curſus, apoplexiae denique fons et origo in cerebro quaerenda. Oculorum lumina,

lumina, quae mentis feneſtram non male dixeris, levis aliqua ſtipula adimit et aeterna mulctat nocte: faſtidioſiſſimus aurium ſenſus vehementioris ſoni allapſu ſi non plane aufertur, ita tamen creberrime laeditur, ut mare aeſtuans aut horrendos tubarum ſonitus miſeri audire ſibi videantur: Linguae uſum balbuties impedit: guſtum pariter et olfactum non habent, quibus gravedo incommodat: et ut paucis multa dicam, omnium omnino membrorum nervi debilitantur, torpent, facilius vitiantur quam ſanantur. Quae omnia ad corporis totius deſtructionem tendunt, mortemque accelerant. Neque ſolus homo adeo miſer eſt et fragilis: ſed, quemadmodum cuncta terrae animantia, aves item ac piſces, infinitam ſapientiſſimi Conditoris potentiam celebrant: (aeque enim artificioſa corporum conſtructio, eademque ſuo genere non minus perfecta, in iis conſpicitur, quam in homine:) ita et non paucioribus morborum caſibus corripiuntur. Obſervarunt diligentes naturae interpretes, plura eorum tam ex quadrupedum quam alitum genere, ab animalculis, eorundem hoſtibus perpetuis, vermibus, pediculis aliisque inſectis impeti, divexari, abſumi necarique. Inveniuntur equidem et in his, quae longaeva ad multos annos vitam producunt, hominisque aetatem transgrediuntur. Cervum Plinius centeſimum vivendo annum ſuperare aſſerit: Id quod inde multis credibile videtur, quod cervi capti memorantur armillati; armillo vero nomina inſcripta legebantur eorum, qui iam olim defuncti torque iſtos ante aliquot aetates donaverant. Accipitrem ſeptem vitae ſaecula implere, Aegyptiorum fide Aelianus refert: mihi tamen haec narratio ſubleſtae fidei videtur. Ex piſcium genere Lucium, quem *regem atque tyrannum aquarum* ſalutant, vivaciſſimum eſſe, praeter alios Geſnerus et Vlyſſes Aldrovandus tradunt, Lucium Friderici II Imperatoris memorantes, quem in ſtagno quodam (verba ſunt Aldrovandi) vixiſſe CCLXVII annos ex annuli aerei, quem, cum ſtagno eum Imperator inderet, in branchiis ſub cute abdiderat, inſcriptione Graeca colligitur, cuius tenor talis eſt: Ego ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impoſitus per mundi rectoris Federici II manus, die quinto Octobris. Fuit enim inventus iſte annulus in capto eo Lucio anno Salutis MCCCCXCVII. ut teſtatur Conradus Celtes, referente Geſnero in ſua epiſtola nuncupatoria. Haec Aldrovandus. Haec utut ſint, pauca tamen ex omni animantium genere vivacitatem ſuam usque in tot annos prorogant; et vivaciſſima tandem a mortis lege itidem nequaquam ſunt exemta, etiamſi nec naſſa nec hamo capta, nec hominibus in cibum cedant. Imo ne rupes quidem duriſſimique ſilices perdurant: fracti comminuuntur ac edace rerum tempore abolentur. Si itaque, ſecundum Poëtam,

mors etiam ſaxis marmoribusque venit;

eo minus mirandum, gramen quoque terreſtre ac flores amoeniſſimos, quos omni Salomonis ſplendore ſplendidiores eſſe Chriſtus Servator Optimus aſſerit, brevi marceſcere. Ne quid dicam de floribus malvae horariis aliisque, qui quo die mane oriuntur, eodem iterum ante ſolis occaſum decidunt. Arbores quoque non trunci valentes, non capita inſerta nubibus, non viror quarundam perennis, cum aliae nudae ſtent et ſine honoribus, non foetus delicati, a morbis immunes praeſtant; quin imo et hae pariter arentes tandem emoriuntur. E re itaque eſſe duxi, ſi praeſenti hoc capite in aurantiarum citrearumque morbos eorumque cauſſas diligentius inquirerem, et quod illis remedium medeatur, accuratius indicarem. Eo autem maiorem a ſedulis Heſperidum cultoribus gratiam me initurum confido, quo difficilior teneriorum harum arbuſcularum apud nos cultura eſt, priusquam ſolo peregrino

peregrino depoſitae auram ferre acriorem, et aquam bibere ambiguam adſueſcant. Radii enim ſolares, uti iam aliquoties dictum, heic locorum non ita vehementes ſunt, quam illis in regionibus, ubi tanquam in ſolo patrio educantur. Quoniam vero morbos earundem non paucos variae tempeſtates apportant, coloni curioſi atque cauti erit, ipſas frequentius arbores contueri, quo vitia in tempore deprehenſa, ut poteſt, tempeſtive declinet ſummoveatque.

Exſudat interdum Medica malus gummoſas lacrimas; quae non aliunde ſunt, quam a vitioſo noxioque ſucco, quem per minutas corticis rimulas ſive poros per ſe ipſa naturae inſtinctu egerere conatur. Saeva haec gummae ſtilla, e codice medio vel ſuperiore defluens, liquida fere eſt, tandemque areſcit, et, niſi medicinam feceris, univerſam non raro arborem necat. Gumminanti eiusmodi citro diuturnam utiliter conſuetudinem ſic mederi affirmat Celeberrimus P. Ferrarius: Saevam, inquit, gemmae ſtillam, crudelemque lacrimam, non cito areſcentem, ut eſt in proverbio, ſed paulatim arefacientem, cultro diligenter abradit (conſuetudo:) deinde reſinatae cerae illitu exitialem ſcatebram obſtruit, et nocenter lippum oculum ſalubriter caecat. Aſt compertum mihi eſt, poſtquam gumma haec reſinata induruit, cultri ac raſurae uſum fere noxium eſſe, cum fieri non poſſit, quin cortex laedatur: eo autem inciſo copioſior cum vitioſo ſincerus humor deſtillat, ipſiusque vis ac vita ſtirpis ſenſim dilabitur. Hiulcum itaque et gummantem librum linteo iterum iterumque humectato circumligo, ut gumma a ſolis calore indurata molliatur, et liquida dein inductoque lentore cerea abſtergatur. Tum demum manans arboris ulcus, ubicunque hoc inſederit, cultro purgatum ſuſtuli; ac cera reſinata illita perſanare non inutiliter nec incaſſum ſtudui. Cum anno 1705. nimboſa ac plus ſolito algida veris tempora inciderent, piceae eiusmodi ſtillae minores, margaritarum inſtar, in ima ſcapi parte, palmae altitudine a terra, hinc inde haerentes, morbi contracti indicium fecerunt. De cauſſa huius rei ſolicitus, corticem mollem, friabilem, lentoque ac glutinoſo humore a ligno ſolutum deprehendi. Eum itaque circum circa abiunxi eousque, dum incolumis liber, ac nativa duritie vegetus eſſet. Dein vero, quandoquidem foliorum decor integer erat, necdum pallore flaccidus, quadro e ligno parato, quod ultra ſpithamam cum morbido integrum tegeret, ſtipitem concludendum, humoque pinguiore laetificandum curavi, ſucceſſu adeo proſpero, ut arbuſculas viridantes, utpote quae novas etiam intra terram et vaſa ipſis addita radices agerent, ſalubriter feliciterque conſervarem. At dicet aliquis: an arbor cortice denudata nihilominus vivere, ac multo virore nitere poſſit; cum plurimis experimentis compertum ſit, frondes ac folia brevi marceſcere, arboremque ipſam emori, ubi truncum quis inferioremque eius partem decorticaverit: nam ſucco per corticis tenuiſſimas fibras aſcendente, vitamque largiente, illa deſtituitur. At enim vero, noxia illa arborum decorticatio, de qua pluribus poſtmodum agetur, ab omnimoda radicum putredine et corrupta ſubſtantia ortum habet: unde dum ſuccum hae ad ſtipitem et frondes parcum, et denique nullum prorſus, deferunt, ſicco illas languore conficiunt. Alia vero tum res erat, radicibus videlicet nulla labe affectis, udoque ſanguine abundantibus. Meum hic non eſt disquirere, num per medullam humor omnem arboris molem alens ad ramos, frondes ac folia diffundatur? Certum ſane eſt, vivere eam demto etiam cortice. Nec minus ex terra, quae arbori ope quadri lignei nova aggeſta, praeter vitioſam, et multam ſcapi integri partem contegit, itidem nonnihil eam nutriri certo conſtat: fibrae enim tandem ex libro enaſcuntur, quae vires arbuſculae multum debilitatas ac fere conſumtas pleniſſime reſtituunt. Tempeſtive itaque ſi malum hoc cavere et avertere curae erit, cortici ſectionem, quae in arboribus alias frugiferis uſitatiſſima eſt, cultro infligendam curabis. Cauſſam huic vitio dediſſe urentem frigore

tempeſtatem perſuaſum habeo; vel potius aquae frigidioris adſperſionem, quae nimia malos medicas ex hibernaculi clauſtris exemtas, ac caelo iterum patentiori donatas, intempeſtive coloni irrorant: quaſi parum aut nihil referat, frigida ſit dies, an calida. Adeo inconſideratum,iners ac nullius conſilii eſt agreſtium hoc hominum genus. Abundantem ergo humorem cum radices inſugant, et ad ſtirpem transmittant, qui tempeſtate horridiore, a ſole nondum adeo vehementi, haud ſatis excoquitur, nedum ut ad altiora et nova germina protrudenda agitatus animetur: hinc crudus ille ac vitiatus, quamcunque contigerit partem, exulcerat, ſicque ſuo ſe ſudore arbos amburit.

Eſt et alius morbus, cum cortice,poſtquam hic aridus in plurimas fiſſuras dehiſcit, ac per ſumma trunci dependet, lignum omnino denudatur. Malum hoc uredini accenſendum, illiusque, utpote antecedenti non plane diſſimilis, eandem eſſe rationem iudico, nimium puta humoris vegetantis affluxum. Lentore quippe mucido, in quem liquor non excoctus tandem abit,cortex emollitur et corrumpitur: deinde vero, niſi remedia temporius quaeſiveris, iſta undarum copia perennem ſitim accendit. Itaque dum malus *ſitim ſedare cupit, ſitis altera crevit.* Quam huic peſti medicinam ſalubriter fecerim, ſuperius capite VII tradidi. Videlicet,cum corona elegantiſſime niteret, corticem exuſtum corpore tenus cultri ope delibravi, donec liber viridior appareret. Tum intra aſſeres in quadrum bipedale diſpoſitos, qui tamen alterius etiam ſpithamae altitudine nudatas trunci partes excedebant, terra arbuſculam laeta circumfundi ſalubriter curavi. Ita namque vivacitate per annum integra vernos dein flores ipſosque mox fructus proferebat. Interiectis autem aliquot annis, vitam illius minus vegetam ſenſi: Terra autem ad radices usque ſuffoſſa,patuit,illas limoſas eſſe et putredine vitiatas. Proin ex quadro latus ſeu aſſerem removeri iuſſi; unde novas intra aggeſtam quadro humum radices vivas cepiſſe malum conſtabat. Veteri itaque radice reſecta, novis ea in vaſculo ligneo recondita nitebatur,et incolumis anno proxime inſecuto flores emiſit,praeterque omnium opinionem foetus eduxit.

Heic loci et illud ſilentio praetereundum non eſt, humorem illum, ſi nondum in lentorem mucidum abiit, imae radicis germinatu interdum eiici. Atque hic nemini non diſplicet, eo quod ſuccum is alibilem ac genitalem arbori praeripiat, ipſiusque decori altius enatus officiat; germina proin illa falce recidunt; neque id improbandum, maxime ſi vaſculis arbor incluſa. At cum arboribus in ipſo horti ſolo hoſpitantibus per integrum ſaepe anni ſpatium illa creſcere ſivi, quod ita ſuperfluos iſtos liquores ſalubriter abſumi iudicaverim: at magis illa magisque invaleſcentia deinde itidem reſeco. Interdum,cum ſatis roboris acquiſiverunt ac firmitatis, germina vaſculo teſtaceo, quale caryophyllis hortenſibus ablaqueandis affigitur, includo, ac tum demum, cum propriis radicibus vivere coeperunt, a matre revello, ſicque hanc una cum filia ex animi ſententia valentem virentemque conſervo.

Porro hieme interdum rami maculis, glauco ſitu obductis, ſqualent; qui diligenter inquirendi ſunt,ne ſenſim arbores inficiantur,peſſimaque robigine adurantur. Haec quippe corticis putreſcentis cauſſa non ultima eſt. Glaucis vero eiusmodi maculis tum potiſſimum conſperguntur, cum frigus intenſum hibernacula diutius claudit, aut plantae fruticesque alii intra ea recepti, quominus aura liberius illa perflare queat, impediunt. Vapores quippe humidi,quos copioſiores diffundunt,tholo ſuſpenduntur, et in guttas collecti in arborum frondes impluunt. Quamcunque hae guttae partem contingunt, niſi fluxerint, putreſcente rancore ac robigine notant, neque foeturae neque florum uterculo parcentes. Et iam alibi notatum eſt, niſi humores, qui exſudant,ab aëre diſſipentur,gemmas ſitu floresque noxio obduci. Proinde aër,uti dictum, admittendus, tholusque linteo perticae affixo ſaepius abſtergendus; rami vero tenerio-

res

res maculoſi exſcindendi, et ab inſignibus glaucus ille mucor, ne malum latius ſerpat, cultro demendus. Maxime tectum curate obſtruendum ac communiendum, ne nix ſole liquefacta, aut imber frigidior in delicatas has arbores impluat, noxamque et illis et nobis afferat.

Hac occaſione temperare mihi non poſſum, quin ex ſolertiſſimo Malpighio repetam, mucedinem hanc nil aliud eſſe quam plantulas: In limonio et aurantio pomo, inquit, poſt aliquot dies rotundus ſenſim eminet in cortice tumor, a quo, echini inſtar, pili, ſeu minimae plantulae erumpunt. Progrediente vegetatione, veluti pratum floret, et nonnulla expoſita filamenta tandem capitulo donantur, et in fungos immutantur. Quaedam quaſi flores laxantur in apice; interdum, ut obſcure mihi licuit obſervare, minimae plantulae tres ſurculos ſeu propagines promunt; tribus ovalibus capitulis ſeu floſculis ditatos. Interdum ſeptem cryſtallini et lucidi globuli pendent, et horum quilibet minimis ulterius orbiculis coagmentari videtur. Delineatae plantulae caule firmantur, qui utriculorum ſeriebus componitur. Exarati fungi hiante capitulo tandem donantur, quod ex cinereo ſubviride, et poſtremo caeruleum redditur; et exſiccatum in tot lacinias ſeu minima fruſtula ſolvitur. Interea luxuriante vegetatione, fit fibroſum rete, cum angularibus areis; et extremi filamentorum apices, flores ſeu cryſtallinos globulos emittunt. Huiusmodi reticularis plexus ſubiectos fungos, reliquarumque plantarum ſilvam circumambit, et lateraliter obtruncatos quaſi ramos promit. Haec Malpighius.

Pergo iam ad alios morbos, et ulterius noto, non fallax et hoc praeſentis carbunculi indicium eſſe, ſi palmites et flagella, in hibernaculo maxime adhuc cuſtodita, elangueant torreantve. Atque tum illa macilenta quantocyus abſcindemus, ipſumque ramum, ſi aliter ſervari nequeat, falce reſecabimus. Eiusmodi quidem ramalia ſub initium quandoque veris aliquandiu haerere in arbore ſivi experiundi gratia, num, quae arboris alias huius vivacitas eſt, ab ipſa ducat opes animamque morte? At nullo meo commodo. Quamprimum enim altae humore nativo germinarent frondes, ligni aridi ab vegeto ſeiungendi indicium ac nota ſe prodebat circulus luridus, qui ubi falce ramalia eſſent incidenda, praemonſtrabat. Atque ita ligno germinante prorſus illaeſo, illa feliciter ſuſtuli. E contrario vero ubi, antequam nota uredinis compareret, ramalibus falcem adhibere tentavi, etſi partem quoque ex ſano praeſecuerim; quin tamen reliquae frondium partes adurendo corriperentur, cavere haud potui.

Eſt et alius harum arborum morbus, quo non cortex tantum, putredine emollitus, ſed et ipſe ſcapus, qua parte terrae proximus eſt, vere potiſſimum appropinquante, tentatur ac intabeſcit. Is ſi omnem circum circa corripit et arefacit, perit arbor, nec ullis morbum viribus depellemus. Sin vero aliqua ſolum ſcapi pars, etiamſi digiti lati menſuram vix habeat, integra et ſana remanſerit, occurrere malo poſſumus illudque levare; amputando lignum exſangue eousque, dum virens ac vegetum comparuerit. Vulnus autem oleo reſinato aut cera emphyteutica conſolidabimus, aptato cuneolo, qui partem exciſam exaequet, tum ut a pluvioſa tempeſtate, tum ab acriori ſolis aeſtu defendamus. Neceſſe vero etiam eſt, ut effoſſa terra, radices quoque putreſcentes ab integris falce ſeparentur. Amplius et hoc notari meretur, iſtum uredinis morbum, qui iunctum ligno librum ſeiungit, alibi locorum plane incognitum eſſe, uti periti rerum hortenſium coloni mihi retulerunt. Neque unquam me annotaſſe memini, iſtud vitii arbores, quae in horti area panguntur, ita corrupiſſe, ut nulla plane corticis pars in ambitu ſana remanſerit; omnisque adeo corrupta ac ſoluta mortem acceleraverit. Semper enim, ſi fortaſſe eo tactae fuiſſent, felix iiſdem cura medebatur. At vaſorum anguſtiis concluſas par-

te ſtirpis infima ſaepius delibratas, ac brevi emortuas vidi; ita ut has tale quidpiam praeter ceteras pati certum ſit. At quaeris: Vnde fit, ut alibi locorum ſatae, altae et educatae ſtirpes ab hoc malo immunes praeſtentur? Cauſſam in terrarum diſcrimine quaeſiverim. Illa enim argilloſa ac craſſa nunquam ſolis calore ita exuritur, quin neceſſario radices ſucco nutrire valeat. Hae vero ubi uligine continua madent, delibrationis vitio raro urgentur: cum fons illius ac origo inde ſit repetenda, ſi, poſtquam radicibus, et earum maximae praeſertim, humor, quem ſitiunt, ob parcam irrorationem aliquantisper defecit, ita ut aruerint, ſi, inquam, crebra dein aſperſione iterum recreatae nimium biberint. Tum etenim non poteſt fieri, quin putredinem concipiant, quae vicinas quasque ſtirpium partes velociter corripit, ipſasque omnino enecat.

Inter cauſſas huius morbi etiam numeratur, ſi pedamen, quo arbuſculae fulciuntur, propius ſtirpem defigatur in terram, maxime ſi non ſine vi ac impetu hoc fiat; cum radicum craſſiores etiam interdum atterantur, ut quaſſatas putredo reſolvat: Quod deinde vitium vicinas quoque partes inficit, dictaeque delibrationis cauſſa exiſtit. Itaque nec haec pedatio temere ſuſcipienda; cum e re minima damnum frequenter ſat grave oriatur. Quare cum arbores has iam antea pedatas transferimus, recte fecerimus, ſi, quod a palo eſt, foramen paxillo notemus, quo eidem palus denuo affigendus indatur; ſicque nova hac pedatione et radicum laeſio, et quae hanc conſequitur, corruptio caveatur. Ceterum Capite VII iam a me notatum eſt, decorticationis cauſſam a bene multis haberi, ſi in terram profundius ſtirpes cum radicibus demergantur. At ut ad horum rationes accederem, nondum a me impetrare potui. Et ipſi quoque coloni Itali, uti praeſens vidi ſaepius et audivi, profundiorem demerſionem probant magis quam improbant. Sed hac de re ſupra fuſius egimus. Optimum autem remedium, idque inſtar omnium eſſe poterit, diligens Heſperidum, dum ſub tecto hibernant, cura, et crebrior veluti luſtratio, quo, ſi aliqua corticis pars vitium contraxerit, et maculoſa appareat, tempeſtive illi occurratur, ne ſtirpem circa amburat, et immedicabile dein vulnus enſe, quod dicitur, ſit recidendum. Praeſertim conducet illis, ſi humi ſuperficies, ne condenſata nimium indureſcat, circa arbuſculas nonnihil ſubinde effodiatur. Apprime itidem noxam hanc avertemus, ſi vaſorum hoſpites, ſub tectum reductas, non ſecus atque cum aëri adhuc liberiori eſſent expoſitae, in tignis collocaverimus, quo illorum fundus ab aëre queat luſtrari. Si enim in aſſeribus collocentur, ſtagnabit aqua ab irroratis arbuſculis defluens: unde et ſaepius animadvertimus loca haec putrida et mucilenta. Iſtam autem putredinem extremas radicum fibras inficere, quis negabit? A radicibus deinde ad ſcapum et reliquas arboris partes aſcendit malum, uti illi comperiunt, qui medelam afferre cunctantur.

Saepe etiam et fructus et arbores quorundam hominum praeſentiam perhorreſcunt, nudoque horum contactu enecantur. Fructibus praecipue malum imminet ab illotis eorum manibus, qui praeter ceteros curioſi videri volunt. His enim non ſatis eſt, ut oculis uſurpent rem quamlibet: manibus quoque eam contrectant; quaſi hae ipſis oculis perſpicaciores eſſe ſoleant. In pomariis autem nimium intemperantes ſunt, qui contrectatum hoc aurum quaqua verſum inflectendo vertendoque, quo videlicet ex omni illud parte contueantur, ita labefactant, ut, ſi non prorſus avellatur, vix tamen amplius in pedunculis haereat. Multi eo audaciae atque impudentiae progrediuntur, ut nares quoque malis iſtis ſibi perfricandas, odorisque ſuaveolentia ſaturandas exiſtiment, cum tamen ante maturitatem odorem illa plane nullum ſpirent. Interim arbores, ſuo ante tempus decore ſpoliatae, huius temeritatis poenas immerentes luere coguntur. Quae eo graviores ipſis etiam colonis ſunt, ſi novellae iſtae ſint, et

frugum

frugum primitias oſtendant. Etenim cum has matureſcentes anxie non raro exſpectent. laboris praemium, omnis ſimul ſpes, omneque cum ipſo pomo gaudium irritum cadit, eiusque loco dolor animum atque indignatio ſubintrat. Non equidem contactum hunc veram immaturi defluvii cauſſam dixerim, licet ut plurimum in culpa eum eſſe cenſeant plerique; ideo tamen ab inurbanitatis crimine non liberantur, quin potius contrectatores iſti nimia curioſitate laborantes haud immerito agreſtium nomine inſigniuntur. Porro quod ad ipſas aurantiarum ſtirpes attinet, periculum illis inde creari, triſtis nos experientia docuit, quando caſtas haſce arbores, ab impuris morboque occulto affectis corporibus attactas, et folia et frondes demittere, penitusque inareſcere vidimus. Ridicula quidem multis et ad fabulas aniles amandanda haec ratio videtur; et certe neque ipſe, eam ut crederem, diu a me impetrare potui, donec, rem ita ſe habere, eximiarum quarundam ſtirpium iactura me edocuit. Hiberno aliquando tempore quandam ex hortulani mei domeſticis aurantiae belle florenti aſſidentem, aridaque de Leucoio ibidem hibernante folia legentem conſpiciebam. Eius vero arboris, comae elegantia nulli ſecundae, corona ſumma altero ſtatim abhinc die lurida aurigine deformata apparebat; quae brevi integram adeo inficiebat, ut omnes omnino rami frondesque nigreſcerent. Conſulti hac ſuper re diutina experientia multoque uſu edocti coloni, pariter atque ego arborem accuratius contuiti, cauſſasque rimati, ne minimam tamen carbunculi alteriusve vitii ſuſpicionem invenire poteramus. Facta inciſione levi et lignum et corticem explorabamus; et utrumque ſanum ac vegetum virebat. Terra effoſſa radices inſpiciebamus; neque harum integritati quidquam deerat. Huius itaque mali cum nulla cuiquam noſtrûm cauſſa occurreret, venit in mentem eius, quod meis nuper oculis viſum paullo ante retuli. Hanc proin arborem, cuius interea flagella foliaque omnia poſito virore contabuerant, evelli, eiusque loco aliam depangi curabam. Cum vero morbidae illius radices nihil adhuc vitii contraxiſſe, appareret, non omnem mali curam, etſi eius perſanandae parum ſpei eſſet, negligendam eſſe cenſebam. Vulnerata ſtirpis ſummitate, corticeque hinc inde delibrato, hunc, uti dictum eſt, vitio vacuum deprehendebam: inter eum vero et lignum argema veluti quoddam rubicundum, qui emorientium arborum color eſt, inſidebat; illudque, ſecus atque alias fieri ſolet, ab arboris corona ac ſummitate deorſum verſus medium ſtipitem ſerpendo tetenderat. Medicinam illi facturus, partibus ſuperioribus iisque vitioſis ſerra demtis, relictum cum radicibus truncum, quem ſanum iudicaveram, in vaſculum quoddam, nova laetaque addita terra, inſerebam tam felici eventu, ut brevi ſurculos emittens adeo invaleſceret, ut intra pomarii hoſpitium, paucis annis interiectis, recepta, florum frugumque uſuram copioſam redderet. Atque haec fuſius narrare ideo libuit, quo ſeduli Heſperidum coloni ſcirent, qui malo iſti tempeſtive mederi, arboresque morti vicinas in vitam revocare feliciter queant. Mora enim paucorum dierum interiecta, morbus quotidie ingraveſcens radices quoque contaminaſſet; atque tum nulla prorſus eius depellendi ſpes amplius ſuperfuiſſet: vel certe arbore, quae ex ſurculo inſititio pomifera enata fuerat, peremta, ſtirpis ſilveſtris reliquias inanes atque inutiles reddidiſſet. Non abſimile fatum binis quoque pinis ſativis infeſtum fuit; quarum altera in pomarii area ſata, virilem altitudine ſtaturam aequabat; altera humilior in urna collocata priori vicina adſiſtebat. Harum nonnemo folia manu impura contingens, nomen ex me quaeſierat: et extemplo utriusque palmites defloreſcebant, et arbuſculae paucorum dierum intervallo prorſus ad maciem redigebantur; quandoquidem dicta illis ratione ſuccurrere non poteramus. Hinc conſultum omnino erit, ne pomaria manſionesque hibernae

cuique pateant. Cum vero oſtium paucis admodum occludere aut aditum denegare queamus, praeſcripto ſub introitum titulo, qua modeſtia ſit accedendum, et quam intempeſtiva arborum contrectatio, ſpectatores ac hoſpites ſunt admonendi.

Supra portam Horti Academici Altorfini legitur:

Hic natura parens , toto quos parturit orbe
flores fert oculis, queis lege, non manibus.

Supra portam hibernaculi apricam ordinem exoticarum plantarum haec verba reſpiciunt:

Hic Argus eſto, non Briareus.

Denique ad diaetam in centro horti:

CIVIS. AMICE. ADVENA
QVI. HORTI. AMOENITATE
CVPIS. OBLECTARIER
MODESTIAM. ET. CONTINENTIAM
COMITES. HABEAS
FLORAE. CVSTODES.

Poſſet item porta hac ſimilive exornari epigraphe:

Heic oculos paſcas, cohibe ſed, ſuadeo, palmas;
ne fruges retegant, quae male facta latent.

Quemadmodum vero, ut in proverbio eſt, ſuperflua non nocent; ita non ab re erit, ſi latera hoſpitum hortulanus claudat, et ſub ſpecie honoris eorum facta diligenter obſervet: ſola enim eius praeſentia multos, ne incontinenter aut immodeſte ſe gerant, abſterrebit. Quos autem eius praeſentia modeſtiae non admonet; eos verbis facetis ab immoderato contrectationis conatu verecunde revocare conveniet.

Simile aut forte maius aurantiae damnum capiunt, ſi canes easdem circumminxerint, quos ex hortis, praecipue Heſperidum manſionibus, excludendos eſſe, certum eſt, quod terram effodiunt, pedibusque radices, in area vero bulbos denudant, unguibus ſcalpunt, ac laeſos omnino corrumpunt.

Muſcus denique ille ſubviridis, qui cortici limoſo adhaeret, morbidam eſſe ſtirpem itidem manifeſto prodit; isque ſcabioſum veluti corticis excrementum eſt, dum videlicet crudus per poros humor eiicitur ac effloreſcit. Remedium vitio huic paratum eſt ἐυπόριστον. Pluvia enim copioſa decidens, perque librum exteriorem decurrens, et muſcum et limum, cui ille innaſcitur, emollit, ita ut veteri panno leviter madefacto, citra ullam noxam cortex emuſcetur, et uterque abſtergendo plane tollatur.

Arbuſculis item parum commodi affert, et inter frugum morbos recte a Plinio numeratur, ſi circa codicem malo ſe lolio variique generis gramine et herbis, pratulum imitantibus, terra veſtit: Aut, ſi laetior undarum irroratio denſo eoque praſino humum vaſculorum ligneorum carioſam muſco obducit. Certiſſima haec ſunt deſidiae olitoris indicia, utpote qui tum lolium tum muſcum ſub primo ſtatim partu ſarriendo exſtirpare, terramque perpurgatam, ne ſolida ac prope lignea induretur, crebrius invertere debuiſſet.

CAPVT XIIII.

De vermiculis et inſectis, aurearum malorum peſtibus exterminandis.

DIu multumque inter eruditos fuit diſputatum, num vermiculi et inſecta ex putreſcentia rerum, an ex ſuo ſemine oriantur? Bene multi olim pro opinione priori decertabant, ad experientiam provocantes, quod in rebus putredine corruptis maiori eadem copia frequentiſſime reperiuntur. Scarabaei piſularii et aſilus carnibus equinis ſuam debere originem creduntur; et vermes alios in caſeo, alios in plantis vetuſtate rancidis et mucoſis; quin in animalibus humi repentibus, ipſisque avibus aëreis generari: apes ex animantium cadavere enaſci, olim perſuaſum erat. Et Ovidius Metamorph. Lib. V. canit:

Semina limus habet virides generantia ranas:
et generat truncas pedibus. Mox apta natando
crura dat, utque eadem ſint longis ſaltibus apta.

Anguem ex medulla hominis ſpinae gigni, qui toroſas carnis partes conſumat, accipimus a multis, uti ſcribit Plinius. Hinc Ovidius iterum canit:

Sunt, qui cum clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulcro,
mutari credant humanas angue medullas.

At nemo naturae interpretum hodie fabulae huic fidem obſtringit. Et iam ipſi veteres cum Aeliano fabulae id proximum eſſe putarunt. Quaeramus ex veſpillonibus et ſandapilariis, qui magnam aetatis partem inter mortuos et in ſepulcris vivendo exegerunt, an unquam inter ſceleta natum viderint anguem? Non diſplicet tamen pia eiusdem interpretatio, quae ſerpentis vafritie et peccatis et morti nos obnoxios eſſe factos, ſcite admonet. Pictura quoque eandem commode illuſtrarunt artifices, qui, ut neminem a mortis lege eſſe exemtum, docerent, ſerpentes vel ſceletis circumvolutos vel exedentes oculos pinxerunt. Nemo autem ſerpentes naturae lege ex hominis corruptione oriri, ſibi perſuaderi amplius patitur. Apes in animalium corporibus generari, ex libro Iudicum probare contendunt, ubi cap. XIIII hiſtoria Simſonis in leonis corpore examen apum cum melle advertentis, atque hoc inde vola ſua eximentis, narratur. At ſana ratio, quidquid alii dicant, neutiquam ſuadet, apum illud examen a dicto leonis iacentis corpore vitam hauſiſſe, maxime cum apes a carne legantur abſtinere, et graves odores prorſus fugere. Vir Summus, Sam. Bochartus Hieroz. Part. poſt. Lib. IIII. cap. X. p. 504. 505. rationes illorum docte refellit, inter alia ex eo, quod *cadaver* hic vocetur, quod potius erat σκελετὸν σῶμα, *corpus exſiccatum* atque *arefactum*, in quo nihil quidquam ſupererat praeter compagem oſſium: in partes hic advocat interpretem Syrum, qui per *cadaver oſſeum* reddidit,

didit. Ita ut examen apum ex alvearibus evolantium in oſſibus denudatis, uti alias arboribus aliiſque locis conſederit. Pari ratione hodie apud omnes conſtat, non ex limo, ſed in eius proluvie ranas generari ex ſpermate, quod ſtatis temporibus emiſſum, noſtri die Froſch-Laiche vocant. Legi ac ſpectari merentur Oligeri Iacobaei, Medici Dani celeberrimi, obſervationes de Ranarum generatione, quas inter Acta Hafnienſia deſcriptas aeriqueincisas retulit Th. Bartholinus Volum. II. Obſerv. XXXIX. Ita et oeſtra ſtercoris equini non progenies, ſed inquilinae, putanda ſunt. Omnes enim vermes omniaque inſecta ea loca quaerunt, in quae cum pariendi tempus inſtat, ova, vel quodcunque aliud ſemen, deferant, ut et nidum progeniei commodum, et alimentum ſufficiens praebeant. Dum igitur fimus equinus acore fermentatus tepidus ſemper eſt ac calidus, ſordidum hunc nidum oeſtra amant, et tam generationi quam nutritioni commodiſſimum inveniunt. Caſei ſaepius circa interiorem medullam verminare deprehenduntur, partes vero exteriores, ne vermis quidem ſuſpicione usquam comparente, ſolidae ſunt ac ſanae. Vnde a vero non prorſus alienum videri poſſet, ſemina horum vermium, (quos in muſcas transformari obſervatum eſt,) generata eſſe a muſcis in lacte, dum exprimitur, et in vaſis, ut concreſcat, relinquitur, quo tempore innumera muſcarum multitudo circa illa vaſa oberrat. At diligenter advertenti apparebit, caſeos verminantes plurimis in locis dehiſcere et rimas ducere. Nihil itaque obſtat, quominus in hac apertura a muſcis ova generari dicamus: nec mirum cuiquam videbitur, vermes, alimentum ſectantes delicatius, in interiorem caſei medullam penetrare, ibidemque nutriri.

Porro paucis quoque dicendum eſt, ex arboribus, herbis et fructibus diverſa animalculorum genera, quae nidum ſibi illas elegerunt, enaſci. Nihil notius eſt trito proverbio, quo hominem morbidum, colore tamen rubicundo ſemper infectum, cum pomo comparamus verminoſo. Sed neque ex pomis, uti vulgus maximis erroribus infectum ſibi perſuaderi patitur, vermes proveniunt; quamvis in intima pomi parte nidulentur. Atque in hunc graviſſimi auctores errorem inducti videntur, quod illaeſa ſaepius poma contuebantur: at effugiunt frequentiſſime oculos nudos foraminula, per quae ad interiora penetrant vermiculi; facta tamen inquiſitione nunquam non adſunt ea; interdum etiam ſatis patent, ut et ab incurioſis conſpiciantur. Evidentius hoc apparet in gallis, in quarum centro vermis ovo incluſus invenitur, qui creſcente et matureſcente galla creſcit et maturatur; ubi vero ad maturitatem pervenit, in muſcam mutatur, quae ovo disrupto rodere gallam incipit, et exteriora verſus ſemper rotundam viam parat, qua abſoluta, relicto nativo carcere per aërem volat alimenti quaerendi gratia. Habent et alia frugum genera ſuos vermes, in foliis interdum arborumque frondibus haerentes; uti haec omnia longeque plura elegantiſſimus Naturae myſta ac interpres, Franciſcus Redi, in Experimentis circa generationem Inſectorum ope microſcopii inſtitutis accuratiſſime detexit ac deſcripſit; quem legiſſe lectorem ſciendi cupidum haud poenitebit. Sic et ipſum abſinthium, quamvis vermes ſtrenue interficiat, et veſtimenta a tinearum noxis vindicet, aliquando tamen verminare obſervatum eſt; quod non aliunde, quam ex medulla, quae dulcis percipitur, provenire exiſtimandum: annotante Carolo Avantio in Notis ad Baptiſtae Fierae Coenam. Amplius oculis hiſce armatis compertum eſt, Cochenillam, quae colore coccineo amoeniſſimo inter roſeum et fulvum medio tingit, non ſemen eſſe ficus Indicae, (quae noſtris quoque in hortis viſitur latis, et craſſis foliis iisque ſpinoſis; e quibus flavi primum et oblongi flores,

res, deinde fructus, erumpunt colore e viridi purpureo;) ſed vermiculos, foliis iſtis adnatos, pelle tenuiſſima albicante tectos: intrinſecus vero rubentes. Non prorſus abſimiles ſunt vermiculorum noſtratium generi, colore itidem purpureo turgentium, et ex gallis ulmique tumoribus victitantium. Sic pariter in malorum citrearum aurantiarumque frondibus ac foliis (his enim flagellis, raro ſtipiti ramisque robuſtioribus, inſident,) hinc inde ſemen animalculorum reperitur, quae oculo nudo conſpecta cimicum ſpeciem et colorem referunt. Semen hoc pelle tenuiſſima ſive cuticula integitur: qua a fronde remota, illud arenae flaveſcentis minutae inſtar conſpicitur: unde colonorum haud pauci ſunt decepti, qui eo ſe adduci paſſi ſunt, ut inanime quid et innoxium crederent: at digitis tritum paulisper et quaſſatum, humectat, vitamque ademtam lacrymat. Idem vero ope microſcopii examinatum magnam ovulorum decumanorum, qualia formicae maiores pariunt, copiam demonſtrat. Ex ovulis hiſce pellucidis vermiculi albi, pedum multitudine et pernicitate inſignes, excluduntur; unde celerrime dilabuntur excluſi; putamina vero inania turgida ſunt et ſubfuſca, multis diſtincta cellulis, tanquam uteris et foetus receptaculis. Academiae Scientiarum Pariſinae Collegae bini magni nominis, la Hire et Sideleau, naturam horum animalculorum et indolem indagare magno conamine aggreſſi ſunt; eorundemque exactam lectuque digniſſimam deſcriptionem, inter Acta Mathematica et Phyſica (Memoires) anni 1693 d. 3 Ianuarii typis exſcriptam dederunt. Paucis tantum, quae ipſe per omnia laudatiſſimorum virorum obſervationibus congrua obſervaverim, hic recenſebo. Eiusmodi ovum ſub Maii initium microſcopii examini ſubieci; pariterque multi in uterculis vermes, oculorum alias aciem fugientes, qui iam animata motu ciebantur, ſe mihi oſtendebant, figura prorſus eadem, qua ab ſummis illis Viris delineati exhibentur. Hi itaque vermiculi, ovorum putamina perrumpentes, in frondibus victitant ac nidulantur. Seminis putamen, quod albidum gignunt, ſaturo paullatim, tandemque cimicis colore pingitur. Ex illo, menſe Iunio ab arbore ablato, ſemen ſponte excidit; quod menſe Iulio matureſcere, dictamque animalculorum albicantium copiam excludere obſervatum eſt. Menſe Auguſto uterculi ſemine inanes et aridi haerent: foetus vero, qui nuper inibi latebant, in arborum coronam et flagella occultatum abierunt; quos vere ineunte diligenter, antequam animati dilabantur, venari conveniet, ne nimium cunctando aut hunc in Iulium usque laborem extrahendo, oleum dein et operam perdamus.



I Haec

Haec omnia ſedula artificis manu aeri inciſa, proxima lectori curioſo pagina ob oculos ponet. Characteres adſcripti notant:

a Surculum mali citreae.

b Inſecta, cimicum ſpeciem aemulantia, quae teneriores frondes ac folia multum infeſtant.

c et *d* foeturam menſe Maio adhuc tenerrimam, ſenſuumque aciem fere ſubterfugientem, ope microſcopii examinatam.

Inſecta illa minutiſſima cimices tandem magnitudine et colore fuſco exaequant, fibrisque ſubtiliſſimis fronde aut folio innituntur, ſemine copioſiſſimo nitelas pulveris minimi aemulante: hoc vero microſcopium ovis, qualia formicae pariunt, aequale exhibet, ſed pellucidum. Vtque ſenſim mutentur, tandemque involucro vermiculi liberentur, lit. *e* indicat.

f Vermiculum nuper involucro liberatum. Teſta enim aliquandiu poſt obteguntur, ut cimicem vel teſtudinem ſive chelonium referant. Atque haec illos teſta contra frigus communit, utpote ſub qua, usque dum ver appropinquet, deliteſcunt.

Cum ergò inſecta haec arboribus quam maxime ſint noxia, verriculo in tempore ſunt abſtergenda, ne arbuſcularum folia inficiant, turpique aurigine vitient. Dictis hiſce inſectis fere ſemper ſociae ſunt formicae ac comites: Sagacioribus itaque exquirendum relinquo, annon his illa annumeranda? maxime cum utrorumque inſectorum ova, microſcopio ſubiecta, ſibi invicem perquam ſimilia deprehendantur.

In foliorum frondiumque extremitatibus viſuntur interdum, poſtquam robigo impluit, isque ſolis calore in putredinem diffluxit, vermiculi nigricantes, quales ferme et ceraſos depaſcunt, niſi verriculo tempeſtive abigantur. Tandem alati celerrime avolant. Ipſe ex arboribus, quae poma Adami ferunt, non raro plurimos ſuſtuli.

Et quoniam formicarum paullo ante iniecta eſt mentio, ſilentio hic non eſt praetereundum, uti damnum, quod mali Medicae ab his ſentiunt, cavere poſſimus.



1. Brücken bey St. Peter und Weg nach Altorf. 2. Hallers Weiher. 3. Glockenhoff P. Decker sc.

poſſimus. Omnes illae ramos perreptant, dulciaque florum mella exſugendo, frugum incremento magnopere officiunt. Qui ſummo illas ſtudio abigere aggreſſi ſunt, eorum alii multa ſtipitem creta undique circumſcribunt, quaſi haec iſtis meta ponatur, quam transgredi nequeant; ſed hanc attingentes relabantur. At, cum pluvia forte cadens eam diluat, durabile ac commodum non eſt hoc remedium; iterum proinde iterumque, niſi pleno iſtas agmine quaſi per portam apertam irrumpere velimus, non ſine taedio repetendum. Alii goſſypio arbores incingunt: ſed non meliori cum effectu. Illius quippe flocculi madefacti arctius cohaerent, ſeſeque implicantes tranſitum animalculis his noxiis non minus facilem praebent. Multo autem maximo Heſperides incommodo ab iis premuntur, in vaſculorum hoſpitio prope arbuſculae radicem nidum quaerentibus. De his quippe latebris ſubinde multiplicatae, (quantum enim earum numerus hominum arte imminuitur, tantum fecunda progenie augetur,) difficulter aut plane non dimoventur. Rem variis tentavi modis, utroque tandem remedio ſuperius indicato ſimul adhibito, ſed ſine fructu, cum ingentem ovorum copiam intra vaſcula depoſitam, egeſta quae radices tegebat terra, offenderim. Atque has quidem illaeſas, ova vero prope ipſius vaſculi aſſulas ſparſa obſervavi, iisdemque magno inde numero exemtis, ſicque repentibus hiſce animalculis frequenter inquietatis, tandem obtinui, ut ipſamet, quae reſidua erant ova, ſede amota in aream horti efferrent ſepelirentque. Porro aqua foliis herbae nicotianae impraegnata et decocta arbores, ſine harum noxa, irroravi, beſtiolasque illas quadantenus abegi; nec dubium eſt, quin hoc remedio ſaepius reperito plane pellantur. Nec inanis fortaſſe felicis experimenti, formicarumque funditus delendarum aut pellendarum ſpes foret, ſi dicta nicotianae folia in pulverem redacta, terrae haud procul a ſtipite immixta, profundius ingererentur. Ipſe periculum feci, aqua partim nicotiana partim abſynthio impraegnata, (quandoquidem amara omnia fugiunt,) vaſculis depactam terram perfundens, et animalcula illa celerius abierunt, aufugerunt. Cui ſimile capere experimentum liberet, eadem, quod dicitur, fidelia duos dealbare parietes, ſimulque advertere poſſet, an arborum fruges novellae ab aquae amarae affuſione poſtquam maturuerunt, diverſo, quam qui citreis aurantiisque proprius eſt, ſapore ſint imbutae, et amarum quoque in ore redoleant? Atque hoc eo certius caperetur in dulcibus iucundoque ſapore amoenis pomis Olyſſiponenſibus, cum omni prorſus haec amaritudine careant. In hanc de ſaporis immutatione artificioſa cogitationem ut adducerer, anſam dedit quorundam auctoritas, dicentium, florum colores variari pro aquae affuſae varietate, prout videlicet haec varie tincta eſt ac colorata. Experientia itaque comprobabit, quid in ſapore emendando vel corrumpendo ars et natura valeant? Sed, ut ad formicas redeam, hae ipſam interdum pomarii aream occupant, ſubolique nidum inter ipſas malorum radices quaerunt, unde omni adhibita cura vix tamen exturbantur, maxime cum non qualibet contra ipſas machina uti liceat. Omnibus quippe remediis vehementioribus, qualia nonnulli commendant, abſtinendum cenſeo; neque adhibendam ſuadeo aquam vel fervidam, vel calce viva inquinatam. Haec quippe foraminibus ductibusque formicarum inſtillata radices adurit. Taceo, invalidum ferme hoc contra iſtos hoſtes eſſe ſubſidium, uti ipſe, eo in campo patenti uſus, didici. Nonnulli boum oſſibus femoris vel tibiae capacioribus, bene coctis et ab omni pinguedine purgatis, mella interius illinunt; eademque, ubi formi-

carum regia eſt, recondunt. Dein, magno intra oſſium cavitates numero earum collecto, has una cum illis igni comburendas tradunt; id ſi ſaepius fiat, numerus non poteſt non imminui. At nunquam, quacunque etiam arte adhibita, funditus tollentur.

Eſt et alius praeterea Heſperidum hoſtis, fullo, a noſtris der Ohrenhöller dictus. Hic celerrime in arbores inſcendens ad coronam tendit, atque inter denſa foliorum germina magno numero velut in inſidiis latitat, qui niſi illis ſuccuſſis proſternatur grandinisque inſtar praecipitetur, ſenſim ſurculos eorumque corcula arrodit. Circa arbores in fulcimento ligneo vel lapideo collocatas ut plurimum hoſpitantur, ibidemque fere ova excludunt. Hunc hoſtem facile internecioni dabimus, modo arboribus ſubinde ſuccuſſis, proſtratos enecemus. Vel goſſypio eas cludemus, intra cuius flocculos haereant: quos ita uno agmine delere, hortorumque ornamenta a noxia hac peſte facillime liberare poterimus.

Denique et araneae, ſummo quae ubique tigno pendent, pomariis neque decori ſunt neque uſui. Tela earum foliis frugibusque intexta non minus noxia eſt, quam virus emiſſum, utpote quo illae conſpurcatae nigro ſqualore induuntur et marceſcunt. Ad hanc noxam averruncandam non ſufficit telam iſtam tenuiſſimam retexiſſe aut disjeciſſe. Impigri enim praeſidii inſtar caſtro tutando impoſiti, quod disiecta interdiu ab machinis hoſtilibus moenia noctu reficit, antiquas exercent telas, lacerasque mox reficiunt, brevique integras pertexunt. Ipſas itaque ſummo mane cepiſſe, pedibusque conculcaſſe praeſtat. Summo mane eas capiendas dixi, quod rore frigido madefactae atque obrigentes elabendi facilitate deſtituuntur.

CAPVT XV.

CAPVT XV.

De Tempeſtate, eiusque in Malis Medicis effectu.

QVamvis omnem omnino aëris mutationem, variam licet ac multiplicem, certo ex naturae legibus hominique utili fini deſtinari indubium ſit; bene multis tamen eadem rebus incommoda ſaepe eſt ac peſtilens, pro enormi videlicet temperamenti aliarumque qualitatum varietate; cum hae interdum contrariae ſe ipſas una cum rei ſoliditate corrumpant, deſtruant, planeque perdant. Cunctis quidem et ſingulis anni partibus redeuntes, prout illas Sapientiſſimus mundi Rector certis limitibus diſpoſuit, dominantur tempeſtates: nonnunquam tamen inopinato limites iſtos transgreſſae ingruunt ac efferveſcunt, ingentemque haud raro frugum omnium tam campeſtrium quam arborearum ſtragem edunt, eaedemque malis praecipue Medicis omnibus graves eſſe ſolent. Adeoque DEVS Omnipotens frugiferam ſanamque tempeſtatem rogandus eſt. Molles quoque eiusmodi plantae, ubi mala caeli temperatio praeviſa fuerit, praemuniendae; eaedemque jam fortaſſis uſtae variis artibus ſtudioſe recreandae ſunt. Nam, ſcribente Columella, rei hortenſis ſcientiſſimo interprete, qui hac in ſcientia ſe volet profiteri perfectum, ſit rerum naturae ſagaciſſimus, declinationumque mundi non ignarus oportet: ut exploratum habeat, quid cuique plagae conveniat, quid repugnet, ſiderum ortus et occaſus memoria repetat, ne ventis imbribusque imminentibus opera inchoet atque labore fruſtretur. Caeli praeſentisque anni mores intueatur: neque enim eodem ſemper veluti praeſcripto habitum gerunt, nec omnibus anni momentis, vultu venit eodem aeſtas, aut hiems, nec ver ſemper pluviale, neque Auctumnus continuo humidus cernitur. Quae ſine animi lumine, atque exquiſitiſſimis diſciplinis, quenquam praenoſcere nunquam crediderim. Ab varia illac aëris temperie nebulae oriuntur, quae tenerioribus hiſce pomis autummitate, antequam manſionibus hibernis inferantur, maxime infeſtae ſunt ac incommodae: etſi nihil aliud ſunt quam vapores aquei intra atmoſphaeram in guttulas collecti ac conſtipati; qui nunc craſſiores decidunt caelumque ſerenant, nunc leviores montium cacuminibus innatant, tandemque altius ſublati copioſo imbre praecipitantur. Vligine enim hac, ut plurimum frigidiuſcula, non ſecus ac pruiną congelata tam foetus quam folia, praeſertim vero, quibus illa innituntur, pedunculi aduruntur, ita ut obrigeſcentes turpi colore ictericio, mox fuſco et atro deformes corrugentur, tandemque intempeſtive ſeneſcentes decidant. Qua de re ſuperius Capite XI. pluribus actum, et alibi jam dictum eſt, ut hibernaculi aperturis diligenter duro tum autumni tum veris tempore obſtruendis ab hoc damno immunes ſint ſervandae.

De Frigore urente eiusque viribus nemini incognitis Capite II. egimus, monuimusque, ſedulo cavendum eſſe, ne vel ab ipſo frigore, vel a foco pro illius vehementia temperanda ac depellenda ſuccenſo, noxa contrahatur; inſuper etiam uti ſingulis

temporibus modus ſit tenendus docuimus. Quod ſi media hieme, aut ea iam adulta, nec opinato et improviſo regelarit, ita ut ligna parietum lapidesque exſudent, arboribus hisce itidem periculum imminet. Niſi enim aër in hibernaculis iam tunc tepidior, externo admiſſo temperetur, et ſtirpes et frondes ipſique etiam fructus multo ſudore manant, eodemque ita occupantur, ac ſi uligine frigida eſſent conſperſae. Sudorem hunc lentum, mucidum ſqualentemque, non tam ab aëre tepido humidoque eſſe, quam potius ex ipſis arbuſculis elici, eodemque has effoetas reddi ſtatuo. Atqui quemadmodum hypocauſtum nimium calens crudis virum ſudoribus ardet, iisque tepidis effoetos artus reddit; ita fere tunc et arbores fructusque madentes emaciantur, ac ſucco blandiore expreſſo langueſcunt; cortice interdum carbunculo inſuper ac patella depravato.

Vt Euri et Boreae, ſaeviorum ventorum, hiberni et verni flatus Heſperidum hortis minime parcant, eorundemque decus perdant, Capitibus II. et V. indicavimus. Menſe potiſſimum Martio, cum alta montium iuga nive adhuc ſunt obruta, illos maxime infeſtant flamina. Iſta quidem montium cacumina magno a nobis intervallo ſunt diſſita; et amoeni blandique ſolis radii terrae iam fulgent: at aurae tamen temperiem adhuc acriorem, plantas molliores tecto nudatas nihilominus ardere, triſtis experientia quotannis loquitur. Hae igitur aëri non prius ſunt exponendae, quam nive ſoluta ille molliatur, Zephyroque ac Auſtro humus tepeſcat.

Aeſtate malis hisce robigo moleſta eſt, ſi ſole urente ros ſive pſecas in eas impluit, inque iis putreſcit, omnibus omnino arboribus frugiferis vitium infert, ferme immedicabile. Tum enim vermiculi frequenter innumeri nigricantes viridesque adrepunt, qui omnia depaſcentes, alati dein facti, tandem evolant. Atque hi fertilem fere Florae gregem, maxime autem roſas atque caryophyllos invadunt. Agrumos quidem mitius habent; at eo magis in malos pomorum Adami nutrices ſaeviunt. Neque aliud contra hoc venenum antidotum ſuppetit, quam ut integris adhuc frondibus foliisque tenerioribus necdum laeſis, aſſidue animalcula illa deverrantur, exſtirpentur, uti Capite praecedenti XIIII. dictum eſt.

Quando medio aeſtus tempore ſubito praecipitans grando cadit, mirum non eſt, ſi arbuſculae hae damnum ſentiant, cum et proceras ille arbores collidat, nec fruges ſolum et ramos discutiat, ſed truncos ipſos diffindat, et radicitus evellat. Tantum quidem vulnus anerantiis ille citreisque raro infligit: non tamen idcirco prorſus immunes ſunt. Quaecunque enim poma grando contundit, maculas lividas labemque concipiunt: ſi pedunculum ferit, fructus fere decuſſus defluit: ſin folia feriat, notis ſubfuſcis maculoſa apparent; cuius rei cauſſa imperitiores ferme latet: multos denique flores aureamque eorum progeniem eo ictos perire, ſciens praetereo. Itaque ubi grandinoſa huiusmodi tempeſtate caelum minax turgere videmus, minores arbores, vaſculorum inquilinas, intra tectum recipere conſultum erit. Quas vero maiores intra vaſa, ligneis coſtis compacta, vel in area pomarii poſitas grandini ſubducere nequimus, divinae providentiae, cuius benignitas aſſiduis exoranda eſt precibus, merito ſpei pleni committimus.

CAPVT

CAPVT XVI.

De Hortulanis.

COlonorum vivendi genus, a multis tum antiquis tum recentioribus praedicatum, praeter cetera beatum eſſe, nemo negabit, non tam ideo, quod antiquiſſimum eſt, ſed quod maxime pius quaeſtus atque is ſtabiliſſimus conſequitur, minimeque invidioſus. Qui enim in eo ſtudio occupati ſunt, larga Divini Numinis benedictione vivunt, iureque merito de iis praedicatur, rore illos caeli, terraeque pinguedine paſci. Atque haec ipſis felicitas non tamen ſine ſudore paratur, uti horti Edeni cultoribus primis terra ſua ſponte alimenta proferebat: ſed poſt laborioſam terrae, iuſtiſſima Conditoris ira devotae, culturam, (haec enim niſi accederet, ſpinis iſta tribulisque fecunda foret;) hac beatitate demum potiuntur. Iam vero quodnam vitae genus, aut quis hominum, iſtam dirarum poenam non luit, nec ex terra laborioſe victum per omnem vitam quaerit? Largiori licet bonorum proventu alter citra laboris difficultatem, quam variis ſibi artibus mitigare callet, beetur, alter parciori in maxima moleſtia fruatur; laborandum tamen eſt. Neque regionum fertilitas, quarum haec prae illa frugibus ferendis aptior eſt ac fecundior, omne laboris taedium abigit. Bona autem ſua ac dona munificus rerum omnium largitor non hominibus ſolum, ſed et regionibus varie diviſit. Non omnis fert omnia tellus. Haec frugibus terra enatis, herbarum florumque amoenitate ac iucunditate, quae uſibus tamen ſimul humanis mirifice inſerviat, eminet: illa largiſſimo olei vinique proventu abundat: alia variis pomorum generibus ditata eſt.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvae:
arborei foetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epirus equarum?
Continuo has leges, aeternaque foedera certis
impoſuit natura locis.

Ne ergo ſingulis recenſendis immorarer, nil dicam de moris et bombycibus, quorum illi his, hae mortalibus quaeſtum et alimenta praebent: nil proferam de goſſypio, eiusque frutice lanigero; nil de lino, aromatibus, nuce moſchata, quam ſola inſula Banda, Moluccarum una, feliciſſime parturit: nihil de croco, quem felix tot Caeſaribus Auſtria per univerſam Germaniam divendit; nihil de innumeris aliis, huic vel illi tractui peculiaribus κειμηλίοις, ſufficiat nobis, vel inde Divinam Numinis clementiam agnoſſe ac celebraſſe. Nec minus illud nos ad gratias DEO agendas incitare debet ac poteſt, quod curioſa hominum diligentia ac indefeſſo labore peregri-

peregrinas noſtros in hortos plantas transplantare, ibidemque colere ac propagare didicimus.

Colonus itaque ne ſit vel ingenio ſtupidus, vel in labore murcidus ac ſegnis. Terrae varia diſcrimina noſcat, ieiunamque exilem et macram laetamine aliave ratione utiliter inebriare calleat: praecipue autem ne ignoret plantarum indolem ac proprietates, ut in eam, quam illae humum adamant, deponat. Anni quoque rationem habeat, quo ſuo quamque tempore vel ſerat vel plantet vel transferat. Sciat item, num planta translata fructus ferat ſuaviores, maiores, perfectiores, an minus? Quis naturae inter illas conſenſus, quis diſſenſus; quae amicitia, quae inimicitia vigeat; quas in horto vel vicinas coniungat, vel ab invicem disgreget? Seminis quoque maturi notas, itemque ſationis opportunitatem, perſpectas habeat; ne bulbos terrae citius aut committat, aut eripiat. Illarum porro plantarum notitiam habeat, quae hieme innoxie perdurant. Cumque fruticum herbarumque aliae apricitate gaudeant, aliae in umbra libentius deliteſcant, ut in ſuam quaeque plagam ſpectet, curam aget. Peritus ſit non plantationis ſolum ac tralationis; ſed et inoculationis, ablactationis omniumque propagationis generum: neque in ullo labore, quo res hortenſis iuvari poſſit, inexercitatus: rite etiam ſingulis eum anni menſibus diſpenſet, ne vel citius vel ſerius opus perficiatur. Arbuſculas ubere pomorum proventu feraces pedamento tempeſtive fulciat, ne dulce hoc onus moleſtum illis ſit ramisque periculoſum: ſuo quoque tempore hoc eas levet, ſperatumque laboris praemium metat. Denique commodum erit, ſi ex ventorum varietate de tempeſtate futura coniicere, et ex ſignorum caeleſtium poſitu, conſtellationem vocant, (cuius rationes quadantenus teneat,) ſationis tempora determinare valeat.

Porro in hortulano requiro, ut catus ſit, cautus atque providens, quo in cauſſas plantae ſeminisve, cuius characteres ipſi notiſſimi ſint, forte deperditi inquirat, et ſi quid peccatum fuerit, id anno inſequenti emendet. Amplius rem quamlibet ſi non depingat, primis tamen lineis accurate deſcribat, quo Florae dicatas areas buxo aliave ratione partiatur atque exornet, ut varias illae formas, non inelegantes literas ſibi invicem innexas, aut domini inſignia referant, vel etiam ſpectandum exhibeant horologium Sciothericon; cuius conficiendi rationem ſub finem huius operis docebo. Denique nec ab re erit, ſi Geometria, terrae dimetiendae arte, fuerit imbutus, quippe a qua id commodi habebit, ut non areas tantum decore ordinet, ſed integros hortos ordine et ex arte cultiſſimos deſcribere ac inſtruere, portas item et arcus, xyſta, inambulationes vel ſubdiales vel tectas, aedificare easdemque ſingulas arboribus fructibusque veſtire poſſit.

Praeterea nec pigeat hortulanum ſedulum, ſitientes plantas tempeſtive irrorare, arbores et topiaria attondere, ne operis eleganter deſcripti facies deformetur; ambulacra hypaethra purgare, indefeſſamque tum arborum tum plantarum omnium curam gerere, ne muſco turpi ſqualeant, ne inſecta inhaereant, et ut loliis eas vitiantibus careant. Si aliquod vitium contrahunt, et corticem et radices curate luſtret, nullum remedium, quo laborantibus medicina fieri queat, intentatum relinquat; omnia ſunt experiunda. Plantas vaſorum hoſpitio exceptas caelo tempeſtive ſubtrahat iterumque exponat et oſtendat: easdem una cum illis, quae in ipſo Heſperidum pomario defixae hibernant, ſedulo curet, ignis faciendi, aërisque per ſpiracula interdum admittendi, noctu diuque modum ac rationem habeat, ipſius denique aedificii exſtruendi deſtruendique ordinem ac tempus ſervare noſcat.

Harum

Harum rerum omnium longeque plurium gnarum requirimus hortulanum: neque quenquam hoc ſibi prius vindicare nomen volumus. Nemo enim horti poſſeſſor horti delicias, maxime ſi raritate commendabiles fuerint, periculo exponi cupit, ut, dum indoctus eiusmodi agricola experimenta capit, illarum is ſimul atque ſumtuum jacturam faciat. Nec placet colonus ſuo ingenio citra inſtitutionem doctus. Huius itaque artis cognitionem ab alio rei hortenſis experto magiſtro hauſerit, oportet; ea ſi haud leviter fuerit imbutus, regiones adeat ſub peregrino ſole tepentes, tum ut varia arborum ibidem naſcentium genera; earundemque naturam ac culturam, dignoſcat, tum ut Magnatum viridaria luſtret. Omni autem ratione, quantum poteſt, enitatur, ut in eorum, qui viridariis hisce ſunt praefecti cuſtodes, amicitiam ſe inſinuet, quo in ea admiſſus, quae alibi addidicit, feliciter exſequens viam ſibi praeparet, ut ipſe aliquando Proceribus cognitus gratusque horto cultiſſimo praeficiatur. Iam vero quis negabit, non omnes, qui citharam habent, eſſe citharoedos, neque philoſophos barbam promiſſam ac veſtem talarem facere; neque Iſiacos veſtes lineas aut raſuram; Non itaque hortulani nomen omnes merentur, qui eo ſuperbiunt. Licet enim non pauci, qui cinaram celebratamque braſſicae capitatae, quam a forma caſeariam noſtri vocant, ſpeciem ſerere, Leucoium flore multiplici rosmarinumque coronarium colere norunt, qui inſuper ſuis in hortis ſex ſeptemve anarantias alunt, quarum tamen pars tertia ipſorum culpa in hibernaculo perit, licet, inquam, horum non pauci peritiſſimorum hortulanorum titulum affectent, tantum tamen abeſt, ut eo iure condecorentur, ut potius vix primas in agreſtium ſive agricolarum ordine tueantur. Sunt tamen et nonnulli inter utrosque fere medii, qui cum hortulanorum ſodalitati non ſint adſcripti, agricolis tamen noſtris peritiores ſunt, opificium, quod edocti ſunt a magiſtro, una cum horticultura exercentes. Hos non omnino repudiaverim, cum utilem interdum operam nobis navent. Verendum tamen ſemper eſt, id quod et crebro evenire ſolet, ne opificio potius quam viridarii cultura quaeſtum quaerant, planeque hanc negligant; ita ut ſilveſcat illud, plantaeque noxam contrahant. Similem negligentiam et ab iſtis metuimus, quibus praeter viridarium agrum mercede aſſignatum conſerere licitum eſt.

Incidit hic quaeſtio, Vtrum hortulanum ſtipendio conducere, an pomarium illi ablocare praeſtet? Non dubium eſt, quin plantarum rariorum et viridarii artificioſe parati, ni huius ornamenta deformari velimus, cura hortulano mercenario rectius demandetur. Ea autem merces, *dulcis* enim *labor mercede*, eſt conſtituenda, qua ſe ſuosque honeſte alere poſſit. Quod ſi locetur, colonus neglecto decore id unice aget, ut, praeter pactam pro agro mercedem domino ſolvendam, multum lucretur, quaeſtumque ſibi faciat, parum curans, quid intereat, cum plantae non ſibi, ſed domino pereant. Sin hortus ruſticus eſt, non ad voluptatem, ſed ad utilitatem comparatus, aliter fortaſſe pronunciandum et locatio praeferenda foret. Quidquid vero huius ſit aut fiat, crebras olitoris mutationes haud innoxie fieri cenſeo, cum ſuo quisque ſenſu abundans plantas diverſimode colat, non ſine illarum incommodo; quod ipſa frequenter mors conſequitur. Magno itaque commodo ſuo horti herbarumque ac fruticum rariorum poſſeſſor culturam earundem ipſe ſciet, cunctaque ſedulo inſpiciet, quo, quae diſplicent, prudenter corrigenda moneat. Si ita hortulanum ex artis et naturae regulis edocere non gravatur, pudentem atque obſequentem ſemper habebit, qui ſua alias obſtinate defendere non raro ſategiſſet, qui imperitiſſimorum alias mos eſſe ſolet. Proinde ſi fidelitate, diligentia ſagacitateque

eximium horti cuſtodem fueris nactus, qui et te et plantarium tuum diligenter obſervet probeque colat, hunc viciſſim charum habe, et ſi qua in eo vitia deprehendas,

nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt,
qui minimis urgetur,

ea tibi ipſi excuſa, animoque aequo ac benigno perfer: nec gravare ſtipendium illi augere, ne paupertas, quae omnes artes, adeoque et nefarias, perdocet, ad facinora patranda impellat. Raro enim *ſucceſſore novo tollitur omne malum.* Nimius quippe numerus eſt eorum, qui ſegnes atque ſocordes omnia ſilveſcere et in deterius ruere patiuntur, parum ſoliciti de frugibus, ſive floreant ſive pereant. Sunt inter illos, qui praeſentibus probari dominis quam maxime laborant, adeoque ſolicitius et intentius operantur; qui tamen, eo recedente, ab diligentia nimium quantum remittunt, inſtrumenta illico proiiciunt, vel deſidia certatim torpentes, vel ſuis commodis inſervientes. Alios ambitioſa ruſticitas vexat; qui ſibi ſapientes recta monenti aſperi ſunt et graves, eo quod ad imperitam eorum deſidiam craſſamque ignorantiam acerba murmura ac verba moroſa, quae ſemper in promtu habent, accedant: quo ipſo ſoricis inſtar ſe produnt, eſſe videlicet ſe e ruſticorum hominum Phrygumque et Paphlagonum genere, quorum conſortia ſollicite fugienda. Alii luſores labra non vivi fontis latice, ſed mero Bacchi ſanguine, ſaepius proluunt, ut dominum adventantem, quem ſecure ac prope negligenter exſpectant, temulenti excipiant. Quid vero dicam de ipſo horto? quem plane ſusque deque habent, ima ſummis miſcentes, ita ut tesquis ſimilior quam horto videatur: quae rei indignitas, hoſpitibus praeſentibus, viridarii dominum merito confundit. Alii vel per ſe vel per ſuos minus fidi ſunt, plantasque optimas rariſſimasque, quas ſibi ſoli ſervare dominus conſtituerat, vel certe ſurculos inde decerptos, aliis levi pretio divendunt, ut brevi temporis ſpatio in omnibus omnium, agreſtium etiam, viridariis vireant, magnoque ſumtu paratae, et e regionibus diſſitis noſtros in hortos transplantatae, in foro venales proſtent. Tuliparum praecipue bulbos aliosque flores aliorſum commigrare docent perfidi furacesque illi homines. Vt multa paucis dicam, tot tantaeque ſunt ſcelerum iſtorum artes atque fraudes, ut et Argum decipiant ac fruſtrentur. Novi eiusmodi homuncionem, qui datum a domino ſemen rarioris cuiusdam plantae, terrae quidem iuſſus commiſit; illud vero, ne germina emitteret, calida prius perfudit. Quae res cum dominum lateret, ut, ſemen ob vetuſtatem infecundum ſibi ab amico doloſe eſſe miſſum crederet, effecit: hortulano vero ſecum ridenti gratiſſimum erat ac ſufficiebat, ipſum curam a ſe tot vaſorum, ſatu ſeminis virentium, amolitum eſſe. Alius praeterea eorum mihi dolus innotuit. Poſſidebat quidam et ſemina et plantulas ſativas, quas aliis care ſatis vendebat. At ſeminis vim germinantem ita prius arte quadam enecabat, ut nunquam reviviſceret, nec ullum folium emitteret: plantarum vero radices ita adulterabat, ut illae quidem quadantenus evaleſcerent et aliquandiu florerent, nec tamen durarent, ſed brevi fatiſcentes marceſcerent: ipſe interim multum lucrabatur, et rariores flores ſolus nihilominus habebat.

Alius obiurgationem, quaſi non ſatis ad eum obiurgandum cauſſae fuiſſet hero, ulturus, vites luxurioſas et palmites fecundos nitidiſſimosque adeo exputabat, ut eo anno infrugiferi plane eſſent: cauſſam monitus praetexebat hiemis inclementiam, qua nimium illae peruſtae periiſſent. Alius ejusdem farinae homo eadem de

cauſſa

cauſſa ſilvam roſmarini coronarii exſcidit, dum ſtativa hiberna, ubi illa media hieme vernabat, modo nimium modo parum calefecit; nunc feneſtris et ſpiraculis recluſis prorſus refrigeravit. Tripudians inſuper ac quaſi de re bene geſta triumphans, de ſcelerata hac, quam domino nefarie intulerat, noxa gloriatus eſt. Plurima equidem eiusmodi ſcelera et nequitiae ad tempus nonnunquam latent; ſed tarditatem Deus poenae gravitate compenſat. Novi colonum, qui ultra quadraginta annos domino ſuo, amico et fautori meo ſingulari, utiliter fideliterque ſervierat: hic ingruente aetate, cum filii educatio ſibi ſumtuoſa conſtitiſſet, et ipſe praeterea una cum coniuge, ano decrepita, laboribus ferendis impar eſſet, qua egeſtate premeretur, domino aperire illaudabiliter verecundabat: hic vero diuturna hominis officia ſibi ex voto praeſtita remunerari non recuſaſſet: Quid ſid? rugoſas ergo manus infelici furto commaculat, tecte quidem, adeo ut nemo e plantis in hibernaculo poſitis quandam vel vere vel auctumno eſſe clanculum ſubtractam ſentiret aut deprehenderet. At, uti magna vis eſt conſcientiae in utramque partem, negotii aliquando cauſſa in ſilvam abiens guttur cultro ſibi frangebat, ſicque animam ſanguine madentem deſperabundus emittebat. Si hanc DEVS malitiam, quae egeſtatem magiſtram habuit, adeo ſevere vindicavit, quid illis futurum cenſebimus, qui per plurimos annos nequiter petulanterque *callidi*, *quicquid placuit*, *iocoſo condere furto?* Cur non potius illi, qui viribus fractis res ſuas facultatesque omnes ad vitam honeſte tutandam inſumſerunt, calamitatem hanc dominis aperiunt? Quemlibet enim memorem fore conſiderem illius Heſiodei:

Paupertatis inops nunquam gravis audiat ex te
opprobrium: nam dos eſt Numinis illa potentis.

Certe nemo adeo durus ac immitis foret, quin, ſi alia ratione nequiret, conſilio tamen iſtam inopiam levaret, fideique praeſtitae praemium retribueret. Ceterum ne dicam, nimiam frequenter tenacitatem rapaces facere manus; illud tantum monebo, ne ſedulis colonis merces pro labore, duriſſimo utique, parca aut tenax tribuatur. Laborioſiſſimum omnino vitae genus eſt, cum nec interdiu nec de nocte, hiemis praeſertim tempore, quando noctes vigilatae corpora attenuant, a labore ceſſare queant, duriterque omnino quaeſtum faciant. Praecipue autem hortorum, qui ad voluptatem facti ſunt, cuſtodibus largior merces conſtituenda, utpote qua ſola contenti vivere debent, cum alii laboris fructum, copioſam arborum agrorumque meſſem, referant.


Tot ergo tantisque fraudibus cum circumveniant dominos, nemo amplius diffitebitur, in hortulanorum grege multos, (de omnibus enim haud facile dixerim, ne piis, honeſtis atque ingenuis contumeliam inferam,) eſſe morbidos, ſubdolos et infidos, quibus eſſe improbiſſimis non ſufficit, niſi et liberos charosque nepotes ſui ſimiles, rapaces videlicet, videant: hos proinde doloſa hac arte cum cura inſtituunt. Atque horum improbitatem merito deteſtantur coloni, qui ſodalitatis iure nexi artem didicerunt, cum ea excluſi nuſpiam ſedem figere tales homunciones, artisque ſociis ſe ſociare ſinant. Et quis, niſi hac lege ſtringerentur, ſua piceis horum hominum manibus crederet? Recte itaque parentes filiorum amantiſſimi his conſulunt, ſi eos horticulturae ſtudio cupidos, poſtquam literarum rudimentis ſunt imbuti, pietatisque praecepta imbiberunt, alii colono probo peritoque inſtituendos tradant. Duplex inde commodum in ipſos redundabit: alterum eſt, ut ea, quae tam ad culturam peregrinarum plantarum, quam ad decorum viridarii ordinem pertinent, accuratius addiſcant; alterum, ut et in moribus proficiant,

 cum

cum magnus ad celeberrima viridaria indics virorum dignitate illuſtrium concurſus fiat. Dum autem elegantiae morum vel invitus ſtudet filius, conſuetudinesque et decentes corporis geſtus addiſcit; omnium denique favorem promeretur, qui futurae felicitatis primus veluti gradus plerumque eſſe ſolet.

Ex horum itaque genere multi inveniuntur viri boni, fidi et honeſti, quorum opera ſi quis utitur, felicem ſe iudicabit. At vehementer dolendum, et horum bonos mores, malorum pravis commerciis corrumpi citius, quam peſſimos iſtorum emendari. Fugere omnino illa nequit colonus, ſiquidem iſtorum calumnias et inſidias effugere cupit. Invident hero hortulanum, maxime ſi artis peritum ſciunt; et hortulano herum. Omnem proinde movent lapidem omniaque calumniantur, ut ab hoc illum avertant, eumque ſimul opprimant. Ferre enim pares aut ſuperiores nolunt ſibi ſoli ſapientes. Maxime autem iſtaec ſcelera hac tentant via bonos olitores, aut propriam ſuam utilitatem magis reſpiciendam moneant quam domini: opulentum eſſe herum, ſe vero parvi lucelli indigos: tanti non eſſe, ſi ille hoc ipſi debito fructu careat. Atque hac ſimilique arte optimos quosque viros, qui conſcientiae alias rationem diligentiſſime habebant, religione exſolvunt, et in mali conſortium pertrahunt.

Temperare mihi hoc loco nequeo, quin ingenioſiſſimam R. P. Ioannis Baptiſtae Ferrarii, Romani, S. J. de colono rapaci, frivolo improvidoque fabulam, quam in Flora ſua nitidiſſime deſcriptam aerique inciſam exhibuit, huc transferam, ne quis hoc illis a me crimen primum impigni ſuſpicetur, ſed ut inveteratum illud et ante annos plurimos Romae iam cognitum graviterque idem caſtigatum pateſcat. Imo potius cauſſam bonis dicturus addo, non dubium eſſe, quin et olim Romae probi diligentesque fuerint coloni; quorum famae nihil detractum voluit elegantiſſimus Pater, perverſos hominum nequam mores fabula iſtac tantum pungens. Neque hodie deſunt probitate ac fide commendati inter olitores viri, quibus in eundem cenſum relatis iniuria omnino fieret. Sed abſit a nobis, ut repetitione huius fabulae cuiusquam famam bene partam laedamus. Illos deſcribit argutum hoc poëma, quos ipſi improbant coloni, viri boni, et quos defendiſſe ipſos pigeret. Non iniucundum itaque erit, ipſa ſagaciſſimi Patris verba hic adſcripta legiſſe:



HORTV-

HORTVLANI NEQVITIA

GRAVITER VINDICATA

SVB

FABVLA
LIMACIS
ET
BRVCHI.

QVaeris quid ſit, cur viliſſimae beſtiolae nobiles florum epulas tam avide conſectentur ? Veram cauſſam ſeria fabula docto aperit involucro. Vos interim audite, pigri cultores, audite, impigri fures, veſtris aequa meritis adumbrata ludicro ſermone ſupplicia. Eſt in agro Hetruſco planities amoeniſſima, ubi quondam ſtetit ac viguit Semifontana Respublica. Hic florentiſſimos hortos Flora, ſuam ſcilicet Regiam, natura ſimul atque arte ad elegantiſſimam architecturam conſpirantibus, excitavit.

Suis Flora deliciis tuendis colendisque praefecerat Limacem quendam, hominem primo quidem vigilacem et laborioſum ; deinde vero (ut incuria diuturno gliſcit ex famulatu) conniventem ac ſupinum. Igitur cultrice ignavia horti vernabant in urticas ; decoram ſane ſomniculoſo capiti coronam. Nec tamen ſeges illa ſine igne acerrime urens excitavit ad cultum ; ſed incitavit ad ſcelus. Frater erat Limaci Bruchus, homo inter fures nocturnos feliciſſimus, quippe qui raperet, et lateret : noctu furaciſſimus Mercurius, interdiu frugaliſſimus Marcus Curius. Floribus imprimis delicatus iſte ſcarabaeus delectabatur, quorum exſuctam ſuavitatem in ſordidum quaeſtum conglobabat : ſeu potius (ut ille cum fratre gloriabatur) ex divenditis infructuoſis floſculis ingenioſo miraculo

lo aureos fructus colligebat. Hortos autem non temere, ſed erudite compilabat. Nam quos in ceteris eminentes, dominantesque nobiliſſimos flores de die vulturinis oculis praecerpſerat, eosdem ſubluſtri de nocte, Periandrum ſpicas, Tarquinium papavera decutientes imitatus, demetebat: quin etiam, ne in ſuperbam pulchritudinis tyrannidem regerminarent, radicitus extrahebat. Sed nusquam vigilantior, quam Florae in hortis expilandis indefeſſus runcator furacem operam ſuam collocavit: credo ut lentiſſimo fratri exherbandi viridarii laborem relevaret. Rem primo Limax fraterna ſcilicet indulgentia diſſimulare: deinde etiam nec videre, nec ſcire poſſe; ut qui pro ſe, atque adeo pro inſomni fratre dormiret. Adde, quod in florum denſiſſima ſilva late ſparſa deprehendi poſſe furta non putabat. Senſit tamen (quis enim ſagaciſſimam feminam falleret?) ſenſit, et ingemuit Flora in ſuorum verna iuventute hortorum praefeſtinatum furtivo ſcelere calvitium. Itaque ſaepe, at fruſtra fratrum par nocentiſſimum innocentibus verbis caſtigatos ita denique minitabunda praemonuit: Cave Limax, cave Bruche, ne Flora nova Circe mutet ora: ne vos puniat Flos. Riſere nequiſſimi ſuis ipſis alioqui floſculis ſuavioris Dominae minas: quin imo perfrictae frontis Limax exprobrati ſibi fratrique facinoris neutrum eſſe conſcium pernegavit. Tum Flora furore flammea; oculis, voce, geſtu, fulminea; Agite, inquit, ſceleſtiſſimi, qui minacem ridetis, vindicem pertimeſcite: ac ſimul peregrino flore; quem forte manu geſtabat, utrunque percuſſit. O prodigioſam, graviſſimaeque noxae parem in hortorum vaſtatores poenam! Contacta noxiorum corpora in turpes beſtiolas repente decreſcunt: utque maneant in recenti forma veteris culpae indices notae, Limaci manus pedesque recedunt, quibus, dum licuit, per inertiam uti noluit: oculi occuluntur, quos in ſomnum occluſerat, cum fuerat excubandum: ad praetentandum caecum iter et bacilli, et oculorum vicaria quadrigemina cornicula protenduntur, et ipſa ignaviſſima; quippe quae leviſſimum ad incurſum reſiliunt: horum ſumma pars nigello puncto, velut oculorum ſimulacro ac rudimento illuditur: totum tergus infuſcatur, ut ruſtici hominis id fuiſſe intelligas, eadem remanet pigritia in lentiſſimo reptatu, totumque corpus tanquam ipſo in otio laborans frigidum lentorem, hoc eſt ignaviae ſuccum exudat, ac vitam ſordide ſignat, ne quis turpe veſtigium perſequatur: ipſa duriſſimi capitis penetralis pervicacia dureſcit in oſſiculum, ſeu lapillum, cum ad multa, tum praecipue ad alieni obſtinationem ingenii emolliendam medicatum. Vnum in tanta membrorum mutatione Limacis nomen appoſite retinet, qui limoſam, inertemque indolem, non mutavit. Similis ultio Bruchum vertit in erucam. Atque ut in illam degeneraſſe furem ſentias; alacres ad furtum digiti in multiplices pedes, praerepti flores in verſicolores maculas tranſeunt. Adeo vero depravatae conſuetudinis tenax eſt hominum genus, ut etiam num mutato corpore multati fratres ad corrumpendos hortos priſtina aviditate ferantur. Et quanquam per nocturnas umbras ſuis quaerunt inſidiis impunitatem: et tamen irrogata eſt pertinaci vitio inevitabilis poena, ut ſuo ipſum ſe prodat indicio. Limax ergo ſalivario ductu, eruca vero

ſemeſa

ſemeſa praeda ſuperne relicta latibula commonſtrant. Efficaci vindicis Florae indignatione nocentiſſimos homines ridiculas in beſtiolas deformatos non ſine riſu demiratae ſunt Floram de more conſectantes Nymphae quatuor, quae ſingulas quadripartiti anni partes peculiari non magis fructu, quam flore diſcriminant, floreoque annum diſcrimine in unam veris aeterni faciem colorant. Ipſae hortenſium odorum vagulae praedatrices, decentium florum garrulae adulatrices Aurae prodigioſo ſpectaculo defixae ſuspenderunt volatum, et ſibilum. Vnus tamen Zephyri fraterculus, inter ventulos puſillus puſio, ſibratis repente pinnulis, intentoque tragicum in prodigium digito ridibundus monitor pauca haec inſuſurravit. Si fabula tam ſevere animadvertit in hortenſes reos: quam illi ſeriam vindictam non pertimeſcant? Haec habui, quibus et fures monerem, ut floribus abſtineant; ne turpius, quam eruca, fuſtibus verſicolores fiant: et colonos hortarer, ut pari diligentia et fide hortos colant; ne limacis inſtar nudi, eiecti, mendiculi parcisſime victitent ſucco ſuo.



CAPVT XVII.



CAPVT XVII.

De Hortulanorum Vigiliis ſive excubiis.

BInae quatuor tantum literarum voculae ſunt, MEVM puta et TVVM, quae omni tempore maximas ubique locorum turbas, contentiones, odia, diuturna in foro litigia, bella denique internecina ſeverunt. Vt, quae alterius erant, adhamarentur, quot artes, fraudesque et ſtrategemata calidiſſime excogitata ſunt, variaque fortuna ſuscepta et patrata? Fas omne et nefas, iuſtitia et iniuſtitia, matrem agnoſcit iniquam alterius boni cupiditatem. Videlicet cum bona aliena, (quot enim quantaeque illa calamitates comitentur, plerumque tectum eſt a nobis et abſconditum ;) vehementius oculos noſtros praeſtringant quam propria, μεμψιμοιρία, lautiſſima ſua ſorte nunquam contenta, et illicitus amor habendi, animum mentemque occupant. Et vero tantum abeſt, ut noxiam hanc libidinem dies et ſana ratio imminuant aut emendent, ut potius vix ceſſet, niſi bono deſiderato potiatur. Et qui ea tenetur, multa agitat conſilia, plurimas invigilat noctes, curis diu noctuque excruciatur, nec pericula adire gravatur, nec incertum rei eventum curat; plerumque tamen utilium tardus proviſor, uti ſero ſapiunt Phryges, re ſperata excidit, meritasque amentiae poenas luit. Quod ſi voto ſuo impio damnetur, gaudium tamen hoc tum eorum, quibus iniuriam intulerunt, ſuspiria et lacrymae, tum male actorum conſcientia amaritudine miſcent, illudque ipſum minime diuturnum eſt, divina iuſtitia tum ablatione rei iam poſſeſſae, tum infinitis modis aliis, iniuriam ulciſcente. Ita primi in horto Edeni parentes noſtri, pomorum vetitorum et ſapientiae praeſtantioris avidi, pro ſapientia ſtultitiam, pro quiete laborem et aerumnas, pro vita mortem commercati ſunt. Ita et nos *documenta damus, qua ſimus origine nati*, dum foeda haec habendi libido furta parit ac rapinas: a quibus nec arca, nec peſſulus, nec clauſtra firmiſſima, opes ſaepe noſtras defendere valent. Iſta omnia malitioſa hominum nequam fraus atque violentia perrumpit, et ibidem cuſtodita aufert. Quid mirum? cum et res laevioris momenti, Avtolyci magis piceatis manibus haereant. Omnium vero maxime furacium iniuriis expoſitae ſunt fruges, quas horti atque campi patentes proferunt: neque illis *vile videtur quicquid patet*, neque *aperta effractarius praeterit.* Eiurarunt videlicet iſti bipedum nequiſſimi ethnicorum religionem, credentium, noctu deos verſari in terra, et orbe hoc noſtro inter homines, teſte Statio:

> - - *Huc ſub nocte ſilenti*
> *cum ſuperis terrena placent, tua turba relicto*
> *labetur caelo.*

Imo vero poenae loco hi furaces colonis infidis a DEO immittuntur, quo horum erga dominos invidiam illi ulciſcantur. Sed quicquid huius ſit, cum et optimi quique viri non raro Avtolycorum manus piceatas experiantur, vigiliarum agendarum neceſſitas hinc colonis iniungitur; de quibus pauca quaedam mox proferemus.

Vigiliae itaque tum potiſſimum ſunt ſedulo agendae, quum fruges agrorum arborumque maturuerunt. Hoc ſiquidem tempore raptae uſui ſunt aptiſſimae, ſive eas ſibi ſervare, ſive aliis divendere velint. Neque nocturnis ſolum excubiis et cuſtodiis ſunt defendendae; quod quidem furandi tempus commodiſſimum cenſent; ſed et diurnis. Nam neque hominum in urbibus pagisque frequentiam interdiu verentur, quominus illicito aliena furto ſubtrahant: adeoque bene erit, ſi diurnae etiam excubiae habeantur, quae trium literarum homines, locatis ſibi inſidiis, exterritos avertant et abarceant.

In agro autem et pomariis furta committuntur nimium iniqua, ſi apes necentur, aut ipſae una cum alveario et melle ibi facto ſubducantur. Atque in eos, qui huius criminis rei fiunt, iure merito graviſſimae poenae ſunt ſancitae. Auferuntur quoque molles tum campi tum arborum foetus; ipſi denique flores plantaeque rariſſimae aliorſum non raro migrare coguntur: quarum quidem amiſſarum dolor eo iuſtior eſt, quo certius, furaces iſtos homunciones fructum ex iis capere vel nolle vel non poſſe, et ſola invidia, odio aut malitia, quo poſſeſſori moleſtia creetur, peregrini illos ſoli hoſpites perdi miſere atque corrumpi.

Iſtiusmodi ergo excubiis commodius agendis inſerviunt tuguriola, aut ſcenae, quales noſtro in agro erigunt, qui fallaces alaudis laqueos ponunt et inſidias. Interdum pone ſepes et frutices latent cuſtodes: interdum ex arboribus umbroſis, tanquam ex ſpecula in omnes horti angulos proſpectant; id quod, ſi illius area ſpatioſa ſit et ampla, valde commodum cenſetur, cum e longinquo adventantes et clanculum irrepentes facilius ita detegantur.

Doli, qui doloſis iſtis interdiariis nectuntur, hi fere ſunt: Quidam ignivoma Martis arma, bombardas vocant, ita inſtruunt et diſponunt, et leviſſimo attactu mota, plumbum disiiciant, incautoque vel mortem vel grave vulnus infligant. Haec autem vindicta, utpote iniuſtiſſima, merito legibus coërcetur. Rerum enim edulium aliarumque viliorum abalienatio tanti non eſt, ut eadem nonniſi vita luenda ſit et expianda, maxime cum et aeterna animae ſalus ſimul periclitetur. Illud autem nemini vitio vertetur, neque is conſcientiae labem inuret, qui dormitatoris praeſentis ſuſpicione arma quidem expedit ac displodit, ita tamen, ne plumbum ſimul eiaculetur. Quidam ſtimulos et murices ferreos in terram defodiunt, quibus ſe ipſi inopinantes induant *iſta cohors fuliginoſa, Vulcanoſa, atra, quae de die ſub terras habitant, nocte in tectis* (hortis) *ambulant.* Tutiſſimum erit, ſi canis villaticus accubuerit cuſtos, qui familiaribus ac notis blandiatur: idem vero de die catenatus ſit ianitor, ne hoſpites immerentes vexet, aut ſubinde adventantibus truculentus immineat. Noctu dein catena ſolutus ſit, quo et allatrando bonorum ereptores et inveſtigando prodat. Eos deprehenſos vel pignore ablato mulctabis, vel verberibus caeſos et fuſtibus tergum ita demulcebis, ne improba repetendi illos haec loca cupiditas denuo teneat aut involet. Quod ſi novi hi philoſophi, iniquam bonorum communionem facto aſſerentes, de facie noti fuerint; ad magiſtratum crimen erit deferendum, qui iuſtam omnino vindictam et ultionem ſumere de iis non ceſſabit.

CAPVT

CAPVT XVIII.
Deſcriptionem Lacus Benaci exhibens.

QVi peregrinas oras adire, urbesque cultiores prudenter inviſere, rem homini inutilem dixerit, nae ille, quid ſit peregrinari neſcit. Nulla enim terra tam felix, quae praeſtantiſſima quaeque includat, quae gremio ſuo omnes prudentiae et eruditionis ſtirpes contineat. Non rerum ſolum cognitionem augebimus, multoque uſu confirmabimus; ſed et variarum gentium ingenia et mores et vivendi modos perdiſcemus, ex quibus probos atque honeſtos imitemur; (Platonis enim et Plinii praeceptum, et peregrinatori ſedulo cuſtodiendum, ut non niſi optima ad imitandum ſibi proponat,) mores vero ruſticos et vitia cane peius et angue fugiamus: peregrinemur foris, ut nobiscum habitemus. Scilicet, perquam ſapienter ita ſentiente Th. Bartholino, omnium peregrinationum finis eſſe debet, ut ex regionibus dulciſſima exſugantur, et a ſapientibus illa mutuemur, quae et mores inſtruant, et utilis doctrinae cumulum augeant. Omnes enim, quamcunque artem colant, alibi locorum diſcent, quae patriae erant incognita. Linguarum variarum peritiam, ad bene vivendum perquam neceſſariam eſſe, nemini ignotum eſt: neque quisquam fere eſt, qui eas neſcire, illisque in converſatione uti haud poſſe, non turpe ducat et incommodum. At eae non aliunde felicius veniunt faciliusque addiſcuntur, quam in itineribus. Deinde incredibile eſt, quantum delectet iuvetque iucundiſſimos agros, campos, montes, fluvios, ſtupenda aedificiorum, hortorum, fontium ſalientium et aquaeductuum miracula, arborum frugiferarum ſilvas, florum ſuaveolentium, odorem per aliquot milliaria ſpargentium, amoenitates contueri, et naturae variae ubique admirari benignitatem. Hae illae ſunt Sirenes, quae nos ad amplexum alliciunt: haec ſunt carmina Orphica, quae ut mille itinerum difficultates, aeſtum, frigus, imbres, nivoſas tempeſtates, viarum praecipitia, alacriter ſuperemus, deliciasque peregrinas ſequamur, movent ac perſuadent. Atque horum vis tanta eſt, ut deliciarum brevi fruendarum deſiderio ducti, viarum compendia per tesqua et altiſſima montium iuga ſectemur, viasque per campi aequora, ſi per ambages eodem ducant, ſtudio devitemus. Id quod Italiam adeuntibus fere ſollenne eſt, qui Brixia Veronam contendentes, Piſcariam, munitiſſimum caſtrum iuxta Benacum, praetervolant, aut incurioſi pertranseunt. At neminem, ſcio, poenitebit, in ripa lacus ſita oppida, Salodium, Madernum, Tuſculanum et Garinianum, ſive navi ſive terra adiiſſe, amoeniſſimaque viarum ſtrata et Heſperidum pomaria inviſiſſe. Poſſent etiam Italiam petituri, ne Tridento diſcedentes celſiſſima Alpium Tridentinarum ſive Rhaeticarum iuga ſuperarent, recto itinere, Benaco traiecto, per Mantuam vel Veronam, Vicentiam, et Patavium, Venetias tandem pergere. Itineris longioris taedium levant viae per plana molliſſimae, et regio circa Benacum fertiliſſima, quam Paradiſum et hortum iure nuncupaveris, qui ingentem Medicorum omnis generis pomorum copiam in Germania et alibi divendendam mittit. Huius regionis cum creberrima hinc inde facta fuerit mentio, accuratam, uti quidem ibi deſignata et mecum communicata fuit, lacus regionisque adjacentis delineationem cum brevi deſcriptione ſpectaſſe hic et legiſſe, Lectori benevolo non iniucundum fore, viſum eſt.

Lacus iſte, inter Veronam et Brixiam medius, longitudine in occaſum fere vergit, quinque et triginta lapides Italicos, ſive novem milliaria Germanica longus, et quindecim Italicos ſive quatuor circiter Germanica latus. Qua orientem ſpectat, Alpibus

Tirolenſibus obductus eſt. In ripa hac oppidum jacet *Riva*, vicus *Torbole*, et caſtrum *Penede*, quae cum parte ſtagni comitatui Tirolenſi adſcripta, Auguſtiſſimi Caeſaris et Archiducis Auſtriae imperio parent. Reliqua Sereniſſimae Reipublicae Venetae ſubſunt. Fluvios et rivos aliquot excipit, ex quibus potior *Sarca*, per valles Campenſes, ubi ex iugis Alpium oritur, decurrens: a latere recipit *Tuſculanum*, cui eodem nomine oppidum adjacet. Prope *Piſcariam*, quod caſtrum in rupibus munitiſſimis ſitum, cum artes bellicae nondum ita creviſſent, inexpugnabile et invictum putabatur, *Mincium* emittit, qui *Mantuam*, ubi paludem denuo tranſit, alluens *Eridano* miſcetur. Hic lacus, de quo agimus, piſcoſus eſt, in eodemque piſces

undique dant ſaltus; multaque aſpergine rorant;
emerguntque iterum; redeuntque ſub aequora rurſus;
inque chori ludunt ſpeciem; laſcivaque iactant
corpora; et acceptum patulis mare naribus efflant.

Praecipue vero inibi vivunt *Trutta* lacuſtris ſive Salmonata, Rondeletio Salmo lacuſtris vocata, mirae magnitudinis *Anguilla*, boni delicatiſſimique ſaporis *Sardina*, Trichiis paullo maior, et *Carpio*, qui in Benaco captus omnium optimus et delicatiſſimus iudicatur. Hic ſuum ſolus regnum tenet circa *Malſeſinam* et *Limoniam*, itemque prope vicos, vernacule *Pra* et le *Fucine* dictos: reliquorum vero piſcium conſortia omnino fugit.

Haud procul *Ripa alta minore*, patria Catulli eſt Sirmio peninſula, cuius laudes ipſe elegantiſſimo hoc carmine celebravit:

Peninſularum Sirmio, inſularumque
ocelle, quascunque in liquentibus ſtagnis,
marique vaſto fert uterque Neptunus:
quam te libenter, quamque laetus inviſo,
vix mi ipſe credens Thyniam atque Bithynos
liquiſſe campos, et videre te in tuto.
O quid ſolutis eſt beatius curis!
Quum mens onus rèponit, ac peregrino
labore feſſi venimus larem ad noſtrum,
deſideratoque acquieſcimus lecto.
Hoc eſt, quod unum eſt pro laboribus tantis.
Salve, o venuſta Sirmio, atque hero gaude,
gaudete, vosque Lariae lacus undae.
Ridete, quicquid eſt domi cachinnorum.

Haud procul inde occurrit oppidum *Deſenzano*, copia frumentorum, quibus vicinorum inopiam levat, et vini optimi feraciſſimum. Vinum hoc, quod ob ſaporis praeſtantiam *Sanctum* dicitur, peregrinis in locis pro vino apiano, ſive muſcatello, ut vocant, haud raro divendunt. In altero ripae latere urbs ſita eſt regionis caput, *Salodium*. Atque heic loci *Rivam* usque Heſperidum horti ſunt quam plurimi; Salodianorum inde et Rivenſium nomen ſortiti. Salodii fila tenuiſſima duci perhibent. Notiſſima eſt Bertae hiſtoria, quam ante multa ſaecula hac arte claruiſſe, Ducique Mantuano, quod levi deduxerat pollice, filum dono exhibuiſſe ferunt. Cumque virginum haud alia filum adeo tenue tum formaſſet, tantum ei terrarum tractum Dux pollicitus eſt, quantum filo iſtoc concludere poſſet. Excitavit haec principis beneficentia et alia mulierum ingenia, par pro opere ſimili beneficium ſe relaturas ſperantium. Quibus ille reſpondit: *Non è piu quel tempo che Berta filaua:* Non iam illa eſſe tempora, quibus Berta lanificii curam ſuſcepit. Quod proverbium in agro Veronenſi de ſpe inani communiſſime dicitur. Salodiūm excipiunt *Maternum*, *Tuſculanum*

pluresque

pluresque vici, terra optima, aqua, aëre ſalubri temperatoque, frugibus praeſtantiſſimis, hortis mira arte diligentiaque incredibili elegantiſſime excultis, varia denique malorum citrearum limonumque copia celebres beatique. Perpetuum ibi ver; perpetuusque arborum partus.

Myrtus, laurus et id genus reliquae ibi fere negliguntur, quas alibi magnis ſumtibus ali conſtat. His quippe oris frequentiſſime ſponte naſcuntur, ordinesque earundem moenia obducunt, et operi topiario in pomariis conſtruendo inſerviunt. Vidi, qui illis ligno tanquam caeduo ad ſtruendum ignem calefaciendasque fornaces utebantur. Nec raro ciſtas frugibus plenas inde accepi, quarum ſtraturae intercedentes e laurea erant frondibusque ſimilibus: quem interſtitiorum opplendorum uſum aliis muſcus praeſtare ſolet. Adeoque et voluptate afficiunt iſti horti ſuos cultores, et utilitate beant, cum plures aurum iſtud magno ſuo commodo Germanis divendentes ex hoc quaeſtu unice vivant.

Habentur praeterea ibidem officinae chartariae, in quibus tum glauci coloris, tum alba epiſtolaris charta formae et mediocris et auguſtae conficitur, cuius uſus etiam extra Italiam multus eſt.

Ab his regionibus iam propius abſunt Alpium iuga: ingentesque ibi viſuntur clivi arboribus, oleagina maxime ſilva tecti, ubi oleum praeſtantiſſimum, quod a lacu vicino Benaci cognomen traxit, et Limae quidem, quod omnium optimum habetur, ſic dictum *Virgineum* exprimitur. Hoc ſapore gratiſſimo, cum oleum alias ſatis ingratum ſit guſtui, commendatur: in loco autem calidiore repoſitum ſaporis hanc iucunditatem cum aſperiore permutat. Olearum itaque baccae, praelo ab oleario ſubiiciendae, maturae ſint, nigricantes et attactu molliuſculae: hae vero, quod multis incredibile videri poſſet, guſtatae acerbae ſunt, ita ut difficillime auſterae ora contrahant et exſpuantur. Ita dulcedinis mater eſt amarities: oleum quippe ſuave eſt, et per multos annos durat. Olivae, muria ſeu aqua ſalſa ſuffuſae et conditae, quales ad nos exportantur, virides adhuc menſe utplurimum Septembri leguntur. Deinde crudae, durae et amarae mittuntur in lacum ſive vannum; undae cineribus et calce ſalinatae ſuperfunduntur; et quo dulciores fiant, haec omnia ſubinde commota perturbantur. Poſt aliquot dies χείμαρος, ſeu clavus ſub lacu, extrahitur, ut liquor ciminatus et ſalinus effundatur: olivas vero denuo aqua fontana diluunt toties repetitis vicibus, usque dum non amplius ex infuſione turbida, ſed clara ac pellucida defluat. Olivas ita maturatas et elutriatas ſive in nova vaſcula translatas ſalinis aquis denuo conſpergunt. Has in agro Veronenſi lectas et conditas *Olive di Calma* ſive olivas inſertas nominant, eaedemque optimae eſſe cenſentur. Tandem quo gratiorem illis ſaporem concilient, foeniculi ſurculos muriae, quam *Concia* vernacule vocant, inſternunt. Si, quae olivae condiendae genera antiquis uſitata fuerint, ſcire aves, Palladium evolve L. XII. Tit. 22. et plura reperies.

Dictis iſtis collibus et ſilvis oleaginis alpes imminent, qui Benacum fere undique cingunt, circa plagam tamen meridionalem, inter Piſcariam et Deſenzanum, campus procurrit: unde lenis Auſter tepentesque zephyri aurae plantaria perflant. Alta vero iſta montium iuga, moeniorum inſtar Boreae et Euro obiiciuntur, ne horum ſaevities plantas fructusque conficiat.

Agri vineaeque ibi ſeptis cinguntur viridibus, Lauru potiſſimum, maloque granata conſitis; quarum illa ſuaves odores fundit; haec floribus, quos rubicundos eosque plenos emittit, contuentium oculos mire paſcit.

E medio lacu, Salodium proſpectans ſcopulus altiſſimus, et ſuper hoc coenobium Franciſcanorum eminet: quod navibus adeunt, quibus et reverendi Patres in continentem, quoties volupe, traiiciunt. Profundiſſimum ibi eſſe et immenſum, navigan-


tes experiuntur. Memoratu dignum eſt, navigationem in hoc ſtagno matutinam, ſi Ripa vel Torbole Salodium contendas, commodiorem eſſe: ſic enim vento ſecundo navigant, utpote qui horis antemeridianis fere deſcendit; horis vero pomeridianis reflat. Sic enim navibus alatis dimidio diei iter abſolvunt: ubi vero malacia et tranquillitas exiſtit, remis impellendae ſunt. Tempeſtate coorta, quae menſibus Martio et Decembri huic ſtagno incumbunt, navigatio eſt periculoſiſſima, eo quod fluctibus haud raro magnis naves operiantur. Vnde Virgilius Georg. II. Benacum *Fluctibus et fremitu marino aſſurgentem,* vocat. Aqua pura et limpidiſſima eſt; ita ut caelo ſereno alicubi fundus transluceat.

Protenduntur excelſae iſtae rupes in alteram uſque ripae partem, qua *Torbole* alluitur: ad eandemque multa oppida pulcherrima ſita ſunt; in quibus praecipua *Malſeſine,* quae Venetis paret: ad eam naves omnes euntes redeuntesque appellunt, partim ut tributum pendant, partim ut merce illicita illas non eſſe onuſtas probetur. Quae vectigali haud ſoluto praenavigant, navigia maioribus bombardis (duplices vulgus vocat) et tormentis campeſtribus armata, ad id diu noctuque inſtructa, inſequuntur, globisque traiiciunt. Graviſſimi huius univerſaeque fere Europae exitioſi belli tempeſtates litoris inter *Deſenzano* et *Riva* accolis graves itidem incubuerunt: praeſertim a. 1702, cum Galli occupatis Riva et Torbole in Comitatum Tirolenſem aditum ſibi patefacere tentarent; caſtelloque Arcu expugnato, Tridentum igne iniecto oppugnarent. Multi tum vici et pagi direpti, multae arces, et in his *Oppio,* magnificum illuſtriſſimi Comitis Io. Baptiſtae de Caſtell Barco palatium, exuſtae, et ager omnis populationibus devaſtatus. Sed hos belli eventus hiſtoricis deſcribendos relinquamus.

CAPVT XVIIII.

Montium memorabilium, et praecipue montis Baldi deſcriptionem complectens.

DUm Benaci delicias hucusque venati ſumus, a loco non alienum erit, ſi montis Baldi, altitudine, latitudine, amoenitate ac pulcritudine inſignis, deſcriptionem hic ſubiungamus. Neque ingratum lectoribus fore iudicavimus, aliorum quoque montium vel magnitudine, vel fertilitate, vel alia ratione famoſorum mentionem feciſſe. Sunt enim iuga non pauca, quae vertice ſidera tangunt; in quibus omnino numerandae Alpes Helveticae; itemque mons Bructerus, noſtris der Bloxberg/ inter Thuringiam et Ducatum Brunſuicenſem; e cujus ſummitate, caelo ſereno, Oceani et Orientalis et Occidentalis aquas ludentes dignoſci poſſe perhibent. Noti quoque ſunt Montes Sudeti inter Bohemiam et Luſatiam ſuperiorem, ſpectro der Rübenzahl/ infames. Mons Pico, quo non alius in toto terrarum orbe altior, in inſulis Fortunatis quindecim lapides altus perhibetur: Eum ultra ſexaginta, et caelo ſereno, nonaginta milliaria navigantibus patere, fide digni auctores memorant. Atlantis, inter Biledulgerid et Barbariam porrecti, inſignis altitudo fabulis Graecorum Latinorumque, quaſi Atlas rex Mauritaniae caelum humeris ſuſtineret, anſam dedit. A Marocco usque ad Aegyptum ducentorum milliarium longitudine protenditur invius, nive et ſilvis tectus, variisque nominibus inſignitus. Montes Pyrenaei, Hiſpaniam a Gallia dividunt, et ab oriente in oceanum usque excurrunt occidentalem. Ierganus Apuliae, hodie *Monte de S. Angelo*, a campeſtri ejus parte, quae Capitaniata vocatur, exſurgit. Silvis quibusdam, teſte Paulo Merula, peramoenis conſitus, herbisque medicis



I. C. Steinberger fec.

medicis et ſalutiferis ſcatens. Latere, quo mare, ſpectat, ut Strabo notat, Promontorium habet in exortum ſpatio CCC ſtadiorum procurrens. Incipit ab Apennino, ex cujus radicibus iugum enaſcitur editiſſimum, latitudine P. M. duorum, longitudine viginti; poſt quod ita paulatim mons ipſe adſurgit, ut in ſummam altitudinem, vaſtitatem amplitudinemque deſinat. In mare tam longe protenditur, ut ambitu radicum, quas planities excipit, ad ducenta P. M. contineat; quanquam Plinius ſpatium hoc CXXXIIII eſſe prodiderit. Taurus, quem Mela montium altiſſimum nominat, totam Aſiam in duas partes dividit, ita ut una Septentrioni, altera Auſtro obvertatur. Latus ſaepe eſt tria ſtadiorum millia. Dividitur in partes varias, et nomina alibi alia ſortitur; quae ſingula deſcripſit Strabo Geograph. Libro XI. Alii montem Thraciae, vel ut alii, Macedoniae Atho, cujus umbra in ſtadia trecenta, ſive quadraginta milliaria usque in inſulam Lemnum diffunditur, imo qui ex ipſa quoque Aſiae continente videtur, editiſſimum cenſent. Hic mons ille eſt, quem Staſicrates, ſive ut Vitruvius vocat, Dinocrates architectus pollicitus eſt, ſe ad Alexandri imaginem efficturum, et ad regis ſimilitudinem transformaturum, ita ut altera manu flumen fundat; altera urbem teneat, in qua decem millia hominum habitent.

Montium memorabilium alii ſunt ignivomi, qui ſolent

- - - *ruptis flammam exſpirare caminis.*

Inter illos quinque ſunt notiſſimi: 1.) *Monte Gibello* communiter appellatus, qui

Siciliae horrificis iuxta tonat Aetna *ruinis:*
interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
turbine fumantem piceo, et candente favilla;
attollitque globos flammarum et ſidera lambit:
interdum ſcopulos avulſaque viſcera montis
erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
cum gemitu glomerat, fundoque exaeſtuat imo.

Laetas tamen radix iſtius frutices plantasque profert, fontesque ac rivos limpidiſſimos emittit. 2.) *Veſuvius Campaniae, monte di Somma* nunc dictus, qui ſicca ſterileſcit arena; extra incendium tamen optimi vini Falerni ferax. Tempore Titi Veſpaſiani, anno poſt Chriſtum natum octogeſimo, primum viſus eſt ruptis fornacibus

flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa.

Magnum propiusque noſcendum id Plinio, eruditiſſimo rerum naturalium indagatori, viſum; ſed propius accedens, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, ſtatim concidit. Ab eo tempore frequentius eius incendia reluxerunt; et nuper admodum crebris vaſtisque tremoribus tecta nutaverunt, opidaque florentiſſima ſedibus ſuis emota ſunt. 3.) *Hecla Islandiae*, qui prioribus non pauciores lapides cineresque tollit, ſulphura evomit, totamque regionem ultra ſex milliaria cinere mixtisque pumicibus ita opplet, ut circumiacentes agri inculti iaceant, nec usque adiri queat, niſi cum praeſentiſſimo vitae periculo. Huius montis incendia, libero exitu deſtituta, niſi reluceant, gemitus ingentes, lamentis cruciatorum hominum ſimiles, audiuntur et murmura horriſona; unde multis deſcenſus ad Tartara ibi patere creditur. 4.) *Chimaera Lyciae:* in cuius vertice leones, aliaque animalia rapacia nidulantur; in ſaltu medio paſcuis laeto caprae et haedi laſciviunt: in radice autem ſerpentum venenatorum copia ſibilat. Vnde a poëtis huic monti affingitur fabula triplicis monſtri ignivomi, capite et pectore leonem, ventre capram, cauda draconem referentis. 5.) *Vulcanus*, Ternatenſis, *Mackian* vel *Maſaian*, vel *Gammacorura* dictus, haud procul a litore Inſulae Ternatae aſſurgens, caput nubibus infert. Eructat et hic mons fumi ſulphurei nubes, inſulamque pomiferam cineribus candentibus, carbonibus lapidibusque obtegit. Tempeſtate ſerena mitigatus videtur; ignemque intra voragi-

voraginem profundam continet; vehementius autem furit procella exorta. Ceterum ſilva, quae feris animantibus varii generis latibulum praebet, ad verticem uſque tegitur, teſquis inacceſſus. Rivos quoque aquae dulcis in mare proximum effundit, teſte VValtero Schulzio Itin. in Indiam Orient. p. 32. ubi ſpectandus exhibetur. Anno MDCLXXIII. d.XX. Martii totus prope diſiectus tantas ex diſcuſſis cineribus Inſulae tenebras offudit, ut alter vix alterum dignoverit.

Dantur etiam montes perpetua nive et glacie tecti: in quibus omnes illi, qui vertice ſidera tangunt: quales fere Alpes Helveticae; praecipue vero *Alpes Glaciales*, vernacule der Gletſcher/ ex quibus *Rhodanus* ſcaturit: earum delineationem exhibuit diligentiſſimus Io. Iac. Scheuchzerus, Hiſt. Natur. Helvet. Part. III. p. 100. Emittunt et alii montes editiſſimi fontium fluviorumque maximorum ſcaturigines. Lacus habet et ſtagna bene multa eaque piſcoſa, in quibus notiſſimus *Varanus*, cuius ambitus XXX. Milliarium. In ipſo denique montis cacumine prata virentia et agri bene culti frumentique feraciſſimi coluntur. *Pinifer* in Franciae orientalis et Bohemiae confiniis ſitus vel eo nomine famoſus, quod quatuor fluvios in omnes orbis plagas emittat: *Egram*, qui Bohemiam monti orientalem perluit, tandemque in Albim influit prope Litomerium Bohemiae: *Moenum*, qui cum Rheno verſus Occidentem currente coniungitur: *Nabum*, qui Danubio verſus meridiem prope Reginoburgum miſcetur; et *Salam*, qui in ſeptentrionem prope Coenobium, Gratia DEI vocatum, haud procul Magdeburgo Albi infunditur.

Ex innumera multitudine eorum, qui inſtar viridarii plantarum rariorum ubertate pingues et inſignes ſunt, *Baldum* pluribus deſcribam, utpote cuius cacumina altiſſima ipſe conſcendi. Situs eſt in Italiae finitimis limitibus Tridentum verſus, ubi faucibus Alpium a Rhaetia ſeparatur; ab urbe Verona viginti millibus paſſuum diſtans. Plantae variae ac peregrinae, quae ibi conſpiciuntur, tum alios Aeſculapii nepotes pellexerunt, ut eius adeundi labores Botanicos ſtudio ſuſciperent; tum Franciſcum Calceolarium et Ioannem Ponam, Pharmacopoeos Veronenſes, qui laboris ſui fructu, editis eiusdem deſcriptionibus, alios quoque impertire voluerunt. Ponae deſcriptio Baſileae iterum excuſa eſt A. MDCVIII. f. 4. cum iconibus. Fertili camporum arborumque ubertate, itemque perennium aquarum ſcaturigine amoenus eſt. Et inter rariora omnino naturae miracula numerandum, aquam ex vario marmore in ſummis montium jugis proſilire. Aër ſalubris eſt, amoenus et temperatus. In media illius parte planities eſt, et prata dulciſſima; in iſta, flores plantaeque ſaluberrimae; et in fruticibus denſis atque vepretis, quibus hinc inde obſita eſt, innumera ferarum aviumque genera latent.

Baldum conſcenſuri, ab oppido *Avio*, quod in radice montis ſitum Atheſi alluitur, medio die profecti ſumus; mulo commeatum ferente. Pernoctabamur in caſa, poſtquam foeno refertam evacuaveramus. Plures ibi compactae et gramini reſecto receptum dant et vaccis, ex quarum lacte pinguis caſeus Italiae Germaniaeque exprimitur. Haud procul inde aedicula S. Iacobo dedicata conſpiciebatur, ad quam ingens hominum multitudo ſtatis diebus religioſe confluunt. Atque hic demum mons acclivus et trifidus, aemulans criſtae figuram propius veniebat: qui Baldi vertex erat. Adſcenſus, quem poſtero die tentabamus, difficilis erat, quod glarea, qua verticem obtectum inveniebamus, cederet, adeo ut progreſſuri fere relaberemur. Superavimus tamen bina cacumina; quorum ſuperna pars modice erat complanata: tertium pedum laſſitudine victi tentare noluimus. Mirandum vero omnino eſt, inter rimas aſperrimorum lapidum praeſtantiſſimas tamen herbas pullulare. Conſtituti in ſummitate, lapidem, quantum movere poteramus, cum impetu in vallem, e regione oppidi Malceſene detruſimus: in illam vero poſt moram ſatis longam non ſine horrendo fragore deſcendit. Aethere tum ſudo univerſam regionem horti inſtar amoeniſſimi contemplabamur. Patebant con-

conſpectui noſtro urbes celeberrimae, Verona, Patavium, Venetiae, quae oculo armato conſpectae nebulam referebant, cum mare Adriaticum fulgentibus ſolis radiis illuminatum clariſſime reluceret. Alpes Helveticae ex parte ſeptentrionali canos nivoſosque vertices obvertebant: et inde verſus Zephyrum converſi, Benacum agrosque vicinos, oppida et vicos luſtrabamus. Hi Hermarum cumulos; naves in Benaco natantes punctorum nigrorum minuta aequabant. Atque occidentalior haec montis pars, ſolis iubare non fecundata, rupibus et ſaxis incultis horrida eſt, cum altera, uti diximus, vere arborum, florum plantarumque perpetuo vireſcat.

Subit memoriam recordatio eius, quod R.P. Bohuslaus Balbinus in Deſcriptionis Bohemiae Parte prima de montibus quibusdam poſt Bergreichenſteinam refert, eos non tam ſitu quam caelo et temporibus adverſantes, vallibus latiſſimis montes illos dirimentibus: Monſtri inſtar eſt, inquit, in altero monte ſaepius aeſtatem, in altero oppoſito hiemem dominari; ita ille ſiccus aeſtivat, hic altiſſimis nivibus obſitus a viatore ſuperari non poteſt; ob eamque cauſſam meſſes ipſae variant, et dum in montibus ad nos obverſis demeſſa ſunt omnia, altera montium parte ſeges vireſcit. Mirius illud, quod in Bieſſinenſibus et Czachrovienſibus agris in tractu Pilſnenſi, contiguis, quos unus tantum ſulcus dirimit ac dividit, deprehenditur: Czachrovienſes adhuc hibernant, cum in Bieſſinenſi caelum ardeat; ibi caput attollit humo frumentum, cum Czachrovii adoleſcit in culmum; elemento quoque diſpari, illud riget, hoc tepet et fervet; eaque ex cauſſa, dum Czachrovienſes bene pelliti ingrediuntur, Bieſſinenſes pellibus onerari ſe ſentiunt, villosque deponunt. Addit porro, ſibi cum Glacio Zambergam in Bohemia contenderet, accidiſſe, ut in Glacenſi comitatu trahis uſus, ſuperatis montibus nive altiſſima tectis, currum petere cogeretur; quod altero montium latere viridia omnia repererit. Et accolae montium illorum quotannis id ſibi accidere confirmabant, ut unum latus montium profundiſſimae nives contegerent, quando alterum latus lectiſſimos flores proferret, et cum ibi omnia ventis everti viderentur, apud ſe e floribus ſuaviſſimos odores efflari. Haec Balbinus.

Mons ille Baldus non alio tempore commodiorem aſcenſum praebet quam aeſtate media, Iulio menſe; tum enim ipſa cacumina ſuperare, et oculum in omnes mundi angulos convertere licet. Alias quippe circa montis medium collectae nubes et nebulae denſae tractus ſubiectos viſui ſubducunt et obſcurant. Taceo frigoris quoque tempeſtates hibernales, viatoribus incommodas, aditu prohibere: neque aeſtivi ſolis radii glaciem omnem in cavernis et vallibus latitantem conſumere aut liquefacere potuerunt: quin media aeſtate hinc inde haerentem offenderim.

Lectoris deſiderio abunde ſatisfacturus uberiorem dicti montis deſcriptionem hiſtoricam, ex laudato Io. Pona excerptam, hic ſubieciſſe commodum erit. Ita autem ille: Flumen iam nunc traiiciamus, hic ſane rapidiſſimum, et aliqua in parte verticoſum vel flexuoſum, et ſic incedendo relinquimus Atheſim et Clauſam, arcem illam loci natura inexpugnabilem, ſitam in faucibus montium, nobis appellatum la Chiuſa; nam cum olim montis ſoliditate integri tutiſſimo lapidoſoque parieti Atheſis clauderetur, atque alio non autem Veronam perflueret, mons hominum arte manuque apertus fuit, parte illa, quae alveo recta opponitur, integra relicta, quam ita violenter ipſae aquae labentes feriunt, et ab obice montis reiectae tanto impetu relabantur, ut rates, quibus merces utriusque Germaniae advehuntur Venetias, Veronam, et alias in civitates, quandoque omnino ibi ſubmergantur, ſemper tamen pars anterior in altum per ipſum montem aſcendat, poſterior autem aquis immergatur, quo fit, ut in ea parte morantes cum aliorum riſu, nec ſuo ſine periculo ad genua usque madeſcant: converſum interim

flumen ad dexteram adlabitur, ac denuo reconverſum tortuoſe, anguloſeque ipſum pervium ac artefactum os ingreditur, et ſine impedimento perlabitur. Per hanc arcem perpetuo praeſidio Sereniſſimi Veneti Senatus cuſtoditam, et per callem hunc, montibus adhaerentem partim arte, partim natura exſtructum, iter fit in ipſam Germaniam. Hinc adſcendendo pervenimus ad Coronam.

Locus Coronae eſt in anguſtiis duorum montium, qui conſtant ex ſolido ſaxo, ſemimilliaris altitudinis, ad amuſſim perpendiculariter recti, ac adſpectu horribiles; ſupra medium ſiniſtri, quorum exporrecta eſt magna ſaxoſa portio, hortulum penſilem repraeſentans, inacceſſibilis, niſi per funem ab altitudine ſuperiori demittaris; aut via hominum induſtria parata, aſpera et difficili circa latus dextri montis deſcendendo, ex hoc ad ſiniſtrum transeas per ligneum pontem, valida tiliae feminae bifurcata fultum, quae tilia adeo magna, (divinum profecto) ex vivo ſaxo exoritur, ac alimento, a ſimplici lapide ſuggeſto, nutritur, augetur ac germinat; pandens ita nobiles illos duos ramos, ut ponti viride tegumentum paret, hinc per arctam ſemitam, in montis latere gradatim excitam, et unicae perſonae deſervientem, ſcanditur ad naturale podium, ubi perpulcrum, neque parvum templum Deiparae, ſemper virgini glorioſae erectum eſt, cunctis non ſolum vicinis pagis, ſed etiam remotioribus oppidis et urbibus venerandum, ad quod, praeſertim XVIII Kal. et VI Idus Septembr. turbae hominum copioſiſſime confluunt: quod ab Eremita quodam venerabiliter cuſtoditur, quare ab aliquo etiam probo viro, ſolitudinis cupido, huiuscemodi apta contemplationi loca initium ſumſiſſe credibile eſt: hic omnipotenti DEO mentis elevatione aguntur gratiae, atque divinae clementiae beataeque virgini locorum indagatores ſemetipſos commendant, ſubinde bene cultus hortulus religioſi hominis inviſitur. Iam vero cum ſuperius denuo reditum eſt, in initio deſcenſus conſiſtendo, deorſum proſpicientibus ſeſe offert admodum amoena Vallecula Brentini, agris vitiferis et optime cultis inſignita, qui rapido flexuoſiſſimoque Atheſi ſumma cum voluptate ſecari conſpiciuntur. Huic templo contiguae aliquae domus ſunt quorundam hominum urbanorum, qui Cruciati vocantur, in quibus hoſpitia non incommoda pro locorum ratione haberi poſſunt. Hinc diſcedimus ad Vallem frigidam, et primo tranſimus per quaedam prata, vulgo Prata Bazaria dicta; deinde ad Baſianam et Iemen, quae ſunt valleculae meridiem ſpectantes, admodum herboſae, in quibus greges pecudum et armentorum paſcuntur, eo praeſertim temporis initio, cum in montes tendunt: atque etiam cum ineunte frigore ab altioribus deſcendunt: et hoc ne quid a frigoris ſubita mutatione animalia patiantur. Quae valles multis caudicibus acerum, ariarum Theophraſti, viburnorum, corylorum, fagorum, et pullulantium quercuum abundant: inter quas etiam frequentiſſimae plantae germinant.

Atque ita pervenimus in nobilem et omni laude dignam frigidam Vallem, ortui ſolari expoſitam. Hic ſunt planities non parvae, herbis abundantes, quibus a Maio usque ad Septembrem menſem numeroſa animalia nutriuntur. Hic adſunt cavitates quaedam, in quarum duabus pluviales aquae conſervantur, in tertia autem ſalientes aquae perpetuo ſcaturiunt; his armenta pro potu utuntur. Hic ſunt humiles paſtorales caſae, ſeu tuguria, ex viminibus contexta, flantibus ventis pervia, paleis cooperta, Baito ab incolis dicta, ſub quae lac defertur atque aſſervatur; et ſub his et ab imbribus paſtores ipſi ſe tuentur. Inde adſcenſum, difficilem ſane, licet talis non videatur, ad ſcopulorum latus aggredimur. Cumque iam ad eum locum perventum eſſet, qui vulgo Saxa Vallis frigidae appellatur, quae ardua, praerupta, et alicubi valde diſciſſa ſunt, laborandum erat in ingenti ſelectarum plantarum copia, quae hic amoeniſſime vigent atque vireſcunt.

Aliquan-

Aliquantulum ſupra ipſa non ſatis celebrata dirupta ſaxa, in parte dextera ſcaturiunt aquae gelidiſſimae, ad Notum expoſitae, quibus Fons Navolae nomen eſt, quorum frigiditatem manus vix ferre poſſunt: imo quandoque vitrea ipſa vaſa, ad refrigerandum potum in iisdem immerſa, quo calores propter difficilem adſcenſum contractum, leniantur, minimo temporis ſpatio perfracta ſunt: quae quamvis abundanter ſatis fluant, per illam montis partem dimidii milliaris altitudinis ad Vallis frigidae planitiem, attamen ad hanc non perveniunt, ſed totae ab illa terrarum ſuperficie abſorbentur. Ad dexteram fontis eſt Vallecula quaedam appellata la Valle del Baſtion, quod ibi magnus murus, in formam propugnaculi aedificatus, ad tranſitum Germanorum retardandum. Hanc percurrentes ad diverſorium deſcendimus. Mane a ſomno experrecti, ex hoſpitio (Baito videlicet) ſcandimus denuo, laevorſum tamen, iam dictas diruptas rupes, ac pervenimus ad verticem montis, ubi (quoniam terra nonnihil videtur depreſſa,) et ſinum quendam efficit, ideo vulgo Os Navole appellatur. Expoſitus autem eſt locus iſte ad Africum ſive Lybem. Hinc Aquilonem verſus per eandem hanc partem montis in alia prata ampliſſima herboſiſſimaque tranſivimus: Baldenſibus ea Vallis Vaccaria vocatur, quod illic opimis paſcuis aluntur innumerabilia boum armenta: dives autem eſt locus iſte fonte perenni aquarum ſalientium, quae uſui ſunt non ſolum paſtoribus, atque armentis ad exſtinguendam ſitim, verum et ipſis paſcuis ad humum irrigandam. Ab iſtis pratis ad Occidentem verſus ſtatim adſcendimus, et, laborioſe ſane, ad cacumen montis, a Vaccaria valle unius milliaris altitudine perpendiculariter elevatum, cui nomen eſt Mons Maior, quoniam omnium vicinorum montium altitudinem ſuperat: hic ſtantes Benacum detegimus, qui a Sarcis Tridentinis initium ſumens, deſinit in Mincium, flumen Picheriam ingrediens, et eandem in duas partes ſecans. Hic Picheriae locus, moenibus, propugnaculis et mole tutiſſimis munitus eſt. Hic numeroſae anguillae, ac troctae maximae abundantiſſime capiuntur a piſcatoribus. Cernimus ſubinde Syrmionem peninſulam, natale ſolum Catulli, Poëtae, ubi non longe ſub ipſis Benaci aquis, fontes ſulphurei creduntur eſſe, exhalationem certe ſulphuris et ſentis et hauris naribus. Vlterius eſt in conſpectu Decentianum, quarumcunque frugum emporium magnum. Praeterea Salodium, quod ad urbis dignitatem proxime accedit, oculis ſeſe offert; hic merx dealbati fili, eiusdemque ſubtiliſſimi ad veſtes lineas conſuendas, et acupingendas, copioſiſſime exercetur. Ob oculos quinetiam verſatur Maternum et Tuſculanum. His tribus in locis, ubi vitalis ſaluberrimaque aura ducitur, omni arte ac induſtria coluntur viridaria arborum praeſtantiſſimorum, ut ſunt Malus Citria, Malus Medica et Maſſilica; inter quas ſunt etiam quaedam, quae ingentes fructus ferunt, Poma Adami vocitata, propterea quod in inferiori parte cicatricem obtineant, poſt morſum primi Patris (ut ferunt) relictam. Hae quidem celebrandae plantae quovis tempore florent, et totum annum acervatim fructus conſervant. Horum locorum parietes ex lauro et myrto, quaſi aulaeis quibusdam mire texuntur; his et hortorum viae concinne admodum exornantur; atque adeo abundant lauro loca iſta, ut hac, vice lignorum ad inſtruendum ignem etiam populares utantur. Ex quibus amoeniſſimis viridariis, praeter delicias ſummus quoque proventus excipitur, cum fructus iſti non ſolum nobis, et vicinis civitatibus, verum etiam Germanis ipſis cumulatiſſime impartiantur. Papyrus ſcriptoria hic etiam in magna copia conficitur. Hinc conſpicitur parva inſula Monachorum D. Franciſci, in qua abundanter provenit Nerium albis et rubris floribus, ex ſaxis nudis prope aquam pullulans. Aſpectui etiam ſeſe offert Boiacum. Huius loci accolae toti ſunt in piſcandis Carpionibus. Vlterius vicus Campioni, quo in loco ad excoquendum

 ferrum

ferrum ferramentorumque genera omnia exſtruenda, aedificia varia fabricata ſunt: habent namque hic aquas ipſis inſervientes, atque fodinas, ferrea materia exuberantes, utque paucis totam rem perſtringam, hic contemplari licet aquas diverſi coloris; ſelectarum olivarum oliveta frequentia; naves, quae tamen ex tam ſublimi loco ac vertice naviculae apparent, tum ab adſpirantibus ventis, tum nautis remigantibus, Lagiſium hanc Veronenſis orae, illam ripam agri Tridentini oppidum impulſam: praetereo rivulos murmurantium aquarum, piſtrinis ad molendas fruges, ac torcularibus variis deſervientes: praetereo etiam diverſos alios pagos: non commemorabo tempeſtates procelloſas ac repentinas, quibus lacus iſte commovetur, ob contrarios ventos ſubito aſſurgentes, temporeque eodem inter ſe concurrentes. Vt iure Virgilius Lacum verbis illis compellarit:

Fluctibus et fremitu aſſurgens, Benace, marino.

Ad ſummum humanis deliciis ac vitae ſalubritati, ora haec locupletiſſima Benacenſis opportuniſſima exiſtit.

Ex hac etiam ſpecula, veluti ab altiſſima eminentiſſimaque arce, Verona, totusque ager Veronenſis, Atheſisque flexuoſisſimus oculis ſeſe, confuſe tamen, ſubiiciunt. Luminoſo etiam ſerenoque exiſtente caelo remotiores urbes, pagi, villae, oppida, ſed indiſtincte atque confuſe apparent. Hic locus diſtat a Benaco conſueto itinere ſex milliaribus, perpendiculariter vero duobus. In hoc itidem montis cacumine planities eſt herboſa, ubi oves et caprae tantummodo paſcuntur.

Parte autem, occaſum ſpectante, fonticulus perpetuo ſcaturit, cuius aquae labentes per montis crepidines in Vaccariam Vallem paulatim abſorbentur et ad nihilum rediguntur: in parte vero, Septentrionem adſpiciente, ſemper nives iacent, quas aliquando, cum nives altae non ſunt, plantae penetrant, et caput ſupra ipſas efferentes, in eis vireſcunt, florent et ſemen ferunt, quod ipſe mea manu collegi.

Hinc ulterius pergentes paulo inferius deſcendimus in Valleculam, aeternis nivibus et glacie maiori ex parte contectam, cuius inferior pars conſtat ex confractis et ita mobilibus ſaxis, ut ſuper ipſis nullo modo conſiſti poſſit, adeo ut lupi et urſi mortui adinventi fuerint, ſiquidem hac tranſire volentes, ſaxis ſub eorum pedibus motis, cum nullo modo gradum continere poſſent, una cum cotibus praecipites corruerint; qua ſaxa cum attrita et candida ſint, variasque ſortiantur figuras, non abſimiles denudatis oſſibus, a vicinis Vallis oſſium nominata fuit. Inferius huic Valleculae contigua ſunt prata, in latere montis late extenſa, admodum delitioſa, cum propter apricum ſitum, tum quia ſunt inſtar viridarii, ubi multae ac rarae plantae, quae paſſim toto in monte ſurgunt, collectae viſuntur. Cuius rei ea videtur eſſe cauſſa, quod cum in aliis locis pratisque editioribus, et his ipſis imminentibus herbae quotannis ematuruerint, exſiccataeque et in foenum redactae non plauſtris, non jumentorum dorſo propter locorum difficultates convehi domum poſſint, ſed ea trahi per terram neceſſe ſit, et per haec praecipue prata tranſitum habere, hinc fit, ut varia ſemina decidant, iisdemque mox naſcentibus, omnigenis herbis loca redeunt; quare etiam per quandam dignitatem et excellentiam abſolute, et nullo alio adiecto nomine a Malteſinenſibus, Prata, vocantur.

Hic pariter ſilentio non eſt praetereunda Via illa Fagorum, acclivis valde, trium milliarium longitudine conſtans, modo hac, modo illac, anguem, dum ſerpit, ſemicontractum referens, ex utroque latere fagis ingentibus ſepta, quarum cacumina ſeſe mutuo vincientia veluti fornicem effingunt, quae viatores ab ardentiſſimi ſolis aeſtu et impetu pluviarum aliquo modo tueri poſſint. Ab his pratis ad montis ſummum dorſum, Culmen Malſeſini vocitatum, adſcendimus, in quo planities ſatis lata, herbis refertiſſima, ubi propter varios proſpectus iucunde indagatores animum atque oculos paſcunt.

Ex



A Palazzo del Duca San Pietro . C. Palazzo del Sig. Filippo Cattaneo . E. Palzzo delli Sig. Doria . G Pal: del Prencipe Centurione . L. Pal. del Sig: Agoſtino Mart . N. Pal: di Gio: Battyſta Maſchio . 1 N. Sig. di Beluedere Conuento de Agoſtiniani . 2 S. Pietro Conuento de Gieſuiti . 3 S. Gio Battiſta G de Teatini . 4 La Celle G. de Agoſtiniani . 5 N. Sig. Incoronata . 6. S. Bartolomeo della Coſta ,

B Palazzo del Sig. Franceſco M.a Imperiale . D. Palaz: del Sig. Nicolo M.a Pallauicino . F Pal: del Sig. Paris M.a Saluago . K. Palazzo de Sig. Pallauicini . M. Palazzo de Sig: Grimaldi . O. Polceuera Riuiera .

7 Corniglano . 8 S. Antonio . 9 S. Martino . 10 . Porte di Pestri . 11 . Lanterna di Genoua .

Ex hoc faſtigio deſcendimus recta verſus ſeptentrionem in ſemicirculares quaſdam fauces,inter iam dictum culmen et alium montem, Altiſſimum nominatum, licet ille ad celſitudinem maioris montis non perveniat, quae montis in Lunae formam excavata portio,Os Navenae dicitur. In hoc Altiſſimo,ubi Baldus terminatur,Benaci adhuc multa pars cernitur: imo et ſonorus bombus aquarum Braſae fluminis, abundantisſime ex Brixienſibus montibus e regione montis altisſimi, de quo agimus, in Lacum praecipitantium clarisſime exauditur,licet inter haec loca et illa quatuor milliarium ſpatium interſit. Ab his faucibus ambulamus per montis latus admodum herboſum,et cui Oriens dominatur; in planitiem tandem devenimus, ubi alias ingens et pulcherrima fuit ſilva, Brentonicenſis dicta, abietibus, pinis, ilicibus,quercubus aliisque innumeris arboribus, ac praecipue patulis fagis referta: nunc vero,ut rerum fert vicisſitudo, trunci tantum ibi craſſiſſimi, ramis omnibus reciſis,neſcio quid magis indicantes cernuntur.

Ab hac exciſa ſilva pergimus ad eandem ſemitam, meridiem verſus, et ingredimur Vallem Attilonem,quae multis ſcaturiginibus ſalubrium aquarum irrigatur.Cuius pinguibus herbis copioſiſſima armenta aeſtate tota paſcuntur: refertiſſima quoque eſt numeroſiſſimis plantis. Vlterius introimus latitudinem quandam,quae Novezia ab incolis appellatur; in cuius ſiniſtra parte quaedam inaequalitates magnae ſaxeae exiſtunt, inter quas variae cavitates conformantur, Noveziae Cavitates vulgo dictae. Praeter Novezia in montis parte dextrorſum ad occidentem tribus donata eſt valleculis,quarum capita usque ad Maiorem ipſum iam dictum Montem perveniunt: harum Vallecularum prima appellatur Loſanna, quae licet parva ſit, dives tamen eſt rarisſimis plantis. Ex duabus reliquis Valleculis altera Lonzia nuncupatur, altera Bruta, in quae nives et glacies perpetuo dominantur: in ipſam praeterea ferae diverſae, lupi praeſertim ac urſae ſeſe recipiunt. In huius ſummo vertice inaccesſibili, prominenti et ſimpliciter ſaxeo, cavitas quaedam exiſtit, Coval ſanto dicta. Inde tandem, cum amoenisſimum hunc montem luſtraſſem, indefeſſaque diligentia ſingulas partes obſervaſſem, de reditu cogitavi etc. Hactenus Pona.



CAPVT XX.

De Suburbio Genuenſi, S. PETRA D' ARENA dicto, et de Pharo ibidem exſtructa, quam LANTERNA DI GENOUA vocant: qua occaſione et de aliis eiusmodi ſpeculis actum.

PLurimum refert noſſe, quo loco natali aut climate nata, educata et alta ſit planta. Cordatiores certe rei herbariae Statores, Florae cultorem peritum Geographiae eſſe volunt, quoniam cultura felicior peragetur, ſi diverſus ſoli ſitus non fuerit incognitus. Haec mecum reputans, Benaci ripas editosque colles deſcripſi; eademque cauſſa eſt, cur oram maris Liguſtici Heſperidibus Noricis inſeram, quod Genuenſia Tempe nobis ſubinde mittant aurum ſuum. Dives eo praecipue eſt ſuburbanum Genuenſe, *S. Pietro d' Arena* vernacule dictum: ibi enim, ſcribente Hieronymo de Marinis, domibus coniunctae villae hortique, omnibus naturae et artis deliciis affluentes, ac omnis generis arboribus conſiti: maxime malis aureis, citris limoniisque, quae arbores, parietibus domorum et villarum maceriis praetentae, in domos aedificari, et ſaxa ipſa fecundare videntur: certe parietes faciunt viridantes, diſcolores, ac verſicolores, pendentibus varii temporis fructibus, et albentibus floribus, qui roſis, apiariis (Italice *Gielſamini*) hyacinthisque coniuncti, numeroſa, eaque miſta, et gratiſſima ſuavitate odorum atque vario et laetiſſimo proſpectu, non ſenſus tantum, ſed animos ſuo modo nutriunt recreantque. Attollunt ibi ſeſe quamplurimae amplae adſpectuque ipſo iucundiſſimae domus privatorum, quae quidem, ſi poſſent in unum coire, utique urbem, quacunque alia pulcriorem magnificentioremque conſtituerent. Ibi amoeniſſimae valles in littora deſinentes; laeti colles ac fluviorum Biſamnis ſeu Feretoris et Porciferae limpidae aquae: quorum ille orientale Vrbis potentiſſimae latus praeterfluit, hic aliquantulum ab occidentali recedit. Quae omnia in ſchemate adiecto viſui patent.

Conſpicitur ibidem et Pharus, quam *Lanterna* vocant, ad portus finem ſuper petram inaedificata et fundata, firmoque praeſidio et tormentis maioribus probe munita. Structa eſt haec ſpecula in quadrum: Podium ſive Menianum ibi duplex eſt, ſuperius et inferius, quorum illud navium actuariarum, hoc vero navium velatarum adventui denuntiando inſervit. Has ſpeculae praefectus a quadrageſimo milliari Italico adventantes tubo obſervare poteſt ac detegere. Summum turris faſtigium haemiſphaericus tholus, ad quem per 366 gradus adſcenſus tentandus, cum perſpicuis ſuis laternis tegit. Pro ventorum numero binis et triginta ille angulis cingitur, e quorum unoquoque brachium ferreum protenditur: latera vero intermedia ſingula vitrum ſpeculare firmum claudit. Tantae amplitudinis, tantae item altitudinis laterna haec perhibetur, ut viri bini et triginta lanceis ſive haſtis armati, recti ad ſpecularium columellas, in medio autem longe plures conſiſtere valeant.

In

In ea praenuntiativi ignes ſive lampades totidem, 32. puta, noctu accenduntur, ut navibus praeluceant, ne ſcopulis alliſae in portu naufragium faciant. Interdiu ex ſpecula hac navium adnavigantium numerus indicatur. Firmantur in brachio ferreo tot vela conglobata, ea turris parte, v. g. orientali aut occidentali, quot naves in mari inde euntes conſpiciuntur. Si quinque ſimul appareant, vexillum ſive velum expanſum ex alta turri explicatur. Navium vero velatarum actuariarumve diſcrimen podium, uti diximus, vel ſuperius vel inferius indicat.


Vtiliſſima haec ſpecularum ſignificatio non nudius tertius demum, ſed bello Troiano a Sinone inventa traditur Plinio VII. 56. Antiquiſſima tamen, cuius crebrior apud auctores fit mentio, et Pharus Alexandrina, in inſula cognomine, (quae tamen in longitudinem paſſuum DCCCC in mare iactis molibus, anguſto itinere et ponte cum oppido coniuncta eſt a Ptolemaeis Aegypti Regibus,) a Soſtrato Gnidio Philadelphi iuſſu exſtructa ob navigantium ſalutem: quod hoc titulo notatur: Soſtratus Gnidius Dexiphanis F. Diis ſervatoribus, pro navigantibus. Ambitum huic turri tribuunt parem Pyramidibus, altitudinem vero tantam, ut a centum paſſuum millibus ſit conſpicua. Vetus eſt commentum, quod ridiculum videri poſſit, tantam molem inſiſtere quatuor cancris vitreis: videlicet ad baſin Phari, proxime ſuperficiem maris cancros iſtos a Soſtrato ornatus cauſſa additos fuiſſe putant. Soſtratum aemulatus eſt Herodes Aſcalonites, qui fortiſſimam itidem iuxta mare turrim, Phaſoli fratris nomine inſignitam, munivit. Phari, quam Caligula in urbis Bononienſis portu Geſſoriaco excitavit, rudera hodienum viſuntur, dicta vulgo *la Tour d'Ordre*. Eſt et turris nomine Phari celebris in inſula Siciliae ad Meſſanae portum. Flagrabat quoque Plinii temporibus eiusmodi ignis Puteolis et Ravennae, uti ipſe perhibet Hiſt. Nat. L. XXXVI. c. 12. ubi addit: periculum eſſe in corrivatione ignium, ne ſidus exiſtimetur, quoniam e longinquo ſimilis flammarum adſpectus eſt. Sed tum Meſſanenſis Siciliae, tum Ravennatenſis, et quae Puteolis ſuſcitata erat, ſolo iam olim iterum aequatae ſunt. Oſtienſem in agro Romano Claudius, et aliam ad Scaldim Ludovicus Imperator, Rupellenſem Carolus VI, et Ludovicus XIIII. Reges Galliarum elegantia et firmitate nulli ſecundam turrim *la Tour de Cordan* eadem de cauſſa condiderunt: et in hac hodienum ignes noctu lucentes aluntur. Neque Europae felicis tantum gentibus, ſed et Aſiaticis ultimisque Chinenſibus iſtaec viae comiter monſtrandae humanitas commendata fuit. Summo montis, quem vernacule *Paocai* nominant, apici prope urbem Civencheu eminet Pharus longe lateque conſpicua: et forſan alibi plures dantur, quas inquirere nolumus, ne extra orbitas vagari videamur. Vnicum hoc obſervo, quo Scyllam eiusmodi et Charybdin, Syrtes ſcopulosque facilius nautae evitent, plurimis in locis in ipſis ſcopulis dolia catenis firmari, quae ſupernatantia de periculo cavendo navigantes moneant.

CAPVT

CAPVT XXI.

Deſcriptionem eminentiſſimi Palatii Principis Andreae Auriae, Hortique egregii, exhibens.

IMmortalitatis opinio et ſtudium omnibus omnino hominibus innatum eſt atque infixum. In eo tamen plures a veritatis tramite multum aberrant, qui corpus hoc fragile a putredine vivum conſervari poſſe autumant. Sinenſes, qui ſe ſolos utriusque oculi, Europaeos unius tantum uſum habere, gloriantur, potum ſe tandem inventuros ſperant, quo a morte ſe vindicare poſſint. Celeberrimus Neuhofius in Legatione ſua Sinica de Imperatore Sinenſium refert, cum aliquando potu eiusmodi vitali eſſet donatus, eoque regni adminiſter tanquam praelibaturus toto ſe ingurgitaſſet; regem hoc facinus tam vehementer doluiſſe, ut illico in partes diſcerpi innumeras iuſſerit. Is quidem vitam ſibi redemit allegatione cauſſae, ſe hoc ipſum auſum eſſe, ut Domino ſuo comprobaret potus efficaciam. Haec enim ſi tanta eſſet, quanta venditaretur, vitam ſibi ab Imperatore adimi haud poſſe: ſin hac nihilominus privaretur, alia omnia eſſe de iſtoc potu habenda. Sed adeo invaluit inveteratum hoc aeternitatis iudicium apud Sinenſes, ut neque ſic ab illo abſtrahi potuerint. Qui ſapientiores cenſeri volunt, editis praeclaris ſceleribus, imperii moderato uſu et conſervatione, ſtipendiorum dedicatione, aedificiorum ornamentis, artium doctrinaeque ſingularis exercitio et cultura, rerumque ſalutarium inventione, ſcriptis denique aliaque ratione, famae ac nominis immortalitatem conſectantur. Hi Plinii ſcitum ſuo calculo comprobant, monentis: *Effinge aliquid et excude, quod ſit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium dominum ſortientur: hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel coeperit.* Sed quorſum haec? Andreae Auriae ſive Doriae, fortiſſimi Genuenſium Ducis facta hic celebrabo; in quibus non minimum Plantarii, quo per illa tempora vix magnificentius exſtitit, adornatio et cultus. Hic Dorias ille Andreas eſt, cuius prudentis fortitudinis ſpecimina quam plurima Maximus Gallorum Rex, Franciſcus I, et cum illius partes ſequeretur, et cum ab ipſo animum avertiſſet, ſenſit; et Turcae ſuo cum damno viderunt. Hos cruento certamine Anno Milleſimo quingenteſimo fudit fugavitque; piratarumque acropolim Tunetanam ab iisdem recepit. Illius vero dominatum, quo cives ſuos inique preſſerat, et iugum excuſſit, patriamque in libertatem priſtinam vindicavit; eidemque Neapolin et Savonam eripuit. Heroicis rebus geſtis ſummi Praetoris claſſique Praefecti eminentiſſimi nomen ac titulum dudum meruerat. Victoriae quoque a Turcis reportatae gratam memoriam conſecrare, eiusque monumentum perpetuum exſtare voluerunt cives Numisma ſequens:



C.F. Krieger fecit



in cuius altera parte imago tanti herois conſpicitur cum elogio: ANDREAS DORIA P. P. In poſtica navis longa comparet cum ſcapha, cui bini viri ſe commiſerunt Genium Delphino inequitantem fune attrahentes, addita epigraphe:

NON DORMIT QVI CVSTODIT.

Quo ipſo innuere volebant, Victoriam non ſibi, ſed DEO acceptam eſſe ferendam, qui nunquam dormiat, ſed ſuos ſemper et ubique defendat. Porro cum altera ab hoſte parta victoria ſuis libertatem amiſſam recuperaſſet, reique publicae commoda et ſalutem inſigniter auxiſſet: Cenſoris perpetui in eum, quem Melphii Principem Carolus Caeſar clementiſſime creaverat, dignitas Sereniſſima teſtificandi grati animi cauſſa non modo eſt collata, ſed et ſtatua pedeſtris e marmore ad Curiam poſita, aeternum duratura, cui inſculptum:

ANDREAE DORIAE
QVOD REMPVBLICAM DIVTIVS OPPRESSAM
PRISTINAM IN LIBERTATEM VINDICAVERIT,
PATRI PROINDE PATRIAE APPELLATO
SENATVS GENVENSIS
IMMORTALIS MEMOR BENEFICII
VIVENTI POSVIT.

Palatium, quo hodienum Genua ſuperbit, nitidiſſimum magnificentiae Aurianae praeclarum exſtat monumentum, cum non aliud ibidem ornatius eo aut maius viſatur. A litore enim maris ad montes usque pertingit; ab eiusque, quo mare proſpicit, veſtibulo amoeniſſimus eſt proſpectus. In muro anteriore carmina Italico Germanoque idiomate ſcripta leguntur, qui eſſe hoc palatium excitatum ornatumque ſumtibus propriis, non alienis, gloriantur. Ambulacra et conclavia innumera, regio plane ſupellectili inſtructa, magno Principi Regique potentiſſimo excipiendo apta ſunt. Inter alia porticus ibi eſt, pilis et columnis ex marmore candidiſſimo ſubſtructa, quarum capitula et concamerationes omnes inauratae, ornamentisque opticis egregie diſtinctae: unde portus maximaque urbis pars conſpectui expoſita. Aulaeis porro inſtructum et peripetaſmatis, quibus ſepties parietes conclavium veſtiuntur, et in his holoſericis, quibus aurum, argentum et uniones pretioſiſſimi intexta. Viſuntur quoque ibidem in menſis binis ex puro argento quadratis, quarum ſingulis octo viri accumbere poterunt, triumphi Andreae Doriae de Turcis acti, opere elevato ſignisque prominentibus artificioſiſſime formati. Denique menſa ibi eſt ex achate gemmis pretioſis diſtincta, quae binis coronatorum myria-

N dibus

dibus aeſtimantur. Vaſa reliqua argentea, quibus copioſiſſime inſtructa, ſilentio hic ſciens praetereo.

In eadem Ligurum urbe Caroli Auriae, Andreotti filii, palatium ex marmore albo et flaveſcente, in quadratae maioris menſae figuram ſtudioſe caeſo, eximiae prorſus magnitudinis excitatum eſt, et ſecundum artis architectoniae leges, nobili ſtructura, columnis et aperturarum ſuperliminaribus, conſpicuum. Fundamenta huius Genuenſis nobilis quidam jecerat ante annos LXX; cum vero ipſum operi perficiendo neceſſarii ſumtus defeciſſent, laudatiſſimo illud Principi, Andreae Auriae, vendidit, qui id habitandum dedit Carolo, Conſanguineo ſuo. Inter alia aedificii decora ſtupenda et praeter partium ἐυρυθμίαν, miranda ſunt bini graduum ampliſſimorum ordines, per quos in partes palatii ſuperiores adſcenſus patet, ex marmore optimo factos. Impenſae in hanc rege digniſſimam ſedem factae ſunt ſepties centena millia aureorum. De immenſis Doriae divitiis vel inde judicare poſſumus, quod praeterea Andreottum Doriam, privignum ſuum, moriens aetatis anno tertio et nonageſimo ducatus Melphienſis, quo a Carolo V. Imperatore donatus erat, heredem reliquerit. Atque hic Anno MDCVI decedens e quatuor filiis natu maximo Marchioni Turigliano quinquaginta millium, Carolo quadraginta millium, (qui praeterea Triremes aliasque res, quae moveri poſſunt, bis centenis millibus aeſtimatas acceperat,) tertio Cardinali viginti et duorum millium, quarto Carmelitae ſex millium aureorum reditus annuos teſtamento ſcripſit. Arcium harum plane regiarum cuilibet hortus magnificentiſſime inſtructus adiacet; fonte artificioſe ex marmore ibidem ſaliente, et ſtatuis itidem marmoreis ornatus. In eorum altero aviarium, quale non aliud Italia huic ſimile oſtentare valet, eſt centum et ſex paſſibus longum: latum decem, et viginti altum: faſtigium vero et haemiſphaericus tholus quindecim praeterea paſſibus ſupereminet. Arborum, quibus illud conſitum, nemus ibi eſſe videres: in hoc phaſianae aliorumque generum aves rariſſimae aluntur. Vndique vero, ne avolent illae, aere ductili arctiſſime connexo circumſeptum ac communitum eſt. Amplius antra habent arte elegantiſſime facta, machiniſque hydraulicis laticibusque ſalientibus commodiſſime adornata: atque horum quidem aquagium deſuper ex ſtagno montano deducitur.

Atque hoc hoſpitio exceptae ſunt plantae exoticae rariſſimae, arboresque nitidiſſimae. Vnde fructus ex eo colliguntur optimae notae, poma citrea, aurantia, Limonia, punica et id genus longe plura: quae omnia noſtris vulgaribus ob inſignem praecipue magnitudinem multum praeſtant. Memorat nonnemo, non dubiae fidei auctor, ſe iſtis in viridariis vidiſſe manibusque libraſſe mala Citrea Capitata, quatuordecim librarum Genuenſium pondere. Ex quonam ubere ſolo in hos fuerint hortos transplantatae arbores eiusmodi, et num forſan ex regno Murciae, ubi tantae magnitudinis mala citrea naſci perhibentur, huc fuerint translatae, definire non audeo.

CAPVT



C.F. Krieger fecit aquaforti

CAPVT XXII.

De Nervo, Vico Genuenſium.

QVamvis ſatis multa de ſuburbanis Genuenſibus, eorumque aedificiis magnificis, dixiſſe mihi videor; invitat tamen me loci amoenitas, ut ne indictum praeteream humilem quidem vicum, *Nervum*, quo ad orientem quarto, aut ſecundum Hieronymum de Marinis, ſeptimo ab urbe lapide, terminantur. In litore ſitus aura fruitur admodum temperata ſoloque fertiliſſimo. Auſtro obverſus ſemper apricatur: nulla ibi hiems; ſed perpetua aeſtas: media quippe hieme roſae, et caryophylli frequentes florent; et cinarae ſive cardui altiles in agris nitidiſſime aluntur: neque unquam mala citrea aurantiaque deſunt. Praecipue autem ibi floret citrorum ſpecies non acida, ſed ſubdulci carne intus gravida; atque acini ex illius fructu feliciſſime ibi terrae commiſſi germinant. Integrorum quippe agrorum ſeminaria ibi his dulcium citrorum granis conſeruntur, ut nemora non ſine oculorum voluptate videantur. Horum quoque ſuaveolentia non mediocriter ambulantes recreat. Atque ex hoc ſeminario in univerſam fere Germaniam pluresque regiones coloniae quaſi deducuntur. Flores, quorum copia abundantiſſima fere laborant, ſaccharo conditos aut muria, alio divendunt; atque ex hoc fere quaeſtu maxima incolarum pars victitant. Vina delicatiſſima profert: de quibus dicendi locus non eſt. Tam felicem hunc tractum, tamque amoenam ac ſalubrem regionem tanti eſſe putavi, ut non tantum aere inciſam Lectori Benevolo ſpectandam exhiberem, ſed et uberiorem ejus deſcriptionem ex laudato Hieronymo de Marinis hic repeterem. Ita autem ille: Aliud ſimile (aegrotorum) perfugium, atque a frigore fortaſſe tutius, (quam Pelium) praebet vicus, quem modo diximus, Nervum, qui piſcatorum agreſtiumque caſis, nonnullas etiam per adjacentes colles, ac littora, nobiles aedes adjungit. Hic tractus duo paſſuum millia non excedens, perpetui Veris eſt ſedes; ideoque fortaſſe Nervum ſortitus eſt nomen, quaſi Vernum, facili corruptela. Ibi parum eſt rigante bruma prata vireſcere, vernare ſata: parum etiam ab eodem aureae mali ramo pendere ſimul qua flores, qua fructus, parum florido calyce dehiſcente vix apparentes, partim grandiuſculos, ſed virentes, alios virentes ſimul et croceos, adhuc tamen acerbos, alios demum maturos aureosque et nedum oculos delectantes, ſed etiam guſtum ſollicitantes: etenim haec omnia communia ſunt univerſae fere provinciae, ejusmodi arborum nemoribus affluenti: at unum Nervum reperias perpetuo ac multiplici brumali flore odoratum, et maxime roſis. Sed et hoc parum; nam ibi praemittit hiems cinaras ſeu carduos altiles (Italis *carcioſi*,) piſa, fraga, quae alibi adulto tantum Vere promuntur, niſi ſolito molliore ac placidiore forte hieme; quod Liguriae haud raro contingit. Flores hi verni, roſae, fructusque praecoces, exilis fortaſſe reditus videantur, niſi paucorum deliciis tantum, vel praegnantium appetitibus indulgen-

tes: ſed contra eſt; nam cinarae roſaeque ad multas per Italiam urbes transportantur, ideoque et Genuae haud vili pretio emuntur per hiemem: piſa vero et fraga, menſis delicatioribus reſervata, certe parvo non parantur.

Denique ora maritima utrinque circa Vrbem ad paſſuum viginti quinque millia perpetuis aedificiis, plerisque nobili ſtructura conſpicuis, eſt referta: ita ut, mari ad urbem accedentibus exteris vix credibile ſit, illa omnia Vrbem unam eſſe, et non eſſe. Haec ille.

CAPVT XXIII.

Pomorum Aureorum Anatome.

EXcultae hucusque ſunt miro ſtudio omnes eae artes, quae ſuam ob dignitatem, cum utilitate conjunctam inſigni, hominum ingenia ad ſe rapere poterant. Nuper vero ſapientiſſimi viri ad minutiora etiam rimanda ſe dimiſerunt, et in illis non parum laudis, nec minorem utilitatem invenerunt. Artium namque ſingularum principia cum ſint tenuia admodum et ἐυτελῆ, a quam plurimis indigne deſeruntur. Veneremur itaque Marcelli Malpighii, Nehemiae Grevv, Philippi Bonanni, Leevvenhoekii et aliorum ſtudia, quae in rimanda natura tam inſectorum quam plantarum poſuerunt, earundemque ſtupendam diligentiam miremur. Ego laudatiſſimis horum virorum exemplis excitatus, aurantiorum examen per microſcopium inſtitui. Quae hic notatu digna ipſe obſervaverim, fideliter referam: Et quo noſtra cum Malpighianis eo rectius comparentur, haec quoque ex illius operibus collecta deinde ſubjungam.

Primum quod examini ſubjeci, erat cauliculus ſeu pediolus, qui, ubi pomo ſubſtat, coronae *lit. A.* ſpeciem aemulatur: in medio conoides epiſtylium eminet, in fructum ipſum deſinens. Ambiunt illum alabaſtra ſive quinque foliola, roſae ſimplicis inſtar diſpoſita, ex luteo viridia, et in apicem deſinentia. Epiſtylii vertex ſubviridis, medullae loco eſt, ſtellae minoris forma: reliqua ex flavo virentia punctis flavis et albicantibus maculata ſunt; quas maculas poros et tracheolas eſſe judico, per quas fructus ſuccum nutritium accipit. Vid. *lit. B.* In exteriore margine fibrae uncinatae ſurgunt, quae pomo arcte connexae illud ſuſtinent. Inter uncinos iſtos pori ſunt ſive vaſa capillaria, filamentis, quae circa pomi umbilicum haerent, recipiendis apta. Ceterum epiſtylium illud (vid. *lit. D.*) criſpatum et fungoſum, innumerisque poris et tracheolis pervium videbatur. Neque tamen, quod annotaſſe e re erit, omnium epiſtyliorum eadem eſt forma ac figura. In aurantiis obſervavi pedunculum coronatum, fructu jam deciduo firmiter adhuc ramulo inhaerentem, cujus paullum quaſſati epiſtylium pomo aurantio diſſecto non

abſimile

abſimile erat, conſtabat multis utriculis, quales et fructus pro medulla ſervanda gerit; uti *lit. C.* videre eſt. Hujus rei ut eo certior fierem, immaturum ex arbore pomum decerpſi, mediumque transverſum diſſecui: Et deprehenſi ibi utriculi novem, in ejusdem pomi pedunculo illiusque epiſtylio pariter conſpicui erant.

Vmbilicus ſive cavitas illa, quae a pediolo imprimitur, alba eſt, uti et ipſa pomi caro: criſpa inſuper, et fungi inſtar poris pervia. In margine vel nudus oculus circulum *lit. E.* detegit, quem innumeris conſtare fibris aduncis, iisque introrſum verſis, obſervatum eſt: harum officium eſt, ut ab illis epiſtylio immiſſis fructus tenaciter pendeat; uti jam dictum. Hinc ubi hieme juſto parcius aqua affunditur, ipſosque, majores praeſertim, humor ſitientes deficit, marceſcunt; pori quippe coëunt: per quos quum ſucco nutritio, cum vere copioſius ad fructus ex arbore pendentes affluenti, meatus non pateat; turgeſcit epiſtylium, pomaque ipſa a matre lactante depellit: id quod creberrime verno fieri tempore animadvertitur, ut leviter illa pendentia vix digitis extremis attacta defluant.

Exterius pomi tam aurantii quam citrei integumentum, ſive *cortex*, ut plurimum tenuiſſimum eſt et laeve, raro ſubaſperum; coloris ſaturati, infinitisque porulis cribri inſtar perforatum. Cum DEVS et natura nihil faciant fruſtra, haec poma ideo laxa eſſe poris judico, ut pluvia et rore conſperſa poſt aeſtus toleratos laetius vegetentur, et alimenta ſufficientia illis deferantur. Pervii enim ſunt meatus iſti, et ad carnem usque penetrant. Imo ipſa *caro* ſpongioſa et pellucida eſt, quam fiſtuloſa ea foraminula itidem venarum inſtar, et in aurantiis quidem colore luteo ſive aureo, in citreis vero ſubflavo conſpicua, pervadunt, et ad interiora usque ſe inſinuant.

Reſecta leniter carne, quam in pomo pridem ex arbore decerpto, et nonnihil jam contabeſcente, multis membranulis conſtantem deprehendi, *Medulla* novo involucro membranaceo incluſa apparebat. Conſtabat ea ex novem, alia ex duodecim utriculis: (horum nunc plures, nunc pauciores numerantur:) quorum ſinguli, membranae involuti, et in orbem lateribus connexi, facile ab ſe invicem ſeparantur. Vnumquenque fibrae permeant, in conum utrinque excurrentes: inferius tamen, verſus umbilicum uncinatae ſunt, in umbilici circulum eique contiguum epiſtylium deſinentes: (vid. *lit. E.*) atque per venas iſtas ad medullam lac deferri, certum eſt. Si transverſim incidatur pomum, totidem capſulae ſive loculamenta comparent, infinitarum, ex quibus medulla conſtat, partium ordine diſpoſitarum receptacula. Sin partes hae, uti elongatae ſunt, disjungantur (vid. *lit. G.*) reſciſſo apice, in quem a pediculo adſcendentes fibrae coëunt, centro verſus umbilicum caro ſimiliter alba adhaeret, cui tanquam baſi utriculi omnes innituntur. Interdum medium inter utriculos ſpatium concavum eſt, et bacillo vel ſtilo rotundo pervium, citra ullius folliculi laeſionem.

Vtriculus, membrana detecta, (vid. *lit. H.*) multiplici medullae ordine et congerie conſtat. Singulae partes ſucco turgidae, oblongae et tenues, proprio pericarpio vel cico membranaceo gaudent; et fibris ſubtiliſſimis, tanquam ductibus et viis lacteis, (vid. *lit. I.*) in utriculi membrana radicantur.

Seminum et granorum eadem eſt forma, quae utriculorum, transverſim et oblique diſſectorum. Sita ſunt inter medullam ſucculentam, ea, qua centro obvertuntur, parte pyramidalia, extremique apicis fibra membranulae ibidem connexa. Interdum tamen in pomis maioribus, quae granis pluribus ſcatent, haec extrorſum verſus peripheriam ſecedunt. Grana aurantiorum ex fulvo nigricantia; citreorum

ex flavo albeſcentia fere deprehenduntur. Microſcopio autem examinata, etiam quoad poros, Citrei mali maioris figuram perfecte repraeſentant.

Denique utriculos ſuccoſos, quorum novem tunc viſebantur, ſingulos curioſius examinavi: et particulas, ex quibus conſtant, medullares numeravi

in primo utriculo	103.
in altero	297.
in tertio	192.
in quarto	260.
in quinto	268.
in ſexto	302.
in ſeptimo	262.
in octavo	214.
in nono	148.
	Summa 2046.

Vtriculorum vero iſtorum partes non omnes aeque feliciter diſſociantur. Quanto illae ſuccoſiores; tanto difficilius inſtitutum peragitur: eae quippe firmius connexae facillime quaſſantur. Pomorum Adami, quae vocant, membranae tenaciores ſunt; neque liquore ita abundant. Eiusmodi fructus eximiae plane magnitudinis, Pomum Adami Citratum dictus, tredecim capſulis ſive utriculis diſtinctus, ſingulas earum gravidas exhibebat, et quidem

primam ſuccoſis particulis	239.
alteram	345.
tertiam	224.
quartam	255.
quintam	244.
ſextam	291.
ſeptimam	278.
octavam	157.
nonam	278.
decimam	304.
undecimam	267.
duodecimam	272.
ultimam	286.
	Summa 3440.

Haec fere ſunt potiora, quae tunc temporis obſervavi. Quae his deſunt, ex diligentiſſimo Naturae myſta, Marcello Malpighio, ſupplere tentabo. Dedit ingenioſiſſimus ille Vir in Idea Anatomes Plantarum brevem mali aurantii et limonii deſcriptionem, eiusque pericarpium elegans eſſe pronunciat, cuius exterior caro concavitates efformat, quae utriculis, velut inteſtinulis caecis, acido ſucco refertis, repletur, quibus contenta ſemina ſtipantur. In ipſa vero Plantarum Anatome ulterius progreditur, et tum foliorum tum fructus generationem et partes, uberius ediſſerit. In malis limoniis et aurantiis, ait, *foliorum* augmentum miro ſuccedit artificio.


B
G
G
C
G
H
I
I
I
D
E
A
Euſſerlicher Proſpect
des Obſervatorÿ auf der
Veſten

L. Glotſch ſc.

artificio. Exteriora gemmae foliola quandoque mitralia aſſurgunt; interdum curvatam promunt quaſi ſtiliformem appendicem ; reliqua vero brevi pollent pediolo, a quo folii inchoamentum elongatur; quae omnia veſiculis oleo refertis aſperguntur, emergentibus pariter pilis; interius vero concavitas quaedam excitatur. Auctius redditum foliolum ſenſim extenditur, magisque turgent oleoſi utriculi: tandem excitata crena inter pediolum et reliquum folii, exteriora verſus curvatur. Potiori accedente incremento vera folii ſpecies advenit; a coſtula enim ligneae fibrae diramantur, cui pediolus propriis ſtipatus appendicibus connectitur. Tractu temporis geminae folii partes, veſiculis refertae, laxantur, ut hiare incipiant, quod idem pediolo contingit; et poſtremo in expanſo folio pediolus cum geminis appendicibus, caducis foliolis analogis, per articulationem elongatae coſtulae continuatur.

Hinc foliorum plurium in ſurculis ſitum et ordinem declarat, ſcribens: In malis limoniis et aurantiis, obtuſis quibusdam eminentiis ſtriatus efficitur tenellus ſurculus; ipſius enim ſegmentum angulare corpus deſignat; fibrarum faſciculi, qui in folia elongari debent, ſenſim e ligneo cylindro eminent ſupra folium, et recta producti, ſuperatis quatuor foliis, tandem in pediculum abſumuntur.

Structuram et formam foliorum mali medicae et limoniae exhibet, et deſcribit, quod in illis minimarum crenarum veſtigia ſuperſint: exterior namque unguis zona quaſi diaphana ambitur, et frequentem patitur inciſuram, cui proxima adſtat perpetuo conſpicua olei veſicula ſeu utriculus; huius conſimiles quamplurimi, folii latitudinem occupant.

Inter utriculos autem et fibroſum rete, in citro, malo aurantia et limonia, non ſecus atque in ficu, copioſiſſima globoſa corpora in areis diſperſa eſſe ait, quae diaphono ſucco turgent: eminent autem parum in exteriore parte folii, et exiguo hiant foramine. Porro foliorum extremum unguem ſive lineam circumductam diaphanam eſſe perhibet, in qua veſiculae interſerantur oleo refertae.

A foliis ad *flores* examinandos tranſit, de quibus: Simplicior, inquit, *calycis* ſpecies occurrit in olea, citro, malo limonia, et aurantia, reliquisque oleoſis. Ab elongato limonii ſurculo fit quaſi radioſa corona, floris exortum ambiens, fibris et utriculis conſtans, quae delapſo etiam flore, fructui haerens perdurat. Stamineos vero loculos, globulorum congerie, quaſi atomorum, turgere, et diverſe configuratos in limoniis luteum ſapere colorem dicit. Ad *ſtilum* quod attinet, eum in malo aurantia, limonia et conſimilibus, occurrere elegantem perhibet, circa cuius exortum, luteum figitur corpus, longiori conſtans tuba, quae hiante capitulo donatur; totus ſtilus turgentibus oleo veſiculis conſpergitur.

De *Seminis* generatione nihil peculiare annotat: in malis enim hiſce non ſecus ac in pomorum reliquo genere decidentibus florum ſtaminibus et foliis ſenſim tumeſcere incipit uterus ſeu ſtilus, adauctò intus colliquamento. Vterum vero hunc ſucceſſive auget natura, et plura circum eum turgere jubet foetus gratia. Varia autem eſt naturae methodus in producendis huiusmodi uteri appendicibus, et integumentis. Vbi calyx humilis eſt, et exiguus uterus, in longum producitur ſtili

elongata

elongata tuba. Id quod apprime experior in citris et malis limoniis, quarum uterina extuberans tuba ſenſim contabeſcere incipit, utriculi autem corticis, turgidiores redditi, pericarpium exterius augent, et circa ſeminum capſulas, veſiculae acido ſucco turgidae emergere incipiunt.

Succedit uteri pericarpium, quo duplici conſtant limonia et aurantia poma: exterior enim caro multiplicibus lignearum fibrarum faſciculis irrigatur, a quibus hinc inde enaſcuntur utriculorum reticulares productiones, peculiarem ſuccum continentes; unde ex horum multiplici congerie tota caro coagmentatur. In exteriori huius ſuperficie ovales veſiculae frequenter locantur, quibus oleoſa materia coërcetur. Caro, exteriorem ambitum conſtituens, interius concamerationem excitat, quae ab oblongis ſacculis, ſucco acido refertis, occupatur; huiusmodi ſacculorum cumulus in tot diſparatis cellulis ſeu uteris continetur, unde appenſa ſemina fovent et ambiunt. Quilibet ſacculus, ſuo pediculo firmatus, a fibroſo faſciculo per carnem diſperſo pendet, et propria membrana utriculorum innumeram ſeriem ambit, qui acido ſucco turgent: horum forma exterius oblonga eſt, interius amplior, angularis varia.

CAPVT

CAPVT XXIIII.

Heſperidum arbores in Italiam et Germaniam primum translatae. Subiunctus eſt Catalogus ſpecierum potiorum, quae in Italia hodie florent.

SVas cuique regioni eſſe divitias, ſuperius jam a me dictum eſt. Hoc autem ipſum, quod nulla tellus omnigena felicitate gaudet, ingenioſos et ſedulos fecit homines, ut primo ſimplici mercium permutatione, deinde poſt pecuniam cuſam pretio rerum numerato mercaturam exercerent. Et ab illo tempore reſpublica felix judicata eſt, in qua illa potiſſimum floreret. Equidem mercaturis rem quaerere, periculoſum eſt: ea autem negotiatio neceſſaria importat; et quae terra noſtra copioſe profert, exportat; adeo ut haec fere ſola hodie ſit, judice prudentiſſimo Galliarum Rege Ludovico XIIIJ, quae regum populorumque etiam hoſtilium animos, amicitiasque conciliet et conſervet, efficiatque, ut reſpublicae rerum omnium abundantia ditatae affluant. Inter cetera autem, ut ad rem deveniam, quae mercatura affert commoda, et illud pono, quod ſub alio climate nata ſemina plantasque transmarinas apportet, earundemque culturam et uſum ſimul edoceat. Hac ratione etiam Heſperides, quae ſedem in calidiſſimis mundi partibus antea fixerant, in tractus noſtros Aquilonares conceſſerunt, adeo quidem feliciter, ut in his aeque nunc adoleſcant atque in illis. Nolo hic multus eſſe in repetenda veterum fabula de tribus Heſperi, quem Iapeti filium et Atlantis fratrem perhibent, filiabus, Aegle, Arethuſa, Heſperthuſa. Hortum earum et mala aurea draco cuſtodiebat, ab Hercule interfectus; qui poma iſta abſtulit et vitrico Euryſtheo donavit. Senſum huius fabulae hiſtoricum noſſe volunt ii, qui Heſperi Mileſii filias oves velleribus nitidiſſimis prope maris ripam paviſſe dicunt: atque has Herculem navi advectum abegiſſe, paſtoremque, cui Draconi nomen fuerit, convitiantem interfeciſſe. Rationem afferunt, quod Graeca vox Μῆλον et pomum et ovem deſignet. Alii virtutem eſſe poma iſta volunt, cuius fructus nemini dantur, niſi vitiorum monſtris prius domitis. Neque de loco, ubi fuerint iſti horti, inter ſe interpretes conſentiunt. Sueonum doctiſſimus Olaus Rudbeckius, in ultimam ſuam Thulen inter hyperboreas nives eos reponit. Rectius omnino Ferrarius in Africa eosdem, arboribus fortaſſe citreis conſitos, et quidem in Tingitana Mauritania ſive in Aethiopia collocat. Nec ita multum illi horti ab Atlante monte, qui minor dicitur, ſejuncti ſunt, ut Heſperides a patre, ſeu patruo prope abſint. Draco vortex eſt, littori proximus, ubi aqua ſerpentis inſtar in gyrum circumvolvitur. Hunc opportunitate uſus Hercules, aeſtu maritimo recedente traiecit, hortosque invadens poma retulit. Hac re cognita Heſperides arborum praeſtantiſſimas ex Atlante et Anchorario montibus ſecum in Mediam aſportaſſe, et

O hinc

hinc concha impoſitas a Nymphis poſt multos errores in Italiam appuliſſe addunt, cum ab Auſtro imbre prius, et a Favonio dulci odore fuerint recreatae. Aeglam natu maximam Salodianum agrum amoeniſſimum prope Benacum tenuiſſe: Arethuſam, quae cum dicta ſorore Citrearum amore capiebatur, ad maris Liguſtici oras fertiliſſimas conſediſſe; Heſperthuſam vero colendis aurantiis unice delectatam in Terram Brutiam et Campaniam felicem conceſſiſſe.

Sentiat de his quisque, quid voluerit, modo veritati et hiſtoriae fabulam concrètam intelligat. Illud indubium eſſe videtur, Citreas ante hos mille et ducentos circiter annos ex Media et Perſia in Italiam a Palladio translatas primumque ſatas eſſe. Haec illas Hiſpaniae et Luſitaniae, itemque, ſed ſerius, Germaniae tam ſuperiori quam inferiori miſit. Et quidem in agro noſtro vix per annos centum floruerunt. Species quoque nobis tam aurantiarum quam citrearum tum pauciſſimae innotuerunt; uti apud excellentiſſimum quondam Helvetiae Botanicum, Caſparum Bauhinum, videre eſt. Sedula vero cura atque cultura et in Hiſpania et in Italia plures produxit: ut taceam, novas ſubinde ab uſtis ſole perpetuo oris ad nos advehi. Auguſtinus Mandirola in Manuali Hortenſi tres et octuaginta, Ferrarius in Heſperidibus novem et ſeptuaginta numerant. Et Ioannes Commelinus, harum rerum peritia nulli ſecundus, in Heſperidibus ſuis Belgicis duodeviginti fructus delineavit; eorum vero longe plures accuratiſſime deſcripſit. Nemini itaque mirum videbitur, ſi opinione plura malorum genera meo in opuſculo invenerit: ea tantum incidenda curavi, quae vel in meo vel in amicorum viridariis nata, aut aliunde ad me transmiſſa ipſe delineare potui: reliqua, quorum longe plura novi, et a prima huius libri editione avide exſpectata jam, poſtquam arbores flores et fructum protulerunt, ipſe alo atque poſſideo, perito Heſperidum aeſtimatori, ſi DEVS vitam viresque conceſſerit, in Continuatione propediem edenda exhibiturus. Interim omnium generum, quotquot hoc tempore Italia et Benacus praecipue felix colit, Catalogum adſcribam, quem repetitis precibus vix tandem obtinui. Varia a variis nomina rebus indita eſſe, inde didici, nec ipſis Colonis et Benaci accolis in iis denominandis convenit. Subit memoriam eius, quod ſcribit Renatus Rapinus de Diſciplina Vniverſa Hortenſis Culturae cap. XV. Vt autem fructuum ſpecies ſunt numeroſiſſimae: nam, ut monet Plinius, vix ſpecie figurave, non modo ſaporibus, ſuccisque toties permiſtis atque inſitis, enumerari queunt: nihil certum conſtitui poteſt de appellationibus ſingulorum, quae pro diverſo populorum ingenio quam diverſiſſimae ſunt. Pomis tamen, quae inferius inciſa addidi, quanta potuit fieri circumſpectione nomina indidi, in loco nativo uſitata; in gratiam eorum, qui unam alteramve ſibi ſpeciem inde mitti volunt; quamvis ne ſic quidem error ſatis caveri poterit: crebro enim una alteri ſubſtituitur. Benaci accolae, Magnates praecipue, id unice agunt, ut plurium fructuum rariorum proventu abundent, luxuriantisque naturae divitias arte multiplicent, inde aliquas ſubinde ſpecies Roma advehendas curant. Qua in re Teutones mei illos fere imitantur. Gratiam itaque iniero, Catalogum ſubjiciens; ex quo auri hortenſis copia dignoſcatur.

CATALO-

CATALOGVS.

CEdro ordinario.
Cedro da Garda piccolo.
Cedro di fior doppio.
Cedro gropoloſo ordinario.
Cedro di fior e ſugo doppio.
Cedro grande Bondolotto liſcio.
Cedro della gianda fà una roſa al pegolo.
Cedro a Dittela.
Cedro di Fiorenza odorato.
Cedro col' pigolo.
Cedro del Sugo mandolato.
Cedrato di Spagna.

Limea di Valenza.
Limea di Gallitia.
Limea limonata.
Limea aranzata.
Lima di Spagna dolce.
Lima di Spagna garbo.
Lima Cedrata.

Spada fora frutto come una Zuchetta.
Spada fora grande.
Spada fora picola.

Limon ordinario garbo.
Limon Savona dolce.
Limoni Çedrati.
Limon Cedrato ò Cedrilia di Spagna, overo Limon della Coſta.
Limon Cedrato Barberino.
Limon Zuchetta Imperiale.
Limon Zuchetta.
Limoni de Sugo pretioſi di Madona.
Limon de Genoua garbo.
Limoni rigati garbi a coſta.
Limoni della grand' ſorte di mezo ſapore.
Limon ſpongino di Spagna.
Limon dolce ordinario.
Limon dolce di Portugal.
Limon madona Laura gentile.
Limon della Canea ſenza ſeme.
Limon Bergamotto della grand' ſorte.
Limon Bergamotto con foglia rizza.
Limon Bergamotto di foglia liſcia.
Limon Mela roſa odorato.
Limon Pero Cedrato.
Limon Pero incanellato.
Limon Perſonzin Cedrato.
Limon Perſonzin gientile.
Limon melangolo aranzato.
Limon Zucherino.
Limon Zucherin col' Pigolo.
Limon di fior doppio.
Limon detto Pomo del Paradiſo.
Limon gaza appetito, ſenza ſeme.
Limon Ponzin di Spagna picolo.
Limon detta Popa di ſanta Mama.

Limon Agoſtarol dolce.
Limon detto il Paladino della grand' ſorte.
Limon di Calabria.
Limon da Valenza.
Limon non ha pari.
Limon Barbadoro.
Limon detto la Pipona di francia.
Limon Salerno.
Limon della Cornagiana grande è picolo.
Limon di Roma.
Limon ſtraparente.


Pomo d' Adamo.

Aranzo ordinario garbo.
Aranzo di mezo ſapore.
Aranzo dolce.
Aranzo da Portugal dolce.
Aranzo della grand ſorte Cedrato.
Aranzo de Genoua garbo.
Aranzo Hermaphrodito.
Aranzo di Candia di foglia riza.
Aranzo di Candia di foglia liſcia.
Aranzo Melon rizzo.
Aranzo della Canea rizzo.
Aranzo di fior doppio.
Aranzo di fior e ſcorza doppia.
Aranzo da China nanino garbo.
Aranzo nanino di frutto dolce.
Aranzo detto Pomin di Dama.
Aranzo rigato, detto Turcho di foglia ſtretta.
Aranzo rigato di foglia larga.
Aranzo monſtroſo a Dittela o della ſtella.
Aranzo incanellato o melonato.
Aranzo Teſta di Drago.
Aranzo Gigante.
Aranzo della roſa.
Aranzo bianco dal ſegno.
Bizaria, cioe, Aranzo Cedro e Limon in un frutto.

FINIS LIBRI I.

HESPE-

ÆGLE.



P. Decker fecit.

HESPERIDVM NORIMBERGENSIVM LIBER SECVNDVS, AEGLE.

* * * *
* *

CAPVT I.

De Malis Citreis univerſim.

AEgle, quae inter ſorores natu maxima, cum horti ſui cultiſſimi valvas aperiret, in admirationem et ſtuporem me totum rapiebat. Hinc omnis terrae tractus, quo nil jucundius, invitabat curioſum ſpectatorem; illinc placebant loci arboribus, lauru praecipue et malo Punica, varie conſiti, quorum

- muros alii late digeſta per omnes
componunt virgulta, ſuis retinenda catenis:
quae ceu per tonſas alii, longo ordine, ſepes,
conſertis in ſe ramis, diſtendere norunt.

Et lauri quidem folia virentia odorem fragrantiſſimum ſuaveque olentem longe ſpargebant: balauſtia autem et cytini, horumque plenorum color dilute coccineus, gratiſſimum oculis ſpectaculum praebebant. Fines viridarii huius, in quod Gratias Veneresque omnes conveniſſe diceres, claudebat lacus, argentea aqua piſcibusque ludentibus decoratus. Hae quippe plantae illa potiſſimum loca, qualia circa lacum Benacum et litora Genuenſium Liguſtica, amant, in quibus aër humidus urentesque ſolis radii variant; unde pulcherrima ibidem plantaria, et Heſperidum domicilia frequentiſſima, conſpiciuntur. Pone hortos hoſce colles ſunt, olearum fertiliſſimi, validiſſimum contra Boream ventosque Euri nocentes praeſidium. In interiores viridarii receſſus admiſſi, in porticibus delicatiſſimi citrearum fructus palatarum magno numero pendebant, rotundi, oblongi, immaturi, maiores, pumili; iidemque non unius generis, ſed varii; quibus frequentius flores candidiſſimi et purpurei intermixti.

Aegles ea erga nos erat humanitas, ut minime celaret, eam harum arbuſcularum eſſe naturam, ut nunquam erectae aut procerae altius caput alias inter arbores extollant; ſed libentius palis tignisque coniunctis ſuffultae creſcant. Imo adeo debiles fragilesque eſſe ſignificabat, ut haud raro frugibus maioribus gravidae vinculis adſtringi pedamento debeant, ne ramis diffractis mutilentur. Hinc vix ac ne vix quidem in formoſae arboris ſpeciem adoleſcunt; ſed humi ſemper adrepunt: et pumilae, quae terram verſus proniores, flores fere copioſiores, pomaque magis delicata ferunt. Eſt quoque e re, ſi paullo profundius radices ſub terram defodiantur. Circa Citream eiusmodi arborem, ſtipite nonnihil ex terra exſtantem, murum veluti ligneum in quadrum diſpoſui, eumque terra optima totum replevi: quo facto non laetius modo virebat illa; ſed et flores fructusque poſthac uberiores reddebat.

Cum praeter ceteras ſucco turgidae ſint citreae, etiam in hibernaculi loco calidiore ſtatui volunt. Et quo magis aeſtuoſo Phoebi jubare foventur; eo laetius celeriusque parturiunt non tantum, ſed et ramos eo proceriores emittunt. Petrus a Valle teſtatur, Valentiae Hiſpaniae, urbe maritima, hortum ſe elegantiſſimum luſtraſſe, cuius ſepes conſertis in ſe citrearum ramis fuerint ornatae: praeterea ex earundem arborum ramis artificioſe formatae diaetae et trichilae:

In medioque DEI ſtat vivis fulta columnis
et teſtudineis aedes topiaria ramis,
cui circum paries et frondeſcentia tecta
omnigenis diſtincta nitent pulcherrima pomis;
eſſe putes variis Anaglypta extantia formis.

In hac aede, hominum ſacrorum ac profanorum ſubſelliis diſtincta, altaria quoque ſunt et cetera ornamenta. Exteris admirationem eo adventantibus movebat hoc ſpectaculum, ignorantibus, hanc ſub caelo aeſtuante fruticem tantae proceritatis ramos flexiles habere, ut in formas illi varias inflecti, mutari ac conſtrui apti ſint et idonei.

Citrearum coloniam ante hos mille circiter et ducentos annos ex Mauritaniae regno in Neapolitani ſolum fertiliſſimum a Palladio eſſe deductam; easdemque inde in Italiam, hinc in noſtras denique oras migraſſe, ſub finem libri prioris dictum eſt. Minoris vero illae apud nos fieri ſolent quam aurantiae limoniaeque, eo quod rara ex illis apud nos poma dependeant: quae certe parca admodum ſunt, ſi arbuſculae in diotis maioribus ſerventur, et illa quidem minus plena, nec perfectionem ſatis aſſecuta. In ipſo autem pomarii ſolo locatae elegantius florent, et cuilibet agrumorum ſtipiti recte utiliterque inſeruntur. Neque tamen ab omnibus promiſcue laudatur citrearum limoniarumque in aurantias inſertio, quod diverſae naturae ligna, harum praedurum, et illarum tenellum, in una arbore coniuncta, aetatem haud diu ferant, et perpetuitati obſint. Saepius itaque gemmas citrearum praeteneris aurantiarum arbuſculis ſilveſtribus maritatas arboreſcere videmus, et in truncum craſſiorem enaſci, quam ipſa mater, quae illam ſuſtinet. Interdum circa utriusque commiſſuram nodi et ſuffragines arbuſculam deturpant: deturpant, inquam: ipſa enim citrea malus nihilo deterior eſt. Longe felicius citreae cum citreis, tam agreſtibus quam limoniis dulci medulla ſativis, itemque cum pomorum Adami ſtirpibus coëunt, laetiusque adoleſcunt: quamvis ne ſic quidem ſine multo labore curaque

raque indefeſſa primis praecipue annis, dum invaleſcant, colantur. Taceo difficiles laborum curas, quibus citrearum, antequam in Heſperidum pomariis excitari aedificia tectisque communiri coepta ſunt,in vaſis plantatarum,et in ipſo hibernaculo ligneo undique muro claudendarum ſedulum cultorem cultura fatigavit. Vulgaria vero tam aurantiarum quam limoniarum genera in Italia et regno Neapolitano ſub dio etiam poſt brumam pernoctantia perennant.

Ceterum hoc loco commode dicendum, quibus citreae limoniaeque arbores notis dignoſcantur, antequam frugum illae proventum nobis dederunt ? Dictu equidem hoc difficillimum eſt, iis praecipue, qui accuratam uſu notitiam diuturno nondum ſunt conſecuti. Pro diverſis enim generibus, foliis arbuſculae variis ſunt veſtitae, ita ut citreae cum limoniis et hae cum illis facillime permutentur. Si igitur a me certam aliquis notam rogaret, non aliud indicium firmius aut ſecurius poſt longam experientiam comperi, quam hoc: Simulatque flores decidunt, et prima pomorum rudimenta comparent; haec probe diſpiciantur oportet, num macra et oblonga ſint et velut cylindracea ? item annon ſtili, qui fructui inhaeret brevi deciduus, eadem paene forma, eademque craſſities, quae pomi rudimentorum ? niſi quod illius pars anterior paullo contractior. Haec ubi fuerint (*vid. lit. a.*) obſervata, ex citrearum genere eſſe arbuſculas pro certo habendum. Addo et illud, citreas poſt ſtili excuſſionem marceſcentis etiamnum oblongas videri, usque dum maius augmentum, et ſimul decentem pomi formam capiant. Limoniae autem cuiuscunque generis, tam acri quam dulci medulla, vulgares et citratae, rudimenta pomorum monſtrant nonnihil diverſa. Primo enim haec rotunda magis ſunt; deinde, ubi ſtilus et pomum juncta cohaerent, commiſſura apertior eſt, quae in citreis cum piſtillo concretis, eo quod aequali craſſitie porrigantur, fere nulla eſt. Denique et ſtilus iſte piſtilli formam habens multo exilior eſt et gracilentus. *Vid. lit. b.* His notis perſpectis, tuto ſatis de citrearum limoniarumque genere pronuntiare poterimus.



CAPVT

CAPVT II.

Citri Vtilitas.

Non immerito citri poma *fructuum reginae* elogio mactat Auguſtinus Gallus in libro diurno, ſive elegantiam et magnitudinem, ſive utilitatem ſpectes. Nulla quippe arboris huius fere pars eſt, quae non ſingulares multiplicesque uſus praeſtet. Haec utut ſint, rudis tamen antiquitas ad oculorum et narium delicias eadem duntaxat in aedibus exponebat: condebatque veſtiariis ad necandas odore tineas; ac, tanquam ingentis pretii res, in arcarum theſauris aſſervabat: neutiquam vero inter eſculenta habebat. Antonius Tanara in Oeconomia ſua, et Ferrarius in Heſperidibus ex Athenaeo narrant, ut horum pomorum vis contra venena efficax Athenaei aetate in Aegypto fuerit comperta. Sumtum citreum, refert hic apud Ferrarium, ante cibum quemlibet, ſive is humidus ſit ſive ſiccus, venenis omnibus reſiſtere ex cive meo didici, cui fuerat Aegypti adminiſtratio demandata. Quosdam hic facinoroſos homines Alexandrino more ad ſerpentum morſus damnaverat. Illis ad locum ſicariorum ſupplicio deſtinatum procedentibus muliercula quaedam,cauponis uxor in ipſa via,quod in manibus forte habebat admordebatque malum citreum, miſerata porrexit. Pomo illi commanducato, ingentibus ac ſaeviſſimis anguibus obiecti, citra noxam venenatos morſus excepere. Attonitus rei novitate judex, ab eo, qui cuſtodiebat, milite quaeſivit, numquid antidoti bibiſſent rei aut comeſſent? Vbi denique reſcivit, absque dolo malo citreum illis fuiſſe datum, juſſit poſtridie alteri tantum dari: deinde utrumque anguibus objici. Ex quo factum eſt, ut citreo paſtus ſoſpes evaſerit; alter illico expirarit. Exinde crebra experimenta fidem fecere certiſſimam, venenis citreum omnibus adverſari. Sed pace Athenaei dixerim, jam ante eius aetatem, quae in M. Antonini Principatum incidit, uſum citri contra venena cognitum fuiſſe. Celebrat eum Maro, altero ſaeculo antiquior Athenaeo, in doctiſſimo Georgicorum opere:

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
felicis mali, quo non praeſentius ullum
(pocula ſi quando ſaevae infecere novercae,
miſcueruntque herbas, et non innoxia verba,)
auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro:
et, ſi non alium late jactaret odorem,
laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
flos apprima tenax; animas et olentia Medi
ora fovent illo, et ſenibus medicantur anhelis.

At ſi bene Athenaei locum perpendo, is pomum hoc in cibo antea non fuiſſe nec manducatum, ex Theophraſto refert: pro medicamine non fuiſſe uſurpatum, nuſpiam affirmat. Atque medica horum efficacia in Media et Perſia, cui olim peculiares hae plantae fuerunt, tanquam in ſolo nativo longe praeſtantior eſt: ſapore quoque grato, dulci ac jucundo reliqua huius generis poma, in Hiſpania,Italia aliisve Europae plagis nata,antecellunt. Ipſa quin etiam grana ſive ſemina,Ferrario atteſtante, inter

inter medicamina cordialia numerantur ; et velut antidotum Bezoardico lapide non inferius commendantur.

Inſervit praeterea malum citrium valetudini tuendae , voluptati item et cibis condiendis, in partes nunc plures nunc pauciores , itemque in tenuiſſima interdum eaque orbicularia ſegmenta diſſectum, et aqua ſalina, melle vel ſaccharo maceratum. Crebrius concreſcente ſaccharo delicate conditur, et a pharmacopolis,tanquam cordiacum condituris variis , electuariis, quae vocant, morſulis, trageis aliisque remediis, capiti ſtomachoque roborando conducibilibus additur. Dulciarii vero ex eodem minutatim confecto, et cum ſaccharo, amygdalis , nucibus pineis, piſtaciis, et aromatibus compoſito, condituras et paſtas regias ad laetificandum cor conficiunt. Ad voluptatem, ut alia taceam, in Italia inde parant aquam citriam, quam ubi ſolem bis ſentiunt, emulſionibus et amygdalatis admiſcent, horumque potuum glacie refrigeratorum multos cados divendunt. Norunt praeterea medicatiſſimam citrinam compoſitionem ſive quintam eſſentiam, Eſſentiam di Cedro, elaborare, cuius guttula unica, vel altera ad ſummum, vini choenicem odore imbuit et ſapore jucundiſſimo, ut eum ſuaviſſime redoleat. Hunc ſi perficere voluerint, ſacchari additamento edulcorant, et dulcedine inimitabili perfundunt.

Citrearum flores non equidem, uti illi aurantiarum,fragrantiſſimi ſunt ; magnitudine tamen eos excedunt, et in Italia non ſecus atque poma, aqua ſalina, melle et ſaccharo macerati inter medicamenta roborantia reconduntur. Denique et ex foliis citrinis inſignis in genus humanum utilitas redundat. Surculos aliquando nimios vere novo in pomario a frigoris inclementia adhuc tecta emittebat malus citria; quo fiebat, ut florum, quorum videndorum deſiderio flagrabam, nullus eſſet proventus. Hos ut elicerem, ſurculos iſtos defringebam ; odorem vero cum ſpirarent non inelegantem , minutatim conciſos conjiciebam in vitreum globoſi corporis vas, ſive cucurbitam, cui roſtratum aliud, alembicum vocant, impoſitum, tentaturus, an ſuaveolentem in aquam extrahere poſſem? Et ſtillabat ſatis copioſa. Ea tamen melior erat et anhelitum reddebat ſuaviorem aqua, quae ex foliis citreis, quibus cruda Bergamotta citrata, in multas partes ſecta, adiecta erant , educebatur. P. Ferrarius , cuius crebra hactenus mentio facta eſt, ſuccum ex foliis hiſce expreſſum balſamicum eſſe contendit, et vulneribus liniendis ſanandisque conducibilem.

Multus denique citrorum uſus eſt in re coquinaria : juſcula quippe delicatiora illis temperantur, quae in urogallos, pavones et ferinam facienda. Nec minus palato gratiſſima inde paratur *claudere quae coenas lactuca ſolebat avorum.* Embammata quoque citrina, aegrotis ſalutaris cibus , non ignota ſunt iis, qui Artem Coquinariam Norimbergenſem viderunt, ubi hanc in rem plura legi poterunt.

Paucis utilitatem Citri perſtrinxi : longe plura dicere potuiſſem , ſi falcem in alienam meſſem mittere placuiſſet. Praeter ceteros autem uſum Citri commendavit ſaepius laudatus, neque unquam ſatis laudandus, Io. Baptiſta Ferrarius, Senenſis in Heſperidibus ſive de Malorum Aureorum Cultura et Vſu Lib. II. capp. XX. et XXI. itemque excellentiſſimus, Georgius Francus, Archiater Danicus, et Academiae S.R.I. Nat. Curioſ. Collega, in eruditiſſima Diſſertatione , quam huius ſub praeſidio inauguralem de Malo Citreo habuit Dan. Nebelius , Heidelbergae 1686.

DESCRIPTIO
MALORVM CITREORVM MAIORVM,
quorum nobis Italia copiam fecit.

* * *


CAPVT III.

MALA CITREA VVLGARIA,
et ſpeciatim
Malum Citreum maximum Salodianum.
Ital.
Cedro groſſo Bondolotto.

SAtis multa, ut opinor, neque fortaſſe Lectori Benevolo injucunda, neque cognitu indigna hactenus de Citro, eiusque tum cultura, tum natura et indole, at pro inſtituti ratione breviter commentatus ſum. Nunc rerum ordo poſtulat, ut ſingula horum malorum genera, quae videlicet vel aliunde ad me allata vel meo in Viridario nata, alta et educata ſunt, pro virili parte accuratius deſcribam. Quo autem hunc laborem mihi levem, et Lectori quoque una conſulerem, omnia ad vivum delineata aerique eleganter inciſa adiungere placuit. P. Ferrarius in Heſperidibus ſuis p. 57. ex quorundam opinione triplex malum citreum vulgare aſſeri ſcribit, Salodianum, Genuenſe, vulgare parvum,bonitate primum. Quibus tamen laudatiſſimus Pater non aſſentitur. Per nos cuilibet liberum eſto judicium; ſentiat quisque, quicquid libuerit. Ego vero de Salodiano hic primo loco dicam.

Citrum Salodianum, ſive Cedro groſſo Bondolotto, a lacu Benaci, anno 1706. transmiſſum eſt pondo Noricorum quinque,ea magnitudine, quam addita figura exacte refert. Ex omnibus malis citreis maximum hoc eſt genus, quod in Italia decem pluresque libras noſtrates pendit: forma oblonga quidem; in medio tumida; in aliis tamen rotundior. Cutis non adeo aſpera, ſed verrucoſa et in longitudinem ſtriata, uti Ferrarius loquitur p. 58. Caro inter cutem et medullam craſſa admodum, leniter acris, jucunde veſca, quippe guſtu gratiſſimo,moſchi aemulo. Itali cum carne aſſata hoc citreum in praetenues orbes diſſectum apponunt frequentiſſime. Inſuper noto, citrea inaequalitate hibrida a Benaci accolis *amygdalina*, *Cedro mandolati*, ab aliis *nodoſa* vel *ſtrumoſa*, *Cedri Groppoloni* vocari, quam denominationem apte convenire judico.

CAPVT


Pag. 114.
Cedro groſso Bondolotto.
NÜRNBERG.
Goſtenhoff

CAPVT IIII.

Malum Citreum Genuenſium vulgare.

Ital.

Cedro Genoueſe ordinario.

SPectandum exhibet hoc genus inter mala citrea vulgaria Ferrarius p. 61. magni quoque incrementi. Quod hic vides, Benevole Lector, Roma anno 1706. huc transmiſſum eſt. Haec mala quadantenus acuminata ſunt,adeoque magis oblonga, quam quae modo deſcripſi. Figura quidem non omnibus eadem eſt: hinc alia contractiora, alia tumidiora: hinc quoque minora alia, alia maiora. Cortex languide flavus erat, denſus et verrucoſus; dulcis quidem, ſed guſtu priori poſtponendum. Medulla aderat minus copioſa, eademque modice et jucunde acris.

Tertium Malorum citreorum genus, parvum videlicet, capite X. inter Citrea domi meae nata referam.


CAPVT V.


Malum Citreum Digitatum ſeu Multiforme.

Ital.


Cedro á Ditela.

NOmen hoc a P. Ferrario habet, qui. p. 75. exacte deſcribit; quia videlicet ſaepius pomum digitatam expanditur in manum. Habemus vero ex limoniorum genere non abſimilia. Ceterum vultu vario proveniunt, nec ullo ludit in pomo natura licentius: adeoque varias mire docile fingit in formas, ut hac in arbore natura eadem non artem pomariam, ſed figlinam exercere videatur. Videbis hic eorum bina genera,ante aliquot annos ad Benacum nata; quorum alterum cucumeri ſimillimum eſt, et rectius fortaſſe Citreum ſtriatum, Cedro incanellato, audiret, eo quod non verrucae tantum in cute eminent, ſed et ſulci veluti oblongi in eadem depreſſi apparent. Alterum quidem genus in prioris faciem non eſt conformatum: guſtu tamen, utpote quae eadem matre nutritur, proxime cum eo convenit; guſtatum grato palatum ſapore afficit: neque inamoenum odorem profert, agri Florentini citreo non abhorrens. Medulla ei fere nulla, ſed pertenue tantum illius veſtigium; eiusque ſubacidae. Arbor folio gaudet longiore et in cuſpidem coëunte: aculeis vero brevioribus, quam quas proxime deſcripſi, exaſperatur.


Cedro ordinario.
Die vorſtatt Goſtenhoff.


Cedro à Ditela ò multiforme.


Die Vorſtatt Wehrt.



C. Steinberger fecit.

CAPVT VI.


Malum Citreum flore pleno et fructu prolifero.


Ital.

Cedro di fior e ſugo doppio.

MAlum hoc, quod Benaco adiacens ager anno 1699. peperit, a P. Ferrario p. 263. *Limon citratus alium includens* ſalutatur; quales etiam p. 271. curioſis ſpectatorum oculis viſendos ſubjicit. Limonum itaque numero intulit, quod Benaci agri coloni citreorum generi accenſent; in quorum judicio et denominatione merito acquieſco.

Fructus hic ſphaerae forma pollebat, ſuperne hiatu multiplici pateſcens: in hiatu illo foetus in utero veluti latitantes nonnihil in conſpectum ſe dabant. Is a ſummo ad imum diſſectus in utraque parte tres foetus incluſos veluti fraterculos fovebat, qua verſus pomi medium vergebant, paulatim gracileſcentes et mucronatos. Carnoſae parti quidem adnati ſunt, ut tamen facillime avelli poſſint: aurea itidem cute tecti. Idem medius diſſectus, ea forma apparet, quam altera ſubiecta figura oſtendit; quaſi minutorum hic limonum congeſta pullities eſſet: media jucundae acrimoniae medulla eſt, adeoque mandenti non ingrata; odoratum vero ſuaviſſimum vibrat. Flore promittitur grandiore et multiplici, unde et pomum multiplex concipi conjectando aſſequor. Neque tamen dubito, quin et in hac arbore flores nonnunquam, uti in aliis, degenerent et ſimplices prodeant; unde nec omnia, quae felix haec arbos parturit, mala intus nova foetura gravida eſſe exiſtimo.


Cedro di fiore è Sugo doppio
Auf der Schütt.



Gleißhamer. I. Decker fec.

MALORVM CITREORVM,

quae noſtra alit terra, recenſio.

* * *

CAPVT VII.

Malum Citreum maximum Salodianum.

Ital.

Cedro groſſo Bondolotto.

NOminis, quo agri fertiliſſimo Benaci halitu fecundati incolae, hoc pomum condecorant, nominis, inquam, rationem jam ſuperius capite III. dedimus. Annus ſeptimus et nonageſimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum tria mihi huius generis mala tulit, meo in viridario progenita; unde de illis ſequentia porro annotare libuit: Lenta haec arbor, quae et reliquarum citrearum indoles eſt, inter alias nunquam caput extollit, ſed ſemper humi affixa, virgulti inſtar, et ad parietes alligata ad oculorum delicias accurate educatur. Folia ſpiſſiora ſunt, longiora, ambitu ferrato, praelongis munita ſpinis et aculeis quamplurimis; calore manuum modico provocata halitum emittunt ſuaviſſimum. Flos botri fere forma dependens, vel, uti Ferrarius loquitur, confertim ſummis ramulis velut odorarium in faſciculum frequenter cohaerens, ſerotinus eſt: media enim aeſtate demum erumpit, in ſerum usque auctumnum, imo hiemem, exſtans et ſimul gemmaſcens. Nec dubium eſt, quin flore perpetuo fecunda foret haec arbos, ſi in campo patenti Phoebus eam diutius adſpiceret, nec huius vultui hiberno intra hibernaculum revocata ſubtraheretur. Exterius hi flores interfuſi rubore ſunt, ceterum candidi, in duos circiter digitos repandi; partim frugiferi, extante inter crocos longulo infantis pomi rudimento, piſtilli effigie: partim citra hoc indicium infecundi.

Foetura huius mali demum prodit,

> \- - - - *cum Sirius horis*
> *per lucem exiguis, hominum tunc imminet ardens*
> *verticibus, verum ſeſe plus nocte fatigat.*

Ea tenera admodum eſt et gracilis, colore fuſco; quem neque poſt brumam mutat. Vere autem novo incrementa capit ob ponderis vim terram prona, et fuſcus ille in viridem migrat. Vbi dein poſt alteram brumam, quando Chriſti Nativitatis memoriam recolimus ac publice celebramus, maturuit, cute ex flavo albicante et

tenera

tenera veſtitur: caro vero craſſiuſcula eſt, medulla vix altera pomi parte humet. Et caro quidem ſuavior multiplici uſui ſervit, atque ſaccharo macerata frequentiſſime conditur.

Maximo citreorum generi hoc recte annumerabis, cum Italia ſuis in hortis decerpta oſtentet, quorum ſubinde decem aut quindecim librarum pondus eſt, teſte P. Ferrario. Qui ſpectandus tibi hic ſe offert mei viridarii alumnus, ad binas libras pendebat. Ab eo autem tempore, quo foetum hunc dedit arbor, ſemper quidem parturit; at nunquam felici me partu beat, quippe quae abortum usque facit: quotannis enim florum frugumque meſſis, ſed corda, in herba eſt, quod dicitur. Quod vero nivoſae hiemis vim non ſuperet pomorum ſpes, a ſera florum protruſione eſſe conjicio, cum fruges eorum pertenerae ardentis Sirii ardore foveri ac durari ament. Vnde hoc defluvium non alia ratione caveri poſſe judico, quam ut partim flores arte maturius provocemus, partim ipſam arborem contra frigus ſolicite muniamus, et in illo plantarii loco ſtatuamus, ubi multus ſolis benigne foventis calor eſt, et aeſtus fervidiſſimus. Hinc etiam mali citreae aurum hoc in terrarum tractu rariſſime colligitur.

CAPVT



1. Gibezenhoff. 2. Sandreuth. 3. da brante der Wald.



Der Schüzplaz zu Werth und der Kirch hoff.

CAPVT VIII.

Malum Citreum coniferum.

Ital.

Cedro col Pigolo.

IVdaici nomine haud incommode hoc malum inſigniretur, cum omnis Iudaeorum poſteritas ſeptembribus Tabernaculorum feriis illud adhibeat; quare ad eam Liguriae oram, cui nomen eſt ab oppido Sancti Romuli, quem vulgo Sanctum Remum transnominant , Auguſto menſe ineunte confluunt ex Polonia, Germania Mantuaque mercatores Iudaei complures, in eum uſum mala citrea ramosque palmarum in tempore coëmturi. Inducti verbis Legislatoris ſui Moſis Levit. XXIII. verſ. 40. id faciunt, ubi primo die fructus arboris pulcherrimae, palmarum ſpadices et myrti ramos ſalicumque fluvialium ſumere, et apud Iovam Deum per ſeptem dies laetitiam agere jubentur. Arboris ſiquidem pulcherrimae fructum , quem Ioſepho auctore fortaſſe rectius perſeam interpretabimur, ipſi citreum eſſe contendunt. Vid. Ligthfoot in Miniſterio Templi Hieroſolymitani cap. XV. Citri vero ramos cum foliis et fruge quum alieno hoc feriarum tempore obtinere nequeant, et ſinguli tamen eiusmodi pomum manu praeferentes Synagogam adire debeant; publica magiſtrorum Iudaeorum, quos Rabbinos vocant, auctoritate ſancitum eſt, (uti eſt apud Buxtorfium Synag. Iudaic. Cap. XXI. p. 454,) ut univerſae concionis nomine unicum, integritate ac laevore conſpicuum, ſedulo coëmatur, quod omnium deinde uſibus ſufficiat. Nulla hoc macula nullave labe contaminatum ſit oportet; quod ſuo adhuc pedunculo haereat, et ſtilum, quo veluti piſtillo eſt munitum, praetendat. Ab Iudaeis communiter *Eſſerich* audit ; vulgus Paradiſi pomum vocat, ſibi perſuadens , citrum eſſe arborem illam percelebrem, cuius formoſa poma ne comederet, fuerit Adamo divinitus interdictum.

In modicam haec arbor altitudinem excreſcit: folia habet minora, ſerrata, longiuſcula, in acumen excurrentia, et ſpinis denſe referta. Flores fundit exiguae magnitudinis, parte foliorum externa paululum rubente. Pomorum quoque primordia tenuia ſunt, bruna et viridia profunde ſaturata. Adoleſcentia excelſe virent, tandemque matura aureo colore, ſed dilutiore, excellunt: ſemper tamen a vulgato citriorum genere, quod ad magnitudinem attinet, multum ſuperantur; cum haec nunquam maiora evadant. Quod caelatum hic ſpectas, mei quondam viridarii decus erat; ſuperne illud coarctatur, et in acumen excurrit, cui ſtilus, ſive obtuſa quaedam eminentia, nunquam non praetenditur. Odore non minus ſuavi commendatur, quam malum citreum Florentinum; de quo mox dicendi locus erit. Medulla interior modica eſt, ſubacida et amariuſcula.

Hoc malorum genus, ſi experientia, fida alias rerum magiſtra, ſtandum, laetius in diotis hoſpitatur, quam ſolo exceptum: ſemper enim pumila et depreſſior manſit arbuſcula mea; neque unquam ſurculorum quotannis enaſcentium proceritate luxuriavit.


Cedro
col· Pigolo
DAS HOCHGRÆFL
POLHEIMISCHE SCHLOS
ODERNBURG GENANT

CAPVT VIIII.

Malum Citreum Florentinum.

Ital.

Cedro di Fiorenza.

MAlum Citreum Florentinum, quod Italis quibusdam jure merito Cedrato di Fiorenza audit, P. Ferrarius p. 263. Limonum claſſi inſerit, eique nomen dat Limonis Citrati. At Auguſtinus Gallus rectius citreis annumerat, ea motus ratione, quod omnibus citreis hoc ſuavitate potius eſt et anteit. Huic ego ſubſcribere vel ideo non dubitavi, quod foetus, fecundo florum partu excluſi, a figura citreorum plane non abludant, quippe qui teneri ſunt et porrectiores, ac praeterea capitulum, in ſtili figuram formatum, erigunt. Veſtitur alias haec arbor foliis ſerrae inſtar inciſis, iisque minutulis ac tenuibus, ſpinis quoque brevibus armatur; ſed his tamen paulo longioribus, quam in malo proxime deſcripta, Cedro col pigolo, acuuntur. Flores, florumque gemmae longae potius quam craſſae non racematim, uti in aliis quibusdam citreis, ſed binae aut ternae in ſingulis ramis exiſtunt, colore excelſe purpureo. Ipſius vero floris gemma disrupta enati foliola, quae arctiora eſſe ſolent, intus candidiſſime fulgent. Tenellus item foetus ovuli minus craſſi et rubicundi forma conſpicitur; usque dum cum incremento verno rubedinem cum viriditate commutet; et hac, cum maturuerint, amiſſa, denique dilute flaveſcat, ſuaviſſimo citrei odore laudatiſſimus. Medulla praeter cetera uberiore turgeſcunt haec poma, quae, cum ſit acidula, gratiſſimo nihilominus ſapore jucunda eſt.

Hoc mali citrei Florentini genus arte quoque multiplicatur; atque inde enatum eſſe ſuſpicor illam citrei ſpeciem, quae citro flore et fructu multiplici, Cedro di fior è ſugo doppio, non abſimilis flore pleno conſpicua eſt, et novum in utero foetum concludit. Huic pomo perquam ſimilia in Bizzariorum ita dictorum genere numerantur; utpote quae arbuſculae fructibus itidem divites ſunt, tum forma et figura, tum odore per omnia huic convenientiſſima.

Roma eximiae praeſtantiae eſſentiam ex citreo hoc Florentino parat, quae magno pretio hinc inde divenditur. Hoc tempore uncia quaelibet duobus ſcutatis Romanis ſive coronis, vel, ad noſtrae monetae rationem ſubducto calculo, florenis quatuor cum dimidio valet: quod tamen pretium pro anni fertilitate nunc imminuitur interdum, nunc iterum creſcit.

* * *


Cedro da Fiorenza.
IN HERRN CHR. FÜHRER
von und zu Heymendorff auff Wol
kersdorff garten allhie.

CAPUT X.

Malum Citreum vulgare parvum.

Ital.

Cedro picolo ordinario.

NOmen ab Benaci accolis gerit hoc citrum *Cedro noſtrano picolo.* Ferrario pag. 58. *Citreum vulgare parvum* ſalutatur. Fructum hunc cum ipſa arbore ſi inter nanos numeravero, fortaſſe non aberrabo: humilior enim ſtirps caput inter alias nunquam extollit; neque foliorum amplitudine ad reliqua citrorum genera accedens; folia vero in extremitate fere mucronata, undique inciſa, viriditatem habent minus laetam. Ceterum rami aculeis exiguis iisque numeroſis armati comparent. Neque a ſtirpis quantitate flores abludunt, qui, odore minus fragranti imbuti, modice dilatantur. Poma vero apud me minutiſſima vigent, ſi vigere diçenda ſunt, quae noſtro in horto nati, et hoc ipſo folio delineati, magnitudinem non ſuperant. Arbor magis durabilis videtur, ſi cum aliis citreis comparetur: quotannis nova fecunditatis documenta dat: quae ſub anni inſequentis primordia maturitatem, et colorem laete flaveſcentem capiunt. Sapor citreus eſt, acer et ſubacidus: cortex denique illud ambit graſſior, quippe ex quo dimidium fere pomi partem conſtare animadverti.

LIBRI SECUNDI FINIS.


P. Decker Delin.



HESPERIDVM NORIMBERGENSIVM LIBER TERTIVS, ARETHVSA.

* *
*

CAPVT I.

De Limone generatim.

QVandoquidem maxima citreum inter et limonem intercedit cognatio, eaque tam arcta, ut Medicorum antiquiorum non pauci, in plantarum cognitione alias exercitatiſſimi, hallucinati ſint, utrumque pomum uni eidemque claſſi inſerentes: imo cum hodienum praeſtantiſſimis ſtudii botanici cultoribus aqua haereat definituris, cui claſſi malum hoc vel illud annumerandum: mirum nemini videbitur, in citreti vicinia et haec limonum viridaria conſpexiſſe. Deſinet ſpero mirari, ſi praeterea reſcierit, horum non minus quam illius curam ſororibus Heſperidibus, Aegle et Arethuſa, ab Heſpero patre fuiſſe demandatam. Paveramus adhuc ad ſatietatem usque in ſpecioſo Aegles horto oculos: indeque diſcedentes recto pede ad Arethuſae citretum properabamus. Haec ſub ipſo plantarii ingreſſu laetiſſima nos humaniſſimaque excipiebat, et in ipſum immittebat. Primo ſtatim contuitu laetabamur de elegantiſſimo ad interiora proſpectu, et aptiſſimo illius ordine. Progredientium per porticum latus utrumque parietes vivis cupreſſi fruticibus conveſtiti claudebant: illa vero nos in planiſſimum campi aequor deducebat, quod undique coronabant Heſperidum nemora: neque illa incomta et inordinata, ſed tanta diligentia conſita, ut nihil obſtaret, quod viſum in ulteriora impediret. Augebat decus atque ſplendorem fructuum non unius generis copia, et limonum grato acore jucundorum varietas. Medium inter ſilvas haſce fertiles agrum ornabat fons, aquas ſalientes verſus caelum alte emittens: hae canalibus per totum viridarium ductae, adaquandis arboribus percommodae erant. Porro, ne ortae ex grato aquarum lapſu atque murmure voluptati quidquam deeſſet, fontem rariſſimorum Limonum arbores in vaſis arte daedalea fabrefactis diſpoſitae ambiebant, quarum tanta varietas, ut curioſiſſimum Florae myſtam, Carolum Cluſium, cui quatuor tantum limonum genera innotuerunt; et Portam,

qui

qui bina ſolum deſcribit, in admirationem raperet. Sed quid Cluſium et Portam nomino, qui jam ante integrum ſaeculum vivere deſierunt? cum illorum etiam praeſtantiſſimi, qui pauca ante luſtra obierunt, ſi in dias has luminis auras redire concederetur, vix crederent, inſitionis beneficio tot eorum genera prodiiſſe. Imo ne nunc quidem ingenioſa hominum ars defetiſcit, ut novas producere ſpecies ceſſet. Haec omnia cum ſororum pulcherrima Arethuſa nobis humaniſſime commonſtraſſet, Varia, inquit, pomorum genera, quibus natura hortum hunc ditavit, avido, quantum vidi, oculo ſpectaſtis: num vero dulcia quoque heic mala advertiſtis? Cui nos: Mala quidem nemo appeteret, niſi ipſi dulcia ac bona viderentur. Illa continuo excipiebat: Non mala aut facinora dico, ſed poma haec, quorum alia dulciſſimo ſapore voluptatem cient. Nobis dicta admirantibus pergebat: Haec arbor, eamque ſimul digito indicabat, quam niveo decoram flore hic videtis, tam grati ſaporis fructus fert, ac ſi Indico ſale eſſent edulcati. Flores enim ſine ruboris miſtura lactei, pomorum dulcedinem pollicentur. At altera illa huic proxima, cuius flores purpura exterius ſunt perfuſi, poma facit, quae guſtata ob aliquam ſaporis acredinem delicatiora labia contrahunt. Hanc notam ſi probe obſervare libuerit, illa nunquam vos fallet; niſi in Limone Bergomotto, cuius flores candidiſſimi nihilominus poma parturiunt ſubacida. His ſimilibusque papavere ac ſeſamo ſparſis ſermonibus, quos referre omnes longum foret, dia haec Nympha nos recreabat. Illud tamen tacere hic nolumus, quod inter alia etiam ea nobis ſuggeſſerit de aurantiis citreisque, has flores citius protrudere atque illas, cum prae illis hae ligno conſtent minus duro, minusque ſolido. Tandem, cum per alteram quoque horam ex auri huius adſpectu voluptatem cepiſſemus, nos ſaturos ad oſtium, quo ipſi properabamus, deducebat, laetosque dimittebat. Eadem nos felicitate gaviſos credebamus, qua Maurorum gens perpetuo fruebatur, *quae citri contenta comis vivebat et umbra.* Egreſſos dulcis recordatio demulcebat: omnia quippe memoria recolebamus viſa, ſimul recordantes, quantam horto amoenitatem conciliaret lacus adjacens, isque navigabilis, qui tam vaſtus eſt, ut viſus prius quam ille terminetur. Quaquaverſum vero iveris, oculis ſtatim patet, argenteosque, ſole potiſſimum ludente, fluctus ad caelum usque haud raro attollere viſus, non ingratum utique ſpectaculum contuentibus et in horto deambulantibus praebet.

CAPVT

CAPVT II.

Limonum Vſus.

INgens profecto plantarum diſcrimen eſt, nec uni decora omnia et commoda contulit provida Natura. Multae ſunt, quae praeter adſpectum jucundiſſimum nullam largiuntur homini commoditatem: vilia tamen haec gramina herbaeque terreſtres praeſtant Salomone, qui ne quidem cum omni ſplendore ſuo ita veſtitus fuit, ut horum quodlibet. Aliae non viſu tantum jucundae ſunt; ſed et animam praeterea recreant et reficiunt, ſuaviſſimo halitu emiſſo. Aliae victum homini dant et alimenta corpori neceſſaria. Ex aliis denique, herbis potiſſimum, innumeris medicamenta parantur, quibus et ſanitatem integram conſervare et lapſam reſtituere, DEI virtute, valemus. Nulla vero plantarum, aut certe pauciſſimae, collata in ſe haec benignioris naturae dona juncta oſtentare poſſunt: quaſi Heſperidum illa malis cuncta ſolis ſervaſſet. Haec etenim aurum oſtentant, inter virides foliorum ſmaragdos egregie ludens et emicans, quo nihil mortalibus aut adſpectu jucundius, aut odore gratius, acceptius, aut eſu ſuavius, ſalubrius. Quantum enim partes illarum ſucco turgent; tantum eaedem viribus abundant. Atque ut paucis ſolum utilitatem, quae ab pomis hiſce nobis venit, commemorem, in *re coquinaria* ex illis juſcula parantur multiplicia et embammata, quibus carnes ferinae aliaeque, volucres item ac piſces, conditae inferuntur. Saepius poma haec in jure gelato aut tuceto glaciali conditione craſſo apponuntur menſis: interdum acetariorum vicem praeſtat pulpa in lobos diſcerpta et ſaccharo conſperſa. Flores quoque cum polline, ſaccharo et aquis odoratis conditos atque frixos conficiunt, palato gratiſſimos: uti de his aliisque, quos in coquinaria affert, uſibus liber de iſtac arte Norimbergae publicatus, multis te docere poteſt. Nolo enim ea hic repetere, quae aliquot vix plagulae caperent. Qui aromatibus et ſale Indico condiunt dulciarii, tum flores, tum cortices delicate involvunt, et Genuenſium quoque more, ut alios aliorum ſilentio praeteream, obductos ſervant: ſtriblitas quoque et placentas ex illis in parte ſuperiore eleganter deſignatas, itemque panes ſaccharatos aliasque menſae ſecundae cupedias conficiunt. In rei medicamentariae officinis proſtant aquae ex citreorum cortice et medulla medicatae, ſucci item, eclegmata et electuaria multo morborum agmini pellendo apta; parantur inde morſuli, trochiſci, elixiria, olea, balſamum, eſſentiae, ſuaviſſimum odorem ſpirantia. Horum tamen conficiendorum praecipua laus, quod diſſimulare nolo, Italos manet, qui praeparandi arte aliis omnibus palmam dubiam faciunt; illis quippe citreorum copia artem fecit. Habent et ſeminum grana multis in caſibus uſum ſalutarem, eumque non contemnendum. Tot ergo commodis cum praeſtet hoc pomum, mirum non eſt, tantam illius copiam, ipſumque ſaepenumero corticem, quo id denudare ſolent, frequentiſſime alio, magno pretio numerato, transmitti.

Decorticatorum medullam acriorem liquidam exprimunt ; expreſſam olei inſtar doliis excipiunt ; exceptamque in locis transalpinis divendunt. Venetias quoque Meſſina Siciliae apportatur liquor ille , quem Salodienſi praeſtantiorem Candiotto nomine vocant ; eoque ſericum inficiunt , ſi quidem illud ſaturate celſeque rubro colore, Hiſpanici nomine inſignito , micare volunt. Saepius quoque adulterinus pro vero venditur ; admixto immaturorum aurantiorum ſucco ; quae cum citreis una in torcular admittunt. Sed facillime fraus deprehenditur , praelibato hoc liquore : amaritudo enim adulterium prodit. Quodſi ergo tingendo ſerico eum nihilominus adhibere cupis, maiorem illius copiam affundito , niſi operam perdere volueris. Acore enim color acuitur , ut intenſius emicet ; quo cum fucatus iſte deficiat , defectus hic iſtius quantitate penſandus eſt.

LIMO-

LIMONVM ITALICORVM RECENSVS.

* * *

CAPVT III.

Limon Coſtatus maior.

Ital.

Limon della Coſta groſſo.

EXimiae magnitudinis fructum hunc lacus Benaci regio anno 1696. genuit. Colonis illius tractus duplici nomine audit: 1.) *Limon della Coſta groſſo*; quod a ſtriis et extuberantiis, coſtarum aemulatione inſignibus, habere videtur: rectius tamen Limonem canaliculatum (Limon incanellato) appellari cenſemus. 2.) *Cedrilia*, quo fere cum dictis colonis Salodienſibus eum mallem inſignire: cum accuratius examinatus a Citro maiore propius abeſſe indubie deprehendatur. Carnis praecipue et cutis ſapore proxime ad illud accedit: praeterea et haec non ſecus atque citri cortex colore ſtramineo pallet: caro vero craſſior eſt, et medulla liquore acidiore turgidior. Folia huius arboris ampla ſunt et nonnihil ſerrata. Itali non niſi tenuiſſime orbiculari forma conciſo, ſaliſque Indici conditura probe adſperſo et edulcato, veſcuntur.

CAPVT IIII.

Limon Luſitanus dulci medulla.


Ital.

Limon da Portugal dolce.

NOtiſſimus eſt Limon hic dulcis, quem vere ineunte omnes, quotquot malorum citreorum aurantiorumque commercium inſtituunt, negotiatores Itali ad nos advectum, venum exponunt. Patriam ille habet Hiſpaniam et Luſitaniam, unde in Italiam migrans feliciter transplantatus eſt: cedit tamen limon in Italia enatus Hiſpanis et Luſitanis; cum hi longe ſint perfectiores. Ceterum magnitudine conſpicua inſignis eſt, vertice acuminato: cortex craſſior eſt et excelſe flavet; aromata quoque ſapit jucundiſſime. Medulla, quae copioſior, paululum rubet, medullae anerantiorum aemula; ſucco dulci ſuaviterque veſco exuberat. Hinc noſtris, cum valitudine minus firma conflictantibus, exhibetur, ut vires morbo attritas illo reficiant recreentque.



Der Steinbruch bey Mögeldorff. P. Decker fecit.


Limon da Portugal dolce
Des Hrn ImHoff Garten Hauſs an der Haller-Wieſen.

CAPVT V.

Limon Luſitaniae Auguſtalis dulci medulla.

Ital.

Limon Agoſtarolo da Portugal dolce.

FLoruit et hoc pomum circa Benacum, unde illud miſſum accepi. Ad citreorum vel limonum genus pertinet praecocium: ut plurimum enim menſe Auguſto, unde et nomen ei inditum, in Italia matureſcit: Ibi tamen hoſpes ſolum eſt exceptus, patria Luſitaniae terra exul. Minor eſt Limone dulcis medullae Hiſpanico vulgari; verrucoſus, in cuſpidem excreſcens. Cedit et priori, quod modo deſcripſi, ſive cutis ſoliditatem ſpectes, ſive colorem languidiorem. Medullae vero ſucci pleniſſima dulcedo ineſt; eaque parti aurantiorum interiori, quantum ad colorem, conſimilis. Eſt et alius Limon Auguſtalis, eodem tempore quidem maturans, at ſaporis auſteritate parum amabilis.


CAPVT VI.

Limon Saccharatus, ſive dulciſſimus.

Ital.


Limon Zucherin dolce.

BEnaci ager, quem amoeniſſimis villis et hortis elegantiſſimis conſitum ſuperius dixi, hanc quoque limoniam praedulcem alit ac fovet, cui eam et ego in acceptis refero. Globoſa eſt, et, ſi magnitudinem ſpectes, ſatis conſpicua; cortice tecta laeviore minusque ſpiſſo, cuius color diluto pallore citreus apparet. Odorem ſpargit quadantenus aromatum amoenitati congenerem. Succi dulciſſimi et medullae ſi colorem ſpectes, aurantium dices: ſin ſaporem, malum aurantium Sinenſe videbitur. Migravit vero et huius fructus mater in Italiam, Hiſpania patria relicta. Denique, ne hoc praeteream, Limon ſaccharatus et alter Limon dulcis temere permiſcentur: quamvis enim nullo diſcerniculo ab invicem diſtare videri poſſent; obſervavi tamen ex ſapore, a vero non abludere illos, qui toto, quod dicitur, caelo illos differre affirmant. Limon etenim dulcis vulgatior inde nomen tuetur, quod acrimonia non urgeat palatum; neque tamen ideo dulcedine praeſtat, ſed aquae inſtar inſipida eſt. At a Limone ſaccharato dulcedinis ſenſus percipitur, ut iure merito Saccharati nomine, a Salodienſibus indito, ſuperbiat.



Stahl-Schieſsen
auf der Haller Wieſen.




Limon Zucherino dolce.
Das Ebneriſche Herrn-Hauß
in Erlaſtegen.

P. Decker fec.

CAPVT VII.

Limon Canaliculatus.

Ital.

Limon incanellati.

PLura dantur huius mali genera, appellata a quibusdam *Limones ſtriati.* Hinc Ferrarius *limonem ſtriatum ſive canaliculatum* illud vocat; ducti nimirum ab apice petiolum verſus ſunt veluti canaliculi quidam, ſed inordinati, cum alii plurimum a ſe invicem diſtent, aliis anguſto interſtitio ſeiunctis. Praeterea horum pomorum quaedam rotunditate turgent, alia ovata longitudine producuntur. Omnium vero color pallide luteus eſt. Atque huius quidem cutis ſpiſſior paullo eſt et medulla modica, in ore mandentis mordax; illius vero cortex tenuitate notabilis; medulla amplior, ſuccoſior; et acuto ſapore a reliquis malis citriis non abhorrens. Vtrumque hoc pomum, quo, uti reliqua, oculata pariter deſcriberem fide, ex Italia Norimbergam accerſivi.


CAPVT VIII.

Limon Bergamotto maximus.


Ital.

Limon Bergamotto della grand ſorte.

NEque Roma, Italiae caput, ſuas nobis delicias invidere voluit. Maximum hunc, ipſa maxima fructum anno 1706 transmiſit, eumque elegantiſſimum, ſeptem uncias et eo amplius ponderantem. In globi formam ventrioſi prolixus eſt; qua parte pedunculo connectitur, paululum contractior; ita ut pyra, quibus a Bego, Epiri Principe, Begmottorum vel Bergamottorum nomen eſt, ferme referat. Carnem parciſſimam, haec enim cultri dorſum latitudine vix aequat, cutis tegit ſubtiliſſima, ubique aequalis, et formoſe luteſcens. Pulpa vero interior ſucco diffluit abundanti; quem cum cellulae membranulis diſſeptae contineant, ſine ordine tamen et ſine lege hae ſunt diſpoſitae, ſecus atque in citreis vulgaribus obſervatur. Aemulari videntur hac in parte comtam aurantiorum cornigerorum negligentiam, pomorumque eorum, quae floribus plenis duplici involucro ſive cute amicta ſuccedunt, uti ex figurae inſpectione accuratius delineatae conſtare poteſt. Pulpae huic acor quodammodo temperatus; cortex quoque auſterum quaſi condimento temperatum reſipit.



Auf der Haller-Wieſen.




Bergamotto della grand Sorte.
Veilhoff

CAPVT VIIII.

Limonium cucurbitinum Imperiale.
Ital.
Limon zucchetta Imperiale.

BIna hoc nomine poma anno 1707 et 1704 ager Benacus tranſmiſit, ſibi, indolem quoque et naturam ſi ſpectes, parum diſſimilia. Cum tamen alterum ab altero, Imperialis cognomine addito, diſtinctum eſſe voluerint periti iſtius regionis coloni, et praeterea forma utrumque, etſi leviter, differat; de utroque ſigillatim agendum eſſe ſtatui: non tamen ideo exiſtimari cuperem, quaſi unius arboris proles identidem varias aſſumere formas negarem.


Limoniae cucurbitinae Imperialis arbor nunc meo quoque in citreto viget, ſcapo erecto procera, ſpinisque denſe obſita. Folia habet laxa, oblonga, tenuia, ſerrata: in pomis notabilis amplitudo, quae tamen parte inferiore aliquanto minor eſt et anguſtior; ita ut pirorum formam illa adaequent. Hilari eadem corticis colore flavent, ſapore amabiliter ſubamaro citreis non deteriora. Meditullium humore ſcatet ſubacido et albet.

CAPVT X.


Limonium cucurbitinum alterum et Lumia.
Ital.
Limon a Zuchetta, è Lumia.

LImonum genus duplex, una in tabula coniunctum, oculis ſe ſiſtit contuendum; utriusque vero ſimul copiam fecit anno 1704. benignus Benaci ager, a quo nil niſi elegans et edecumatum exſpectes: Alterum Limoniam cucurbitinam vocabant olitores, cuius capite proximo mentio iam facta eſt. Cucurbitae minoris ſpeciem oblongam et quantitatem praebet, cortice intenſe croceo et digitum fere lato. Pulpae ſaporem dulcacidum color albicans iucundiorem reddit.

Alterum genus, (quod, quia itineris comes priori datum, hic ſeiungere nolui,) *Lumia* eſt, quam Itali Lumiam vulgarem rotundam dicunt, orbiculari rotunditate globoſa, cuius color croceus in album migrans, maculis hinc inde fuſcis grata varietate interſperſis, delectabat. Exterius corticis integumentum cum carne denſum erat et ſolidum: meditullii exiguitatem acredo penſat; ob acrimoniam tamen hanc nihilominus ſuaviſſime eſtur.



Das Jährliche Beltzlauffen dreyer alten Weiber im Goſten hoff


Limon à Zucheta
Lumia
Proſpect des Dutſcheteichs.

CAPVT XI.

Limonium piri effigie, vulgo Peretta.
Ital.
Limon Peretto.

FRugem, quae tabula ſequenti noſtro ſe dat conſpectui, Ferrarius in Heſperid. p. 237. Limonem Perettae conſimilem denominavit et iam olim deſcripſit. Eandem tamen et ego nactus ex agro Benaco adiacente, non potui non curioſo denuo luſtrare oculo; neque incommodum erit, ex noſtra eandem deſcriptione hic legiſſe ac vidiſſe. Folia arboris, quae hoc pomum ferebat, erant in longum diducta, minusque lata; et contractiora illis, quae Ferrarius adpingi curavit; adeo videlicet parte ſui anteriore coëunt, ut acuminata tandem evadant, coloris hilariter virentis. Pomi ipſius ſpecies itidem ovata erat, et amplitudo artior, quae tandem apice terminaretur; unde piriformis citri nomen ei inditum; pauca licet illius forma cum piris habeat communia. Cortex aureſcit citrino dilutiore colore; isque condimenti optimi ſapore guſtum demulcens, ſatis craſſus, poſt quem caro albicans multa latet, ſed exilior medulla, quae ſuccum acrem quinque diſſeptum loculamentis conſervat. Huius generis arbores melius in vaſis quam in parata citreti area plantaveris, cum humilior a terra ſe nunquam altius attollat. Fructus ab ea noſtro ſub caelo rigidiore vix ac ne vix quidem ſperandus, utpote quae aeſtui adſueta aurae rigiditate facile interimitur, hancque adeo perpetuo horret.

CAPVT XII.


Limon Peretta Perſonzina et Limon Peretta canaliculatus.
Ital.
Limon Peretto Perſonzino, è Limon Peretto incanellato.

AD pirorum ſimilitudinem tam prope accedunt bina, quae hic in aes inciſa ſubiiciuntur Limonum genera, ut primo conſpectu nulla re alia quam colore differre, aliudque et idem videantur. Eorum ex agro Veronenſi pariter una acceptorum prior cumprimis, qui ad iuſtam nondum pervenerat maturitatem, ex viridi in flavum tendens, facile incauto cuidam imponere potuiſſet. Folia arborem ornant parva, anguſta, cacuminata: muniunt eandem ſpinae. Po-

ma vero edit modicae quantitatis: manducata iucunde ſapiunt; corio obtecta ſpiſſo. Amat et haec arbor in vaſis potius quam citreto ipſo conſeri; ſedulamque ſibi culturam poſcit, ſiquidem alere illam volueris ſine detrimento.

Alterum Limonem, Perettam puta canaliculatum, Ferrarius, nunquam ſine honorifico elogio dicendus, pag. 235 *Limonem ſtriatum* nuncupat. Specie externa a piro plane non diſtat, niſi quod corium a ſummo ad imum ſtriis multiplicibus diſtinctum: ceteroquin glabrum eſt et denſum, citrinoque auro decorum. Pulpa vero dulcacida ſuaviſſimeque veſca.

CAPVT XIII.


Limon peretto.
DUTSCHETEICH
Würthshaus.
Meſsing Hämer.


Limon Peretto e Spada fora incanellato.
Perettin Personzin.
Der Viehmarckt vor dem Frauenthor.

CAPVT XIII.
Limonium piri effigie ſive Peretta ſpataſora.
Ital.
Limon Peretto ſpataſora.

ALiquot huius pomi genera numerantur, a piri ſimilitudine nomen ſortita. Hoc vero, quod deſcribendum hic mihi ſumſi, Spataforae cognomine innotuit, dubio procul ab eo, qui prae ceteris ſuis in hortis illud coluit, accepto: quam opinionem Ferrario quoque placuiſſe video. Idem Spataforae nomen proxime delineato etiam tribuitur. Neque ideo minus id competit huic, quod colono Nogarenſi, amoeni Atheſis accolae debeo. Dependebant ex uno ramulo poma tria, tot videlicet, quot Heſperidum vulgo numerantur. Cumque apud Ferrarium p. 233. itidem uno plura deſcripta compareant; racematim ea germinare non temere fortaſſis inde colligo. Folia in hac arbore creſcunt exigua, eademque pro mole laxa, et in verticem mox excreſcentia; margine inciſo, colore ex viridi albicante; quali coma et Limonia Ponzina nobilis ornata refulget. Abundat eadem uti fructibus, ita et ſpinis; et illi quidem pira videri poſſent coloris ſulphurei. Corii integumento gaudent ſpiſſo; iucunde ſapido et dulci: pulpa interior acore quodam eſt impraegnata. Alios eiusmodi fructus anno 1706 Roma dedit, capite ſequenti deſcriptos; qui cum magnitudine ſola a Limone Peretta ſpataſora diſtent; mihi huic congeneres viſi ſunt.

CAPVT XIIII.
Limonium Romanum.
Ital.
Limon di Roma.

VEronenſes ad Benacum coloni anno 1707 Roma acceptum hoc pomum mihi impertiverunt; quale tamen Ferrario incognitum fuiſſe videtur; in eius certe Heſperidibus ſimile non reperio. Poſſet tamen et Veronenſes nomenclatura Romana latuiſſe. Poſtea a quibusdam illud Limonem ſtriatum popino con poca ſcorza nuncupatum comperi. Binos, ternos aut plures eiusmodi fructus uni inhaerere ramulo, inde *Limones racemoſos* dicendos ex figura pateſcit. A Ferrario tamen p. 243. hoc nomine inſigniti, multum ab his diſcrepant. Folia frondes protrudunt longiora, pectinatim inciſa, colore laete virente. Fructus inde pendent mediocres, in longitudinem exporrecti; circa pedunculum tenues, quae pirorum alias forma eſt; inde ventrioſi; et ſuper ventris eminentiam latiorem conus veluti quidam cacuminatus ſurgit. Cutis colore dilute citreo, inaequaliter ſinuoſa et rugoſa, minus craſſa, quae guſtatu quidem iucunda; ſed eius dulcedini amaritudo quaedam ineſt. Meditullium illa concludit dilute ſulphureum, et acore multo ſuffuſum.


Limoni Peretti ò Spada fora.
Zum Stein


Limoni da Roma.
Herrn Andreas Im Hoff Schlöſſlein
bey Ziegelſtein.

CAPVT XV.

Limonium Italice dictum Limon Cornagione.

QVantum coniectura aſſequi potui, nomen habet hoc malum a loco Italiae, a quo noſtros in hortos conceſſit. Neque enim infrequens eſſe hortulanis, ut nomina frugibus dent a ſolo nativo mutuata, inter omnes conſtat. Folia adnaſcuntur margine undulato pallide virentia. Pomum mediocre,ovatum, colore iucunde citrino, cuius corium modice craſſum, et amarum; pulpa humecta ex viridi luteſcens acrimoniam ſapit. Ceterum ſuaviſſimum odorem ſpirat, eumque reliquis Limonum generibus multo gratiorem; qualem ferme *Limon mela Roſa* fundit.

CAPVT XVI.


Limon Calaber.

Ital.

Limon Calabreſe *aut* Limon da Calabria.

EX eorum numero fructuum, quos anno 1707. ineunte Roma huc allatos accepi, et Calaber hic erat, cui Calabria patria, cum alio migraret, nomen fecit. Illuſtris Amſtelodamenſium Conſul, Ioannes Comelinus, ſuis in Heſperidibus refert, maturuiſſe Amſtelodami ſuis in hortis anno 1672 eiusmodi pomum; cuius folia adnaſcentia iuxta pediculum more aurantiae habuerint appendicem, quae cordis figuram aemuletur. Ferrarius p. 211 Limonem puſillum Calabriae duplicem deſcribit, qui tamen cum illo Comelini praeter folia nihil habet commune. Poma enim, quae in Ferrarii Heſperidibus viſuntur, illo minora ſunt, cetera limonibus ſimilia, niſi quod conifera veluti et exiguo ſtilo eminentia. Sed nihil horum in Comelini figura conſpiciendum. Neque tamen iudicis hic mihi partes ſumſero, nihilque definiam, gnarus quam multiplex naturae luſus et in his pomis obſervetur, quam raro malus eadem fructus ferat per omnia conſimiles. Dicam ergo potius, qualis ille fuerit, quem mihi accuratius inſpexiſſe contigit. Foliorum, quibus mala conveſtita, alia articulata, alia inarticulata; quae varietas et in aliis malis, praecipue autem in malo Limonis Bergamottae obſervatur: neque valde dubitem, eam in hac arbore eſſe perpetuam. Poma levi tenuique et cerea cute erant obducta, eaque acidula; ſuccus vero multus et acrimonia ſubviridis. Genus hoc mali, dicente Comelino, multiplici partu fecundum, idemque et Ferrario fecunditatis innumerae aſſiduaeque nullo non menſe florere et parere perhibetur. Haec tamen fecunditas vivacitatem non imminuit, unde aëris Theotiſci patientiſſimum fore iudico.


Limon cornagione.
Der Bleichers Weiher.


Limon de Calabria
Der Schiebelsberg.

CAPVT XVII.

Malum Roſeum.

Ital.

Mela Roſa.

OBtinui hoc pomum minus et rotundum ex Italia, Limonis Roſei nomine (Limon Mela roſa) condecoratum: id quod in typo adiecto mutatum non eſt. Malunt tamen alii Aurantiis accenſere ob foliorum corcula ſive articulos. Vulgo Malum Roſeum audit, cuius gemmae floreae candidiſſimae et oblongae: fructus vero apex circulo et quadam veluti verruca notatus. Cortex tenuior crocea ſpadiceaque temperie flavet, obſcuro diſcrimine ambigua ab aurantio non dignoſcitur; isque aſper et amarus. Medulla ſucci acidioris et copioſi, pallida minimeque a limonibus vulgatioribus diſcreta. Duabus tamen rebus notabilis eſt malus haec, primo, quod unicus ſaepe ſurculus bina aut terna imo plura parit poma, locorum intervallis erumpentia: deinde quod odorem exhalant ſuaviſſimum, mirificeque gratum; qui, cum roſarii lignum aemuletur, fructui nomen adieciſſe probabile eſt. Folia tenuia, anguſta, ſatis tamen prolixa, articulo iuncta ſunt et connexa.

CAPVT XVIII.

Limon Digitatus aut Multiformis.


Ital.

Limon Zattella.

QVod Italicum poſui nomen, Salodienſibus familiare eſt: bina vero Latina impoſuit Ferrarius, eo quod digitorum vel unguium formae non impares, et quod diverſiſſime naſcantur. Neque rari ſunt monſtroſi eiusmodi fructus, quos ſaepius Itali, auro Heſperidum quaeſtum quaerentes, venum exponunt. Neque tamen quisquam ſibi perſuaderi patiatur, certum eſſe arboris genus, informi eiusmodi pomorum genitura praegnans: cum potius monſtri quid frequentiſſime alere citrum vulgarem ſit habendum. Edidit et mihi partum eiusmodi deformem Lima dulcis; quae alias ſpecioſo pomorum foetu erat feraciſſima. Sed tanquam puduiſſet prodigioſi partus, abortum illa nunquam non vere adveniente fecit. Colorem iſta monſtra citrinum ſervant ut plurimum, utpotae quae hac matre frequentius edita lucem adſpiciunt. Neque corio craſſo et acore a citreis longius abeunt, eorum acrimoniam pariter reſipientes.



Die alte Veſtung bey Zirendorff



Die Blaich beÿ der Tullnau

CAPVT XVIIII.

Limones, qui vulgo Lumiae; itemque Limea Valentina.


Ital.

Limea da Valenza.

MEdia inter aurantiorum et limonum poma incedit Lumia, praeſtabile limonis genus; quod tamen neque in horum, neque in illorum cenſum recte venire poteſt.

Ferrarius pag. 317. Lumias nominat; Itali fere Limeas appellare conſueverunt Acruminum hoc genus, quod aurantiis ſuppar, multas tamen citreorum notas refert. Neque difficile foret, in *aurantio citrato*, cuius deſcriptionem inferius Part. IIII cap. VI dabo, ſigna communia oſtendere, quae Limeis eadem eſſe adnumeranda ſuaderent. Si de aurantii iſtius citrati origine et ſtirpe quis ex me quaereret, aurantiae genus citro inſertae dicerem. Nam rami ſpinis ſunt communiti; et frondes folio citri conſimiles. Vt ipſo hoc idem nomine innui taceam.

Limea Valentina, nobilitatem nominis ex Hiſpaniae urbe conquiſivit. Ea non alia maior repertu datur; variae tamen magnitudinis poma decem alicubi pondo librarum rotunde tumere, Ferrarius teſtatur. Librae vero Romanae decem, cum Norimbergenſi comparata, apud nos ſex pondo et amplius conficiunt. Quam delineandam hic curavi, ſeſqui libram aequavit tantum: at viae, quam ſub anni 1707 exordium Roma trium menſium ſpatio vix emetiri potuerat, conficiendae longinquitas magnam vigoris ſuccique partem abſumſerat, ut adeo haud mirum, ſi pondere quoque multum defecerit. Corporis amplitudine fere rotunda erat; quadantenus tamen in longitudinem procurrens: alias ut plurimum globoſum eſt corpus, cuius corium intenſe croceum, aurantiorum maculae hincinde decorum inficiunt, leviter caperatum et criſpum, poris paululum eminentibus; illudque corii citrini guſtum aemulans. Poſt cutem auream candida caro, eaque craſſa, ſolida, dulcis, mandenti non ingrata, in conſpectum ſeſe dat: haec vero medullam ex luteo albicantem, qui color medullae limonum peculiaris eſt, guſtuque ſubacidam circumplectitur.


pag. 148.
Limea da Valenza.
Erlaſtegen.

CAPUT XX.

Lumia Galliciae.

Ital.


Limea di Gallitia.

LImeae Valentinae ſeſe aſſociaverat itineris Roma Norimbergam ſuſcepti, comes Lumia haec Galliciae, quod a materna adeptum terra nomen ipſi adſciverant coloni Romani. Ferrarius vero, qui p.319 vel idem vel ſimile deſcribit, Hiſpanicae vel ex aliorum opinione Hieroſolymitanae Lumiae appellatione condecoravit. Figura pomum eſt oblongum, prolixe faſtigiatum, palearum pallore albicans, aequabili laevore molle, cuti praetenera, quae aromatum acri amaritudine acerba, non tamen ingrata, dulcium Limonum Luſitanorum ſuavitatem quadantenus reſipit. Medulla coloris rubicundi flavo diluti ſimilitudinem ducit aurantii; ſaporis tamen quodam acumine ſuavis guſtuque iucunda. Mediocris erat illius moles, ſelibram vix pendens; pondus vero pomi Alpium iuga et praecipitia ſuperantis, per iter viae moratum, quadantenus fuiſſe imminutum ſuſpicor.


CAPUT XXI.

Limea Longa.

BEnaci iam iterum delicias exhibeo, quae menſe Ianuario anni 1707 inde delatae ad me pervenerunt. Creſcit hoc pomum in ovatam longitudinem, eamque, ſi cum aliis comparaveris, valde protenſam, apice in papillam deſinente: ventre inferiore, quo petiolo inſidet, artato. Cutis eleganter cerea, rugoſa ſcabritia inaequalis, craſſa, ſuaviter dulcis et cum carne itidem ampla amoene veſca. Medulla vero ſtupea vel exalbida, acritatis acutae; qualis Limonum eſſe ſolet. Folia longa et inciſa. Num inter Limeas hic fructus locum obtinere queat? ſubdubito. Agri quidem Italici incolae eum communiter *Limeam longam*, nuncupant. At cum *Limone Liguſtico*, quo P. Ferrarius delineando gratiam apud rei hortenſis aeſtimatores iniit, compoſitus, parum ab ipſo recedere deprehendetur. Accedit, quod et foliorum ſimilitudo aliqua ſit, quae Limearum claſſe eximendum eſſe hoc pomum itidem ſuadeat. Raro tamen aliam nominis rationem ineo, imo potius fere ſemper illam ſequi ſoleo nomenclaturam, quae in ſolo pomorum patrio ab incolis primisque colonis indita una cum ipſis quaſi naſcuntur.. Quod ſi tamen longius aberrare eos manifeſtis deprehendo indiciis, illud quandoque mutare religioni neutiquam duco. Quid? quod ipſos etiam Italos non eodem ſingulos fructus nomine inſignitos noſcere ac dignoſcere quotidie experiar: Ne quis igitur me inſcitiae arguat, ſi noſtram hanc nomenclaturam ſecutus petita inde mala haud referat; ſed eorum loco vel ſimilia vel plane diverſa.



Die Rudera in Cl. Pillenreuth.


Limea Longa.
Der Hoff im Cl. Pillenreuth.

CAPVT XXII.

Lumia Limonata.

LVit et hic fructus in conſortio prioris a Benaco Norimbergam anno 1707, rotunditate praeſtans fere globoſa; papillato tamen apice mammoſus. Corium ambit nitidiſſime citrinum, tenue illud quidem; at amarum. Medulla ex praſino albicans, et acidiſſima. Folia habet arbor mediocria, ſed craſſiuſcula, quae a foliis limoniarum, quod ad colorem attinet, haud dignoſcas, niſi quod aculeis non ſint armata. Ideoque etiam Lumiae Limonatae nomine hoc pomum primitus fuiſſe decoratum iudico; quod rotunditate Lumiam, colore Limonem, verbo malum aurantium auſterum per omnia, ſapore non excepto, accurate repraeſentet.

CAPVT XXIII.

Lima Romana.

PAlatium ad Atheſin Nogaranum, pro illuſtriſſimi Heri, Comitis Lodroni magnificum, tum illi tum huic decori eſt et ornamento ſplendidiſſimo. Ipſi vero aedificio gratiam multo maximam conciliat hortus a peritiſſimo colono naviter excultus. Conceſſit is mihi anno 1707 fructum *Lumiae Valentinae* nomine. Conſului tanquam oraculum, quod ſaepius facere ſoleo, P. Ferrarii Heſperides, quo certe libro non alius hoc in ſcribendi genere doctior aut elegantior prodiit; ibique pag. 331 Lumiam hanc Valentinam in Limarum claſſe, ſub nomine *Limae Romanae in Piorum hortis*, utpote in quibus hortenſi urbanitate nobiliſſimis dives huius pomi proventus tum habebatur, itidem reperi. Foliorum ſimilitudo et quantitas foliis citri propior eſt quam aurantiae. At fructus viciſſim tam colore quam forma orbiculari ab aurantio propius abeſt, eidemque niſi maior, circuloque veluti corona incinctus, et papilla eſſet depreſſa diſtinctus, plane congener. Poſt cutem leviter inaequalem et criſpam carnis pinguedo craſſior albicans deliteſcit, acri quadam amaritudine pungens; cuius meditullium acidiuſculum colore ludit inter aurantium et citreum (de medulla horum pomorum eiusque colore ſermo itidem eſt) medio fere: citro enim ſimilior videtur.

Hoc loco ſilentio praeterire nolui, diſcerniculum eſſe, quod inter *Limam* et *Limeam* intercedit ſatis notabile: verrucam videlicet, qua, inſtar papillae, Lima mammoſa turget. Limea vero globus eſt nulla eminentia iugoſus. Dantur quoque Limae diverſa genera; dedimusque et nos inferius in huius Partis capite XXXIIII *Limam dulcem*; et fortaſſis alio tempore de pluribus commentandi occaſionem nanciſcemur.

RECEN-


Limea Limonata
cl. Pillenreüth
Königſweyher


Lima Romana.
Das alte Schlöſslein zu Ziegelſtein.

RECENSVS
LIMONVM INDIGENORVM.

* * *


CAPVT XXIIII.

Limon Vulgaris.

Fecunda pomi huius mater optime vireſcit in terram plantarii defixa, ſublimique vertice eminet; frondis amplioris laeteque viridantis honore decora, quae acuminata in ſuper, margine pectinatim coëunte: ſurculi item et rami ſpiniferi. Florum quoque copia quotannis coronatur, quibus pomorum ſtamina ſemper ſuccedunt. Vt vero haec ad frugis maturae elegantiam et magnitudinem adoleſcant, hoc opus, hic labor eſt, ſiquidem aſperioris cuiuslibet aurae afflatu deiiciuntur, aut certe putredine infecta denigrantur, ut adeo rarius belle hiement ac perdurent. Longe itaque delicatiores ſunt molliores que aurantiis, magisque in aprico aut loco calidiore ſtatui amant. Floris candor internus, exterius coccinea rubedine eſt perfuſus, halitumque minus opimum, et aurantiis multo inferiorem, efflat. Pomorum prima rudimenta ſubviridia ſunt varieque figurata, nunc ſphaerica, nunc cylindracea. Alterna quoque varietate alia carnoſa ſunt, alia ſucco meditullii multo referta: et quo propiora maturitati, eo magis, viriditate ſenſim amiſſa, aureſcunt. Et flavo quidem colore pinguntur interdum anni inſequentis menſe Octobri; communiter vero algido illa Decembri excoquuntur, pomarii calore ſubſidiario ſervata: pro anni videlicet aeſtu intenſiore aut remiſſiore iam citius iam ſerius maturitas feſtinat. In univerſum tamen prae aurantiis maturius flaveſcunt. Ob medullae ſuccique candidi acrimoniam vehementem paucis gratum eſt hoc pomum; at ob ſuaviſſimum corii odorem laevoremque tenuem ſubinde expetitur. Quamvis autem fere ut citrea poma parcius, nec niſi indefeſſa cura adhibita, apud nos maturent Limones; arte tamen varia uſus, anno 1707 et deinde ſaepius obtinui ex arborum, in vaſis potiſſimum depactarum, plerisque divitem auri proventum: pependerunt etenim ex ſingulis poma matura triginta et amplius, eademque ſatis ventroſa; uberiora tamen et fertiliora fuere acida quam dulcia. Cum ergo ex èo, quod mollitudo eius tanta, quanta ne aurantiarum quidem unquam eſt deprehenſa, maiorem has ſibi curam malos depoſcere, colligerem, ſoli eas calidiori nunquam non expoſui, ut liberrima ſimul aura fruerentur; frugibusque foetas gelidae noctes pruinaeque condenſae ne contingerent, ſummo opere cavi. Porro commodius illas in citreto hibernare quam in ullo alio hibernaculo, certum eſt, quod tum teſtarum fictilium

lium ibi hiemantium copia, tum tholus demiſſior aëris nimium artati uſum intercipit. Proinde ſingulas, uti aeſtate ſuis pedamentis innixae lapideis e terra altius extolluntur, ſeorſim poſitas exalto, et, ne aër eisdem omnis ſimul intercludatur, tholi altioris contignationes aſſeribus non prius ſterno quam acrioris hiemis arcendae gratia focus ſuccendendus. Quo ipſo fit, ut et aëris, cuius beneficio mirifice recreantur, flatus quam diutiſſime excipiant, et caloris a fornace ſubſidiarii fotu magis refoveantur. Simulac vero Boreae vehementia mitigata eſt quadantenus, uno alteroque aſſere refixo, qui ſuperiori domicilii parte concluſus imminebat, aërem admitto. Denique, ut omni ex parte illis proſpiciam, a feneſtrarum aperturis procul ſeiunctas in interiore domus colloco, ne per illas etiam occluſas ſeſe inſinuans frigus, quod valvis exterioribus remotis facilius fieri ſolet, comam earum viridem fructusque aureos denigret. Si praeterea terra illis addatur craſſior, et argillacea, eaque ſemper humectetur, arbori poma tenacius haerere certis experimentis addidici. Sed cum iam alibi haec omnia fuſius dixerim, plura hic addere ſuperſedeo, ne cramben bis coctam apponere velle videar.

CAPVT XXV.



1702.
Limon vulgare.

CAPVT XXV.

Limon Salernitanus.

SAlernum Limonem hunc, ſuis in hortis educatum, Genuenſibus, Veronenſibus, aliisque alibi locorum rem hortenſem cum laude exercentibus colonis liberaliter impertivit; abs quibus redhoſtimentum retulit nominis amplificationem, dum gratae memoriae monumentum exiſtere illi voluerunt acceptam ab urbe hac Limoniae matre appellationem. Taceo antiquitatem urbis maritimae Neapolitanae et amplitudinem: taceo, illam Νεωκόρον cenſeri, quae corporis S. Matthaei in templo huic Divo dicato cuſtos creditur: haec quippe praeſenti inſtituto minus conveniunt. Eius elogium ſcribere ſi in animo eſſet, laudarem potius eam ab hortis et villis amoeniſſimis, quibus eleganter et copioſe inſtructis, citretis potiſſimum, cum plerisque Italiae urbibus certare poteſt. Sed ad rem. Quod ergo Limonis Salernitani nomine celebratur pomum, multa habet cum Limone vulgari communia: Flores fere iidem, ignavo aut paene nullo odore: fructus quoque acerrimi iisdem, quibus vulgatior, uſibus deſtinantur. Magnitudine tamen verrucoſa et criſpa differunt: adhaec apicem inſtar papillae habent: folia vero nunc maiora nunc minora, circa ambitum dentata.

CAPVT XXVI.


Limon Bergamotta.


GLoriam nunc Limonum in ſcenam producimus, et fructum inter omnes nobiliſſimum. Suaviſſima certe odoris exhalatione non alius limon magis gratus eſt magisque acceptus. Convenit quoque cum fructus ſuavitate proceri codicis dignitas: rectus quique a terra erigitur, plantarii potiſſimum areae commiſſus; et mediocri cultura contentus facile perennat. Dantur huius generis arborum bini ordines; quarum alterius folium criſpatur, unde *Bergamotta cum folio criſpo;* alterius planum et aequabile explicatur, unde *Bergamotta cum folio laevi* Italis audit. Vtriusque vero comae hilariter virent, et articulo in cordis formam effigiato, qualis et in foliis malorum Limoniae Luſitanicae comparet, diſtinguuntur. Vtque ſilveſtrem eas naturam exuiſſe omnem, ex adſpectu ſcires, omnem ſpinarum horrorem removit; aut certe illas perquam exiguas pauciſſimasque habet. Floribus ubique albicantibus candet: novellique fructus capitulum mucronatum exſerentes, il-

lud in maius excreſcentes nunc deiiciunt, nunc ad maturitatem usque ſervant. Maturationem ſesqui anno fere, uti reliqua id genus poma, adeoque alterius poſt germinationem anni menſe novembri vel decembri conficiunt. Maturus ſulphure ſaturato tinctus eſt, cortice involutus craſſo, odoris, uti dictum, amoeniſſimi. Praeſtantiſſimas eius partes arte diſſolvere, et parare inde eſſentias, quas vocant, optimas Itali norunt; quas hinc inde caro pretio divendunt. Medulla ex ſtramineo albicans, grato acore imbuta. Poſt diuturnam huius arboris culturam, in ligneis illam vaſis rectius collocari quam in viridario ipſo obſervavi, ita ut floribus fructibusque niteret copioſioribus: neque eius prolixitas aut maior coronae amplitudo quidquam officiebat. Accidebat quidem, ut in aream depactae non pauciores oſtenderent fruges tenellas; maior tamen earum ſpes vel hieme vel vere adoleſcente infuſcata, putredineque corrupta decidebat; cum vaſculorum hoſpites potiorem pomorum partem ad maturitatem perferrent. Rationem huius rei inveniſſe mihi videor in eo, quod priores illis in pomario partes, easque feneſtrarum aperturis propiores, dedi, quo carceri quoque incluſae calore ſolis vitrum permeantis incaleſcerent. Ab aëre enim, qui diebus ſerenis vernoque tepore amabilibus admitti ſolet, urente et impuro tum malos tum mala vitium capere, et haec praecipue aduri atque cineraceo colore deturpari aperte ſenſi. Vnde conſultius omnino eſt, citreas removeri a pomarii aperturis hiberni; uti paulo ante capite XXIIII huius partis mentio iam eſt facta. Vtriusque generis pomo Arethuſa aliquot ante annos me ditaverat, quod hic ſubiunctum aerique inciſum cernis: eadem dein, arboribus robur et incrementa aſſumentibus, anno 1705 aliam mihi meſſem largita eſt; cuius pomum hic unicum itidem in icone conſpiciendum repraeſento.

Vnum hic addendum, de nomine videlicet huius pomi inter hortulanos tam Italos quam alios non convenire. Benaci accolis aliisque *Limon Bergamotta* eſt, eo quod cortex, medullaeque color, et acrimonia Limoni haud abſimilis. Italorum vero alii itemque Belgae *Aurantium Bergamotta* nuncupant, moti figura folii, quod corde inferius articulatum eſt, et florum eximio candore; utrumque vero aurantiis alias peculiare eſt: denique et poma obrotunda, qualia et aurantia eſſe ſolent, miſerunt. Vtrorumque rationibus expenſis, convenientius tamen eſſe iudico, Limonis quam Aurantii nomine pomum hoc inſignire, eo quod a piro cognomine deſignari vulgo perhibent: adhaec fructuum huius arboris plurimi, piri formam aemulantur. Non negaverim equidem, harum ſubinde frugum figuram variare, et quandoque rotundam eſſe; uti ipſe diverſis temporibus vidi in arboribus in area plantatis maioribus: mallem tamen, ſi quid mutandum, ſimplici Bergamottae nomine inſignire. Neque R. P. Mandirolae iudicium improbandum, in Hortulanorum libro manuali ſcribentis: Lumiam piro Bergamottae ſimilem eſſe: cum et haec utriusque naturam et indolem participare videatur.

CAPVT XXVII.


Limon
Salerno da Genoua. 1698.
A: 1696.



B. Kenkel fecit.

CAPVT XXVII.

Limon Perſonzina gentilitius ſive nobilis.

QVae fructus ex ſe gignit piriformes Limonia haec, molliſſima eſt, eaque de cauſſa noſtris in terris indiotis tantum perennat. Facillime ſiquidem emoritur propter corticem praetenerum, ſine ulla aſperitate laeviſſimum, qui aëris inſalubritate vel tantillum laeſus areſcit, et quaſi uredine infectus decorticatur, ſicque ipſa arbor ſenſim, (per anni quippe ſpatium, morbidus licet, tamen viret,) emarceſcens perit. Quae cum ita ſint, quilibet ab aëre etiam in hibernis frigido illam ſedulo eſſe defendendam, vel me tacente cognoſcet. In altitudinem illa mediocrem ſe extollit, foliisque ornatur minoribus cuſpidatis, leviterque inciſis. Flos amplus parte interiore candidus, exteriore roſeus; tribus frequenter tantum petalis conſtans: gemmae diutius turgent, nec prius panduntur, quam foetus ſuccreſcens eam rumpat: ceterum iucunde is odoratus eſt minimeque malus. Poma fert, quale anno 1701 enatum hic depingendum curavi, piri ſuperbi magnitudine, colore dilute ſulphureo, cortice craſſo, grate dulciterque ſapido: medulla dulcacida.

CAPVT XXVIII.

Limon dulcis vulgaris.

Ital.


Limon dolce ordinario.

REverendo P. Ferrarió pag. 227 foetum hunc Limonium dulci medulla vulgare ſalutare placuit. Fertiliſſimae is arboris ſilvoſis frondibus, foliis oblongis paululumque ſerratis decoratae filius. Flore delectat contuentes candidiſſimo eoque ſuaveolenti. Pomum longum in lato ventre apicem habet. Cortex cultelli dorſo haud denſior, aureo fere colore, qualis aurantiarum alias eſt, nitet; neque ſaporis iucunditati amaritudo, quae levior ſentitur, quidquam officit. Medulla aeque ex luteo rubeſcit, uti illa aurantiarum; ſuccida, dulcis, nonnihil obrigeſcens. Maturitatis collectionisque tempus eſt utplurimum menſis Decembris, poſtquam anno ſuperiore floruerat arbor. Quodſi tamen aeſtatis aeſtus diuturnior aliquando, citius interdum colliguntur. Illud quoque deprehendiſſe mihi ſum viſus, huius generis arbores fecundiores eſſe in vaſis depactas, quam in area collocatas; utpote in qua inani tantum frondis honore laetantur.



P. D. fecit.

PROSPECT IN HERRN C.W. TVCHERS GARTEN.


Limon dolce ordin. 1702.

CAPVT XXVIIII.

Limonium ſaccharatum coniferum.

Ital.

Limon Zucherin col pigolo.

VIdimus iam pag. 133 Limonem ſaccharatum eiusdem fere generis, cuius hic alterum damus et alium, in eo a priore diverſum, quod manente floris apiculo veluti roſtratus. Arbor ad proceritatem mediocrem, in teſtis fere maioribus apud nos adoleſcit, mitiſſima, nullis aculeis horrida; coma ſubviridi, eaque reliquarum Limoniarum ornatui folioſo minime ſuppari. Florum foliola ſpecioſorum longa ſunt, anguſta, ubique candicantia. Foetus praeteneri adhuc, amoene virent, roſtrumque cum flore enatum etiam maturi raro demittunt; interdum in papillam deſinentes. Corium ex viridi fit lucidiſſime citrinum, tenue, nulla inaequalitate glabrum, aromatum amoenitatem ſive odoratus fueris, ſive guſtaveris, prae ſe ferens; carne ſuffartum, qualis aurantiorum eſſe ſolet, rubicunda magis quam flava, ſuccoſa, dulci. Pomum hoc maturitatis tempore perfectum quantitate multum ſuperat ſchema praeſentis, quod primis maturitatis diebus eſt effigiatum. Adhaec primitiae ſunt hae, quas tenella arbor anno 1707 tulit: eamque cum virium incrementa ceperit maiora, poma etiam ſpecioſiora Luſitanorum dulcium aemula daturam nullus dubito. Pondus huius ſex unciarum erat.

CAPVT XXX.

Limon Irritator Appetentiae, et Ballotinus Hiſpanicus.

Ital.

Limon aguzza appetito et Ballotin di Spagnia.

DVplicem hoc in capite Limonem, quem in Calabrico tractu frequenter provenire tradit Ferrarius, unica pagella deſcriptum ſiſto; quorum alter, et ille quidem minor, ab eodem viro doctiſſimo pag. 209 *Limonis puſilli Calabri*, itemque *Irritatoris Appetentiae* nomine inſignitur. Vtrumque arboris genus hac aquilonari aëris regione teſtaceorum ligneorumve receptaculis vaſorum vult aſſervari. Et eius quidem, qui anno 1701 priorem peperit limonem, proceritas non admodum alta; ſpinifera eſt haec malus, foliisque paulo minutioribus et ovatis conveſtita. Meo in horto ſerius floret, cum tamen in regionibus ad Auſtrum

Auſtrum propius ſpectantibus quovis anni tempore et flore et fructu nitere ditata perhibeatur. Flos eſt puſillus, et albus; pomum ad nucis iuglandis magnitudinem extumeſcit, orbiculatum ac laeve, conum gerit a flore reſiduum in maturitate aureum. A cute tenuiſſima, eaque amariuſcula, et moſchum redolente totum in medullam abit ſucco ſulphurei coloris iucundeque acidulam.

Alterius generis malus maiora utique poma parit, adnato nomine Ballotin di Spagnia. Priore vix altius aſſurgit, foliis decora citrinis, niſi quod breviora, ac fere laureis, uti vult Ferrarius; in ambitu dentata, laete virentia. Rami ſpinarum non quidem plane expertes, paucioribus tamen onerati. Florum, quorum canitie iuveneſcunt, gemmae primo roſeae, dein tumeſcentes et iam dehiſcentes albeſcunt, tandemque expanſi flores candidiſſimo colore ſuffunduntur. Capillamenta in florum medietate ſurgentia, quae in acrumine vulgari apicibus plerumque flavis donata, ſubflavos gerunt apices ac fere albos, eiusdem videlicet coloris, quo ipſa filamenta conſpiciuntur. Frugum prima ſtatim rudimenta amoeniſſime virentia, cum ad maturitatem perveniunt, corium laeve admodum et tenue colore ſtramineo tingunt; dorſum cultri fere illud craſſitie adaequat, ſapore limonum vulgarium conſimili; exiguam carnem, ſolo ſuavem acrimoniae ſubviridis ſucco includit. Non ſegnem materna huius pomi arbor cultorem requirit: diligentiam tamen cita florum facilitate, frugumque aſſiduitate penſat. A Benaco eam huc allatam anno 1702 plantavi, et anno proxime inſequenti florum, annique 1704 menſe Ianuario pomorum fecunditate praematura luxuriabat.

CAPVT XXXI.



C. limetta, Linn.



In Herrn Doct: Schobers garten.


CAPVT XXXI.

Limonium Citratum.

Ital.

Limon Cedrato.

Citrati Limonis nomen in Italia et a vicinis Benaco agricolis, pluribus Limonum generibus vindicatur. Communiter enim ita vocant omnes Limones, quorum cutis et caro obeſior, medulla vero parciſſima. Quam congrua haec ſit denominatio, alii videant. Mihi videtur, vera citreorum nota, quae eſt odor gratiſſimus et iucundus acor cum amaritudine permixtus, pleroſque carere: eam tamen, ſi nomen tueri velint, deeſſe nec poſſe nec debere. Non natum, ſed factum eſt hoc genus arboris: Limonis enim gemma, inoculationis beneficio malo citreae inſita, tales filios parit; et eos quidem ſuaviores, ſi poſt primum floris partum eidem ſtirpi altera gemma denuo uniatur. Iure itaque haec poma, Citri filios nuncupat Ferrarius, quippe quae citrea ſimilitudine fere adaequant. Maternam pomi hic effigiati ſtirpem, in pomario defixam, palis ſuffulſi magno meo et arbuſculae commodo. Folia exuberante virore nigricant, pleraque ampla, ambitu laciniofo, ſpinarum praeſidio metuenda; ita ut facillime citrum mentiantur. Praeterea de citri more floribus ridet conſtipatis, magnitudine notabili, et exterius purpura ſubfuſis. Poſtquam vero foliola iidem demiſerunt, fructus ſtamina, quae prodeunt rotunda, ex limonum genere eſſe aperte indicant: citreorum namque figura fere cylindrica eſt, uti Partis II Capitibus I. II. et III. dictum. Novellorum viror amoenitate delectat: eademque, niſi hieme defluant, inſignia capiunt incrementa, partim ſubrotunda, partim papilla cuſpidata; (*vid. figuram.*) Poma ex cordorum claſſe ſunt, utpote quae vix menſe Ianuario vel Februario anni, laetam floris profuſionem inſequuti, matureſcunt, languido colore flaventia. Exteriore hoc corio ſubamaro caro tegitur ſolida, dulcedine iucunda pomis citreis perquam ſimili. Quae poſt eam flaveſcens latet pulpa, itidem ſubdulcis iucunde manditur. Vnde cum cibis fere orbiculatim diſſectum menſae infertur; rarius vero ad condiendos illos uſurpatur. Tulit eadem haec arbor fructus, tanta medullae copia in medio haud exuberantes; quanta in ſchemate depictum tumere vides. Primitiae hae erant, quas anno 1706. arbor dedit, ſeptem uncias pendentes: poſtmodum fructus praebuit primitiis multo maiores. Aliquot illa annos in vaſis hoſpitata maioribus, quotannis florum canitie iuveneſcebat; neque tamen foetus enitebatur. At in pomarii area cum palis maritata ſaepius fecunditatis ſpecimina edidit.



S. Leonhard.

CAPUT XXXII.

Limon Citratus alter, et tertius.

Triplicis generis Limon cum meis in hortis floreat ; priori alterum tertiumque addere aequum cenſui. Et alter quidem in latum diductus potius quam rotundus, anno 1699. primum, et deinceps quotannis mihi natus eſt. Folia undique denticulata habet , rubedine tenerioribus adſperſa: maiorum quoque fibrae et venae quaſi ſanguine repletae rubent : ſeneſcentia denique diluſe virent , aculeis ad illorum internodia ſive genicula enaſcentibus. Flores non uti in priore conſtipati , ſed ſinguli hinc inde gemmant, dilute qua petalorum exteriora roſei. Succedunt his fructus ex rubicundo ſaturate virides ; globoſi fere , parumper tamen in longitudinem declinantes ; papilla utplurimum extuberantes. Ab arbore, etiam maturi, tenaciter haerent diutius, menſe Martio demum decidui. A corio dilute citrino carne pingueſcunt albicante. Haec uti copia excedit prius pomum ; ita et guſtu gratior, citreisque malis plane congener eſt. Pulpa vero viridicans paululum aceſcit.

Tertii generis pomum artificis quidem caelo haud eſt effictum : propius enim a prioribus abeſt. Arbore gignitur facili ad pariendum et proclivi; cuius folia lata, craſſa , obtuſa , margine fimbriato citri more aculeata. Pomorum prima viriditas profundo rubore mixta eſt ; quo , cum ad maturitatis tempus fere pervenerunt, amiſſo , capite viridi praedita ſunt magis globoſo , quam bina genera priora : denique nec corii denſitas , nec medullae ſolidioris paucitas, tam grato atque illa ſapore commendabilis.

CAPUT XXXIII.

Limea Aurantio congener.

Ital.

Limea Aranzata.

Habitaverat aliquandiu lauteque vixerat in amici cuiusdam citreto malus haec non mala , eademque una cum aliis ſimilibus, pretio dato et accepto, in meum viridarium transmigravit. Haec illa eſt, de qua Partis I. Capite VIII. retuli, eam facili comae defluvio luxiſſe hanc migrationem; et , quamvis altero tertioque anno poſt florum ubertate eſſent tum haec tum reliquae praegravatae, comae tamen ornamenta ſumere recuſaſſe. Sed et florum vegetatio minor erat languidiorque: firmiter tamen iidem palmitibus adhaereſcebant. Haec res cum mihi nova videretur et inuſitata, quandoquidem arbores e ſolo evulſae, novoque implantatae, communiter binis tribusve annis prioribus ſterili tantum foliorum ornatu vigent, ramorumque et ſurculorum augmenta


faciunt, priusquam floris fertilitate albeant : cauſſam diu quaeſitam, invenire tamen certam, firmam ac ſolidam haud potui. Neque etiam in vario ſtellarum poſitu, indeque pendente in haec ſublunaria, operatione efficaci, (quae fortaſſis haud immerito a plerisque viris cordatis negatur,) quidquam praeſidii invenire licuit ; etſi una eademque hora omnes, quae tale quid paſſae ſunt, arbores ſolum mutarint. Triennio exacto, folia quidem ſed ſparſim iterum germinare coeperunt : at nondum ea comae dignitate, quali antea fuerat tecta, inumbratur. Ceterum caput egregie effert, ita ut eminens eius corona tranſitum viro concedens, hunc contingat neutiquam : frugesque, nec eas parce, profert reliquo limonum choro durabiliores. Folia craſſa et rigida in faſtigium coëunt fere retuſum ; quorum ſaturate viridium alia, qua petiolo connectuntur, articulum cordis effigie formant; alia ſine hoc eriguntur ; cetera foliorum eius arboris, quae poma a primo homine cognominata parit, indolem paene exaequantia. Durabilis eſt haec malus ; unde de hac ipſa durabilitatis praeſtantia notam poſſe deſumi minime fallacem mihi perſuadeo : Omnes limonias denſa frondium craſſiorum ſilva obumbratas aëris noſtri eſſe patientiores, quam reliquae, hoc munimine quaſi et tecto firmo, utpote quarum folia tenuia ſunt, deſtitutae. Has proinde in diotis culturae gratia commodioris ſtatuerem, quo pro caloris frigorisque mutabilitate nunc huc nunc illuc transponi queant. Verrucae ſpinaeque perpetuo hic abſunt. Flos roſeo foris rubore perfuſus. Cruda frugum labruſca initio amoene herbacea eſt : ea deinde excocta, (id quod ſero fieri ſolet, cum inter omnia ſit maxime cordum hoc pomum,) colore ſaturate citrino tandemque aureo oculos paſcit : hinc nomen Limeae Chryſomelianae ſive Aurantio congeneris inditum a vicinis Benaco colonis. Globoſa alias magnitudine conſpicuam, verticis faſtigium adſpectu gratioſiorem reddit : octo plerumque aut novem uncias ſingulae pendent ; corio polite aequali, caſtigateque craſſo, amaricante: pulpa plurimo ſucco acido diffluente et ſulphureo colore impraegnata. Indoles et natura huius mali venditori plane erat incognita, utpote qui limoniam mihi dulcem venditaret. At poma, quae dedit, ſubacida, quantum aberraverim, docebant. Neque vero inſtitores Itali, qui quotannis horum ad nos copiam advehunt, nomen aut genus me edocere poterant : ipſis enim fructus aeque ac arbor, utrumque enim praemonſtravi, ignoti. Fruſtra quoque, transmiſſo in Italiam pomo, illos Heſperidum cuſtodes conſuluiſſem ; niſi forte fortuna anno 1707. Italus quidam mecum communicaſſet pomum aliquod hoc nomine decorum : ex cuius paritate cum meis et denominationem et indolem arboris dignoſcere bono omine concedebatur.

* * *

CAPVT XXXIIII.



In Hrn: Doct: Schobers garten.


Limon dolce ordin. 1702.

CAPVT XXVIIII.

Limonium ſaccharatum coniferum.

Ital.

Limon Zucherin col pigolo.

VIdimus iam pag. 133 Limonem ſaccharatum eiusdem fere generis, cuius hic alterum damus et alium, in eo a priore diverſum, quod manente floris apiculo veluti roſtratus. Arbor ad proceritatem mediocrem, in teſtis fere maioribus apud nos adoleſcit, mitiſſima, nullis aculeis horrida; coma ſubviridi, eaque reliquarum Limoniarum ornatui folioſo minime ſuppari. Florum foliola ſpecioſorum longa ſunt, anguſta, ubique candicantia. Foetus praeteneri adhuc, amoene virent, roſtrumque cum flore enatum etiam maturi raro demittunt; interdum in papillam deſinentes. Corium ex viridi fit lucidiſſime citrinum, tenue, nulla inaequalitate glabrum, aromatum amoenitatem ſive odoratus fueris, ſive guſtaveris, prae ſe ferens; carne ſuffartum, qualis aurantiorum eſſe ſolet, rubicunda magis quam flava, ſuccoſa, dulci. Pomum hoc maturitatis tempore perfectum quantitate multum ſuperat ſchema praeſentis, quod primis maturitatis diebus eſt effigiatum. Adhaec primitiae ſunt hae, quas tenella arbor anno 1707 tulit: eamque cum virium incrementa ceperit maiora, poma etiam ſpecioſiora Luſitanorum dulcium aemula daturam nullus dubito. Pondus huius ſex unciarum erat.

CAPVT XXX.

Limon Irritator Appetentiae, et Ballotinus Hiſpanicus.

Ital.

Limon aguzza appetito et Ballotin di Spagnia.

DVplicem hoc in capite Limonem, quem in Calabrico tractu frequenter provenire tradit Ferrarius, unica pagella deſcriptum ſiſto; quorum alter, et ille quidem minor, ab eodem viro doctiſſimo pag. 209 *Limonis puſilli Calabri*, itemque *Irritatoris Appetentiae* nomine inſignitur. Vtrumque arboris genus hac aquilonari aëris regione teſtaceorum ligneorumve receptaculis vaſorum vult aſſervari. Et eius quidem, qui anno 1701 priorem peperit limonem, proceritas non admodum alta; ſpinifera eſt haec malus, foliisque paulo minutioribus et ovatis conveſtita. Meo in horto ſerius floret, cum tamen in regionibus ad Auſtrum

Auſtrum propius ſpectantibus quovis anni tempore et flore et fructu nitere ditata perhibeatur. Flos eſt puſillus, et albus; pomum ad nucis iuglandis magnitudinem extumeſcit, orbiculatum ac laeve, conum gerit a flore reſiduum in maturitate aureum. A cute tenuiſſima, eaque amariuſcula, et moſchum redolente totum in medullam abit ſucco ſulphurei coloris iucundeque acidulam.

Alterius generis malus maiora utique poma parit, adnato nomine Ballotin di Spagnia. Priore vix altius aſſurgit, foliis decora citrinis, niſi quod breviora, ac fere laureis, uti vult Ferrarius; in ambitu dentata, laete virentia. Rami ſpinarum non quidem plane expertes, paucioribus tamen onerati. Florum, quorum canitie iuveneſcunt, gemmae primo roſeae, dein tumeſcentes et iam dehiſcentes albeſcunt, tandemque expanſi flores candidiſſimo colore ſuffunduntur. Capillamenta in florum medietate ſurgentia, quae in acrumine vulgari apicibus plerumque flavis donata, ſubflavos gerunt apices ac fere albos, eiusdem videlicet coloris, quo ipſa filamenta conſpiciuntur. Frugum prima ſtatim rudimenta amoeniſſime virentia, cum ad maturitatem perveniunt, corium laeve admodum et tenue colore ſtramineo tingunt; dorſum cultri fere illud craſſitie adaequat, ſapore limonum vulgarium conſimili; exiguam carnem, ſolo ſuavem acrimoniae ſubviridis ſucco includit. Non ſegnem materna huius pomi arbor cultorem requirit: diligentiam tamen cita florum facilitate, frugumque aſſiduitate penſat. A Benaco eam huc allatam anno 1702 plantavi, et anno proxime inſequenti florum, annique 1704 menſe Ianuario pomorum fecunditate praematura luxuriabat.

CAPVT XXXI.


pag.160.a.
Limon Zucherin col pigolo
Herrn Martell Garten.



In Herrn Doct: Schobers garten.

CAPVT XXXI.

Limonium Citratum.

Ital.

Limon Cedrato.

CItrati Limonis nomen in Italia et a vicinis Benaco agricolis, pluribus Limonum generibus vindicatur. Communiter enim ita vocant omnes Limones, quorum cutis et caro obeſior, medulla vero parciſſima. Quam congrua haec ſit denominatio, alii videant. Mihi videtur, vera citreorum nota, quae eſt odor gratiſſimus et iucundus acor cum amaritudine permixtus, pleroſque carere: eam tamen, ſi nomen tueri velint, deeſſe nec poſſe nec debere. Non natum, ſed factum eſt hoc genus arboris: Limonis enim gemma, inoculationis beneficio malo citreae inſita, tales filios parit; et eos quidem ſuaviores, ſi poſt primum floris partum eidem ſtirpi altera gemma denuo uniatur. Iure itaque haec poma, Citri filios nuncupat Ferrarius, quippe quae citrea ſimilitudine fere adaequant. Maternam pomi hic effigiati ſtirpem, in pomario defixam, palis ſuffulſi magno meo et arbuſculae commodo. Folia exuberante virore nigricant, pleraque ampla, ambitu laciniofo, ſpinarum praeſidio metuenda; ita ut facillime citrum mentiantur. Praeterea de citri more floribus ridet conſtipatis, magnitudine notabili, et exterius purpura ſubfuſis. Poſtquam vero foliola iidem demiſerunt, fructus ſtamina, quae prodeunt rotunda, ex limonum genere eſſe aperte indicant: citreorum namque figura fere cylindrica eſt, uti Partis II Capitibus I. II. et III. dictum. Novellorum viror amoenitate delectat: eademque, niſi hieme defluant, inſignia capiunt incrementa, partim ſubrotunda, partim papilla cuſpidata; (*vid. figuram.*) Poma ex cordorum claſſe ſunt, utpote quae vix menſe Ianuario vel Februario anni, laetam floris profuſionem inſequuti, matureſcunt, languido colore flaventia. Exteriore hoc corio ſubamaro caro tegitur ſolida, dulcedine iucunda pomis citreis perquam ſimili. Quae poſt eam flaveſcens latet pulpa, itidem ſubdulcis iucunde manditur. Vnde cum cibis fere orbiculatim diſſectum menſae infertur; rarius vero ad condiendos illos uſurpatur. Tulit eadem haec arbor fructus, tanta medullae copia in medio haud exuberantes; quanta in ſchemate depictum tumere vides. Primitiae hae erant, quas anno 1706. arbor dedit, ſeptem uncias pendentes: poſtmodum fructus praebuit primitiis multo maiores. Aliquot illa annos in vaſis hoſpitata maioribus, quotannis florum canitie iuveneſcebat; neque tamen foetus enitebatur. At in pomarii area cum palis maritata ſaepius fecunditatis ſpecimina edidit.



S. Leonhard.

CAPVT XXXII.

Limon Citratus alter, et tertius.

TRiplicis generis Limon cum meis in hortis floreat ; priori alterum tertiumque addere aequum cenſui. Et alter quidem in latum diductus potius quam rotundus, anno 1699. primum, et deinceps quotannis mihi natus eſt. Folia undique denticulata habet , rubedine tenerioribus adſperſa: maiorum quoque fibrae et venae quaſi ſanguine repletae rubent : ſeneſcentia denique dilute virent , aculeis ad illorum internodia ſive genicula enaſcentibus. Flores non uti in priore conſtipati , ſed ſinguli hinc inde gemmant, dilute qua petalorum exteriora roſei. Succedunt his fructus ex rubicundo ſaturate virides ; globoſi fere , parumper tamen in longitudinem declinantes ; papilla utplurimum extuberantes. Ab arbore, etiam maturi, tenaciter haerent diutius, menſe Martio demum decidui. A corio dilute citrino carne pingueſcunt albicante. Haec uti copia excedit prius pomum ; ita et guſtu gratior, citreisque malis plane congener eſt. Pulpa vero viridicans paululum aceſcit.

Tertii generis pomum artificis quidem caelo haud eſt effictum : propius enim a prioribus abeſt. Arbore gignitur facili ad pariendum et proclivi; cuius folia lata, craſſa , obtuſa , margine fimbriato citri more aculeata. Pomorum prima viriditas profundo rubore mixta eſt ; quo , cum ad maturitatis tempus fere pervenerunt, amiſſo , capite viridi praedita ſunt magis globoſo , quam bina genera priora : denique nec corii denſitas , nec medullae ſolidioris paucitas, tam grato atque illa ſapore commendabilis.

CAPVT XXXIII.

Limea Aurantio congener.

Ital.

Limea Aranzata.


HAbitaverat aliquandiu lauteque vixerat in amici cuiusdam citreto malus haec non mala , eademque una cum aliis ſimilibus, pretio dato et accepto, in meum viridarium transmigravit. Haec illa eſt, de qua Partis I. Capite VIII. retuli, eam facili comae defluvio luxiſſe hanc migrationem ; et , quamvis altero tertioque anno poſt florum ubertate eſſent tum haec tum reliquae praegravatae , comae tamen ornamenta ſumere recuſaſſe. Sed et florum vegetatio minor erat languidiorque : firmiter tamen iidem palmitibus adhaereſcebant. Haec res cum mihi nova videretur et inuſitata, quandoquidem arbores e ſolo evulſae, novoque implantatae , communiter binis tribusve annis prioribus ſterili tantum foliorum ornatu vigent , ramorumque et ſurculorum augmenta

faciunt, priusquam floris fertilitate albeant : cauſſam diu quaeſitam, invenire tamen certam, firmam ac ſolidam haud potui. Neque etiam in vario ſtellarum poſitu, indeque pendente in haec ſublunaria, operatione efficaci, (quae fortaſſis haud immerito a plerisque viris cordatis negatur,) quidquam praeſidii invenire licuit : etſi una eademque hora omnes, quae tale quid paſſae ſunt, arbores ſolum mutarint. Triennio exacto, folia quidem ſed ſparſim iterum germinare coeperunt : at nondum ea comae dignitate, quali antea fuerat tecta, inumbratur. Ceterum caput egregie effert, ita ut eminens eius corona tranſitum viro concedens, hunc contingat neutiquam : frugesque, nec eas parce, profert reliquo limonum choro durabiliores. Folia craſſa et rigida in faſtigium coëunt fere retuſum; quorum ſaturate viridium alia, qua petiolo connectuntur, articulum cordis effigie formant; alia ſine hoc eriguntur; cetera foliorum eius arboris, quae poma a primo homine cognominata parit, indolem paene exaequantia. Durabilis eſt haec malus; unde de hac ipſa durabilitatis praeſtantia notam poſſe deſumi minime fallacem mihi perſuadeo : Omnes limonias denſa frondium craſſiorum ſilva obumbratas aëris noſtri eſſe patientiores, quam reliquae, hoc munimine quaſi et tecto firmo, utpote quarum folia tenuia ſunt, deſtitutae. Has proinde in diotis culturae gratia commodioris ſtatuerem, quo pro caloris frigorisque mutabilitate nunc huc nunc illuc transponi queant. Verrucae ſpinaeque perpetuo hic abſunt. Flos roſeo foris rubore perfuſus. Cruda frugum labruſca initio amoene herbacea eſt : ea deinde excocta, (id quod ſero fieri ſolet, cum inter omnia ſit maxime cordum hoc pomum,) colore ſaturate citrino tandemque aureo oculos paſcit: hinc nomen Limeae Chryſomelianae ſive Aurantio congeneris inditum a vicinis Benaco colonis. Globoſa alias magnitudine conſpicuam, verticis faſtigium adſpectu gratioſiorem reddit : octo plerumque aut novem uncias ſingulae pendent; corio polite aequali, caſtigateque craſſo, amaricante: pulpa plurimo ſucco acido diffluente et ſulphureo colore impraegnata. Indoles et natura huius mali venditori plane erat incognita, utpote qui limoniam mihi dulcem venditaret. At poma, quae dedit, ſubacida, quantum aberraverim, docebant. Neque vero inſtitores Itali, qui quotannis horum ad nos copiam advehunt, nomen aut genus me edocere poterant: ipſis enim fructus aeque ac arbor, utrumque enim praemonſtravi, ignoti. Fruſtra quoque, transmiſſo in Italiam pomo, illos Heſperidum cuſtodes conſuluiſſem; niſi forte fortuna anno 1707. Italus quidam mecum communicaſſet pomum aliquod hoc nomine decorum : ex cuius paritate cum meis et denominationem et indolem arboris dignoſcere bono omine concedebatur.

CAPVT XXXIIII.



In Hrn: Doct: Schobers garten.


Limea Aranzata
In Herren Dr. Falckners Garten.

CAPVT XXXIIII.

Lima dulcis.

Ital.


Lima dolce.

HEic demum in ſcenam prodit Limon , qui ex vero Limae dulcis cognomen gerit : quamvis alii Limettam Hiſpanicam dulcem nuncupare malint. Coronam geſtat arbor materna in ſcapo excelſo , ſi quidem pomarii alumna eſt; ita ut illius umbella viae tranſitum non adimat. Conſtanti vivacitate facile perdurat ; vegetamque frugum meſſem quotannis pollicetur et percoquit. Folia in longum decenter protenſa ſuaviter virent , nec a foliis limonum abludunt , margine denticulato , circa ramorum genicula ſpinis obſita. Flores albidi coloris contractiores ſunt, paene inodori et infrugiferi : quos tamen a frugiferis ea , quam alibi tradidi , ratione haud difficulter diſcernes. Frugum prima ſtamina iucundo virore ſplendent , in iugo veluti edito vertex , qualis limarum plerarumque papilla eſt , aſſurgit : ceterum corpore conſtant exacte rotundo, nitidiſſime croceo : quo tamen colore menſe demum Novembri vel Decembri, interdum et Ianuario pinguntur ; uti nimirum floribus nunc primis nunc ſerotinis ſuccedunt. Cuticula eorum praetenuis, cum carne exili vix cultelli dorſum craſſitie aequat : iucunde tamen condimenti ſaporem ſapit. Medulla vero perampla fluido ſubdulcique ſucco abundat , colore albido ſulphureum temperante. Meus pomi arbos, cum adhuc junior, apte eſt conformanda, ne ramorum alii ſine ordine incurvi, alii proceri et eminentes, ad coloni leges inflecti poſtmodum ac diſponi renuant. Et quoniam altius ſubinde ſurgunt, in vaſis conſitarum ſurculi decacuminandi ſunt. Libentius tamen in pomarii ſolo quam in modica vaſorum terra virent; et fructus faciunt tum plures tum ampliores ; quibus ſchema adiectum multo eſt inferius.

In Capitis XIIII. Part. I, ubi de Inſectorum noxa agebatur , ſupplementum hic deſcribo vermiculum, folio huius arboris inſidentem ; quem e ſcarabaeorum eſſe minutorum claſſe iudico. Sunt illius genera complura, mere coccinei alii, alii coccinei maculis atris interſperſis; alii ex ſulphureo nigroque ſimiliter variegati; quidam et formam maiorem referunt. Hic vero cantharidis nitebat viriditate, quae tamen ex luteo nonnihil temperata , ut citrini folii virorem dilutiorem aequaret. Cetera reſplendebat quaſi ex vitro pellucidus , ea forma , quam *lit. a.* expreſſam vides. *Lit. b.* examen per microſcopium repraeſentat vermiculi reclinati ; cuius caput dilute croceum ; corpuſculi pars anterior ſubnigricans , inferior croco itidem ut caput picta, et pedes ex viridi aureſcentes, pariterque ut dorſum coruſci , miro colorum luſu oculos delectabant. Inſederunt quoque iisdem foliis vermiculi ſpadiceo badiove colore elegantes. Sed nimium ne crede colori !

Habetur et alia Lima vulgatior, eademque acida, cuius uſus eſt , ut ſale macerata et ab Italis copioſe transmiſſa, cibos varios condiat; et palatum excitet eorum ,

qui poſcunt vario multum diverſa palato.



In Hrn: Doct: Silberrad garten.


CAPVT XXXV.

Pomum Adami vulgare.

Ital.

Pomo d' Adamo.

ET feracitate et durabilitate commendabilis prae ceteris citreorum malis eſt arbor, noſtrate hoc pomo, quod ab Adamo nomen habet, fecunda; eademque ex pomarii area in proceritatem decenter enaſcitur: at cultui ac diſciplinae coloni non adeo morigera, et in coronam vix cogenda: ideoque frondibus indecoris ſemper falx adhibenda, ne in vepretum omnes degenerent et ſilveſcant. Frequenti enim putatione deformibus reciſis, reliqui facilius vel recti educuntur, vel pro coloni libitu incurvantur. Spicula quoque, ſed rariora, ad foliorum eruptiones exacuit; quae ampliora ovato adſpectu ſatis patent, ſolidaque craſſitudine rigent, interdum in margine criſpantur. Flos foliis maioribus quam chryſomelorum, foris rubentibus compactus; ſed ignavi odoris. Ex acruminum enim genere flos hic, et, quem elicit, fructus ignobiliſſimus eſt, et exigui plane uſus: ornamento tamen hortis eſſe creduntur. Poſtquam defloruit, pomi rudimentum fuſco colore nigricat; unde in Belgio Limonis fuſci vel nigri cognomen invenit. Globoſus eiusdem orbis ſuperne nonnihil depreſſus eſt, quaſi dentium morſu arroſus; unde fabula vulgatior exiit, vetiti fructus admorſum, qui primos parentes ex horti Edeni poſſeſſione exterminavit, eo praefigurari: nomen profecto de eo traxit. Poma coloris ardenter crocei, magnitudine diſcrepant ab aurantiis: quantitatem etenim et pondus octo unciarum excedentia mihi provenerunt. Cortex ſatis denſus et amarus, ad veſcendum ingratus: medulla vero ſubviridicans et acidiſſima; quae tamen in re culinaria quandoque, licet rarius, emolumento eſſe posſit. Aureum ſuum colorem maturitati proxima iam inducunt menſe Septembri vel etiam Octobri, ut adeo cognatis quibuslibet felicius adoleſcant. Ipſae quin etiam arbores novellae brevi annorum decurſu feraciſſimae exiſtunt; ſed in area plantatae frequentem ſtercorationem poſcunt; quolibet nimirum biennio vel ad ſummum triennio, ſeneſcentes praeſertim, fimo laetificandae. Iuniores tamen ſemper feraciores. Hoſpitatur meo in viridario iam ultra annos ſexaginta eiusmodi arbor, nunc paene effoeta. Praeter hoc alia acruminum genera, crebriori partu viribus per aliquot annos exhauſtis, parere deſinunt; nec niſi rara cernuntur in arbore poma.


Pomo d' Adamo.
Fontain in Herrn J.J.
Peller Garten.

CAPVT XXXVI.

Pomum Adami Citratum.

Ital.

Pomo d' Adamo Cedrato.

INſitivis e nuptiis partus extitit citreorum multiplex formoſe adulterinus: adulterinum voco, quod alterius generis gemma vel ſurculus, citreae malo maritatus, fructus profert dubios. Et hoc Adami pomum, quod ſchemate ſubiuncto depictum vides, in citri ſcapum inſitio peperit. Eximiam pomi bonitatem ſpondet gemmae ex adulterina hac arbuſcula in citream vel limoniam Luſitanicam iterata propagatio. Haec ergo malus in nativo areae ſolo plantata et inoculationis beneficio propagata, paucos intra annos inſigniter adolevit, pomis ut plurimum ſexaginta aut octoginta ſpecioſe gravidata: ipſa quoque duritie, utpote ſub caelo noſtro nata et alta, optabilis et aëris patiens. Foliorum habitudo per omnia conſimilis foliis mali, Pomi Adami matris, niſi quod in longitudinem porrecta magis. E ramorum ordinibus ſpicula hinc inde exeunt. Flores effuſe ampli, et foris roſei, in fruges deſinunt primo germinatu paene denigratas: inde ſaturum hae virorem ſenſim abſtergunt, et denique vulgaribus Adami pomis fiunt aequales, morſu quoque notatae. Quae a floribus primis exeunt, reliquas ſerotinis ſuccedaneas magnitudine multum antecedunt. Ipſe meſſui ex hac arbore poma, quae appenſa duodecim uncias et amplius aequabant. Minora, quae floris cordi filios eſſe dixi, cum pomo Adami vulgari compoſita, ab invicem aegre dignoſcuntur. Diſcerniculum tamen diſſecta facillime produnt. Cortex citrati temperate croceus citri ſuavitatem reſipit: vulgaris vero, quod hoc nomine fertur, pomi corium amaritiem reſipit. Caro utriusque albida, craſſa itidemque amara dilatatur. Medulla Citrati flavedine pallida, illius mediocriter vireſcens: utriusque vero ſapor acore permixtus notabili; ita tamen ut vulgaris ſit acutior. Citrati itaque, quo nomine ab Italis huc negotiationis cauſſa advenientibus decorantur, uſus in re culinaria potior habendus.

Annus ſeptimus ſupra milleſimum ſeptingenteſimum inſolitae fructum formae, et monſtris accenſendum, in hac arbore produxit, in longitudinem rotundum, cacuminatum, uti *lit. a.* videre eſt. Vulgo autem poma Adami omnia orbiculatae rotunditatis ſpeciem praebent. Neque admorſu, quem vocant, iſte fructus mutilatus erat; ſed aequabili laevore faſtigiatus. Ceteris partibus a pomis fraterculis non diſtans, hoc eſt alius et idem.


a
pag. 170.
Pomo d'Adamo cedrato.
Im Scheuerliſchen garten
an der Bucher-Straßen.

CAPVT XXXVII.

Bizariae genus multiplex.

Bizariae fructum tum Romae tum alibi *mirabilem Hiſpanicum* denominant: neque immerito. Admiratione enim omnino dignum eſt, indefeſſa hominum arte ac ſagacitate id effectum dari potuiſſe, ut diverſiſſima poma in unum concreſcant; et ſingula tamen videantur. Non rarae equidem hodie ſunt arbores, quae poma ferunt bina ac plura, pro gemmarum inſitarum diverſitate varia, indolisque diverſae. At in uno Bizariae pomo diverſorum fructuum, citreorum puta, limonum et aurantiorum, partes videre ſtudio quaſi et arte humana coniunctas, miraculi inſtar, et, niſi experientia probaret, incredibile haberi poſſet. Eiusdem vero arboris ramuli non omnes ita luxuriant: pars nil niſi citrea perfecta, pars aurantia ſola foetificat. Hinc rurſus e citreo ramo erumpit frons aurantiorum vel limonum; et ex aurantii ſurculo Bizariae progenies vel citri; neque tamen novo inſitionis labore provocata. Tanta ergo cum ſit arbuſculae luxuria, exemplo colonorum Salodienſium, (ipſe enim teſtis oculatus hoc comperi,) rectius in teſtis maioribus ciſtisve ligneis collocatur; ne vel delibratione pereat, vel in aurantium vulgare degeneret.

Prima Bizariae ſpecies, quae vero hoc nomine gaudet, folia nutrit anguſta, muricatim intorta et leviter denticulata, eademque ſaturato virore obfuſcata. Fibra, quae folium alias medium percurrit, maxima hic non raro in illius oram aberrat, partesque inaequaliter dividit. Florum petala externa coccineo colore ludunt. Neque in pomis nondum maturis congener aurantiis pars obſcura eſt, colore praſino et opaco a parte citrina, quae ſmaragdina potius, facile dignoſcenda: amplius et haec illa citius luteſcit: illa enim aurantiorum aemula menſe demum Ianuario maturatione e viridi fit flava. Pomo oblique ſecto, patet continua corticis integritas, neque ea ullo modo interciſa aut interſtincta: ſervat quoque utraque pars, ſi exceperis meditullium, illa aurantii colorem et amaritudinem; haec citrei Florentini (ex huius enim genere eſt) corticem craſſum, ſaporem, odoremque ſuavem: ipſa etiam huius partis pulpa ſubacida albicat. Non una autem eademque omnibus Bizariis forma eſt: nunc enim aureſcentis pomi particulae in ſtrias diviſae ſunt; nunc tertia fructus pars aurantium eſt; interdum angulari forma enaſcuntur: tanquam Proteus aliquis, cui

— — *in plures ius eſt transire figuras.*

Figura ea, quam ſubiectam proxime vides, maturuit meo in viridario pomum anno 1707. cuius arbor in ipſa pomarii area nitidiſſime floret. Certabat illud et elegantia et magnitudine cum omnibus, quotquot vel Roma vel Benaci ager mihi conſimilia liberaliter indulſit, noſtratisque ponderis tredecim ſemuncias pendebat.

Fert eadem haec arbor aliud Bizariae genus rotundum, cum cono ſive papilla eminente, a qua ad pediculum usque multae decurrunt ſtriae virides, tanquam totidem fila tenuia. Fructus primi, uti aurantia omnia, lienari rubore atrati ſunt; ſed his aliquanto minores: puniceo quoque colore, aeque ut iſta, maturi tinguntur; ſtrias tamen, tunc dilutiores, ſervant: cetera exacte globoſi et laeves: cortex eorum, ſi diſſectos inſpexeris, cortici aurantiorum ſimillimus: pulpa vero citrei eſt, albida et acida: hic tamen acor quadam non raro amaritudine permixtus. Frondium non alius decor, quam qualem proxime deſcripſi.

Germinant quoque ex citreae mali ramis ſurculi, quorum etſi folia fere eadem, flores tamen extrinſecus carnei. Quae his ſuccedunt poma oblonga minusque obeſa, ad citreorum claſſem iſta referenda eſſe, ſtatim ſubindicant.

Veniente maturitatis tempore, (matureſcunt autem menſe Novembri vel Decembri,) citrea Florentina mentiuntur, ex amplo ventre in apicem cacuminatum excurrentia; odore et guſtu non ingrata, medulla modica acidiuſcula. Surgunt praeterea ex eadem citro frondes aurantiorum, foliis floribusque facillime notabiles; pomis aurantiis vulgaribus fertiles. Crebro recidi illas oportet, ne frequentiores Bizariae vim generandi imminuant, ita ut omnis denique arbos in Aurantiam degeneret; praecipue enim pabulo laetiori nutritae in viridarii ſolo a praeſtantia ſua ſenſim deſciſcunt. Medela huic malo, ubi videlicet frondium auraſcentium copia maior evaſit, nulla eſt; iis enim falce deiectis, non raro mortis periculum arbori imminet, ut adeo ſatius videatur, aliquem habere arborem, licet minus praeſtantem, quam nullam. Venit ad me emtionis iure aurantia, fecunda pomorum acidorum nutrix: ſed iam ante aliquot annos Bizariae frondes ſub corona binae emerſerunt, foliorum habitu a reliqua arboris coma diverſae, eaedemque ſatis validae adoleverunt huc usque. Vt ceterarum imminutione et deiectione ſuccedanea, harum viribus robur adderem, ſollicitus fui.

Sunt, qui ſibi aliisque perſuadeant, partem ex medulla Bizariae medullae aurantiorum colorem aeque ac ſaporem imitari: experientia tamen, et ipſius pomi conſpectus ocularis, refragari videntur: Licet enim Bizariae pars maxima aurantium retulerit, nihil tamen, praeter corticem et carnem, aurantio ſimile habebat. Medulla ſemper albido acore infecta, qualis citreorum eſſe ſolet; nec niſi, qua aemulum aurantii corium excipiebat, leviter amara.

CAPVT XXXVIII.




In ehedeſsen Herrn Blumertiſchen, und nun beeden Herrn Buirettiſchen Garten.



In Herrn Prof. Doppelmeyers Garten.



a. Der Tiſch worauf die Abweichung des Magnets. I. C. Steinberger fec:



I. C. Steinberger fec.


CAPVT XXXVIII.

Malum Citratum Mirabile flore pleno et fructu prolifero.

Ital.

Cedrato con fior è ſugo doppio.

OMnem paene ſuperat fidem, Bizariae ſubolem eſſe fructum, quem caelo artificioſe hic deſcriptum exhibeo. Sed dubitare de eo nos haud ſinit tum certa amici fides, qui id pomi ſua manu decerptum mihi Lipſia anno 1705. benevole transmiſit; tum folium, quod adnatum adhuc firmiter cohaerebat. Tu vero, Spectator humaniſſime, admirare exuberantes naturae luſus, benignitatemque prorſus inexhauſtam. Varios fert eadem arbor fructus, ſed eos figura et forma externa ſibi invicem nunc plus nunc minus diſſimiles; niſi quod ſimul ex illa pendeant ex vulgarium claſſe aurantia. Haec vero, quae nunc damus, poma rariſſima, in eo a reliquis omnibus abeunt, quod aurantii indoles et natura hic prorſus exulet: et cum aliae aurantiorum, uti modo dixi, ſint feraces vulgarium; haec citrea genuina profert. Quemadmodum ergo Italiae et Hiſpaniae coloni, luxus artifices, hibrida haec faciunt poma, dum ex citro, limonia aurantiaque gemmas artificioſiſſime coniunctas ſimul inſerunt: ita hanc arborem natam eſſe auguror ex gemma citrea flore pleno cum limonis oculo maritata: indeque nunc fructus proliferos gigni; nunc mere citratos. Forma huic pomo magna ex parte tumens; inde faſtigio mucronata. Cutis tenera ac laevis; in latitudinem tamen craſſioris incrementi, utpote citrati: color aureus intenſior, odorem ſpirans ſuaviſſimum, qui totum conclave compleret facile. Eo in ſegmina bina ſummatim conciſo, bina interius poma apparebant, vertice ab exteriore ambiente comprehenſa; avelli tamen haud difficulter poterant: horum cutis itidem aurea, poſt quam candida quidem caro, at nulla ſe medulla offerebat, Reſecabam alterum tertiumque ſegmen, et poſt utrumque bina ſemper alia, adeoque ſex poma univerſim latentia detexi. Medullam habebat pomum exterius, concludens reliqua, acore temperatam, una cum cortice guſtatu gratiſſimam: utpote quae iuxta cum foliorum ornatu Bizariae citratae paulo ante memoratae conſimilis.



Herrn Dr. Falchner jetziger Garten.


Cedrato
col Pigolo é Sugo doppio
In Herrn Doct: C.M. Fezers Garten.

CAPVT XXXIX.

Malum Citratum Mirabile coniferum fructu proliſero.

Ital.

Cedrato col pigolo è ſugo doppio.

DVbitationem, ſi qua in animis haereret legentium naturae miracula, capite ſuperiore enarrata, tollere poteſt congener hoc pomum rariſſimum, quod lautiſſimum, omnigenaque herbarum ex altero orbe allatarum, et plantarum virentium amoenitate refertum D. Ioannis Georgii Volcameri, Leopoldinae Academiae Naturae Curioſorum Collegae et Medici Norimbergenſis Ordinarii, viridarium, anni 1706. menſe Ianuario, eiusque arbor Bizaria dicta praebuit. Nihil do amicitiae noſtrae et neceſſitudini, ſi dixero, ex omnibus iisque non paucis naturae miraculis, quorum aliquot in praecedentibus exhibui capitibus, hoc eſſe praeſtantiſſimum. Ad pondus ſex unciarum grandeſcebat pomum, in arbuſcula vaſis tantum hoſpitio excepta. Folia indolem habent et naturam mirabilium eiusmodi arborum. Poma vero citrei coniferi, ſive Iudaici, ab huius uſu in feſto tabernaculi neceſſario ita dicti, ſpeciem praebent, adeo ut facile invicem permutari queant; gerunt quoque in vertice notam characteriſticam, conum videlicet aut ſtilum oblongum : guſtu praeterea idem ſapiunt, et odore eodem ſunt infecta. Illud autem admiratione digniſſimum, foviſſe pomum hoc ſuo in ſinu foetum tenellum, cuius cutis ultra dimidium eleganter citrina, ea parte, qua pomum pediculo connectebatur, matris utero firmiter agglutinata inſiſtebat. Matris medulla candida aceſcebat, uti reliqui fructus Bizariae. Neque illud memoratu indignum, menſe Maio ineunte floruiſſe iam arborem, frugemque flori ſuccedentem cita ſumſiſſe incrementa; cumque vehemens illius anni aeſtus urgeret, novem decurſu menſium, cum alias intra anni cum dimidio ſpatium vix excoquantur, ad maturitatis complementum pertigit. Sed ex floribus eiusdem arboris ſerotinis prodierunt poma vulgaribus haud maiora.

Rarius equidem apud nos Acrumina mature grandeſcunt: Bergamottae tamen arbor, viridarii ipſius hoſpes, praecoces tulit flores, et fructus fecit ſub anni ſequentis primordia perfectos. Qua felicitate, ſi in felicitatis numero id habendum, quidam neceſſariorum meorum fuit beatus.

LIBRI TERTII FINIS.

NORIM-

HESPERTHVSA



P. Decker del. et sculp.

NORIMBERGENSIVM HESPERIDVM LIBER QVARTVS, HESPERTHVSA.

* * *

CAPVT I.

De Aurantiis generatim.

LVſtratis non ſine ingenti mentis voluptate Aegles et Arethuſae ſororiis Heſperidum Citretis celeberrimis, indignum utique nos commiſſuros eſſe facinus rati ſumus , ſi tertiae ſororis, Heſperthuſae pomarium , auri ferax ſuaviſſimi, inſalutatum tranſiremus. Neque enim ſua huic pomario deeſt gratia : non ordinis concinnitas et decentia : Heſperthuſae etiam humanitas ſumma eſt ; quae omnia nos miro videndi pomarii deſiderio incendebant. Properabamus itaque avidi ad Aureas has Pomonae delicias ſpectandas ſummo mane , quum

jungere equos Titan velocibus imperat Horis ;
—— —— et volucres Pyrois, et Eous, et Aethon,
ſolis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
flammiferis implent, pedibusque repagula pulſant.

Ipſaque Heſperthuſa ad fores nos expectans, mira comitate exceptos inducebat. Ad laevam magna ſtabant palatia, ebore et marmore nitidiſſime ſtructa : ſed
materiem ſuperabat opus.
Tanta eorum erat amplitudo , ut in planiſſimo campo ad lacum usque ſubjectum procurrerent; huius praeterea undae marmoreae , roſeo ſolis iubare colluſtratae,et erubeſcentes amoeniſſime , gratiſſimo murorum ex myrto et cupreſſo textilium virore reflectebant. Erat et ille decor quaeſitus pomario , ut murum protenſum, *viridis quem veſtiat ordine longo textus*, ſtatuae manu Praxitelis fabricatae diſtinguerent ſimul et ornarent. Irriguum erat fonte ſaliente , cuius aquae cryſtallinae ex alto deſcendentes gratum ipſo lapſu murmur edebant.

Sed quid ſpeluncis memorem quam multa ſub altis
ars ludit per aquam , cum deſuper intus ab imbre
artifici , ſcatebrisque frequens ſtridentibus omnis
perluitur locus, et latices rumpuntur aquarum,
inſultantque ſolo : ſalientes undique rivi
grandibus humectant guttis pendentia ſaxa.
Sed quos non luſus antri fontisque magiſter,
quae non per dociles molitus ludicra lymphas?
Quamvis iſta velint aliis praeſtare iocoſae
Naiades, antra levi ſi quando ſcrupea topho
moliri , liquidosque parent inducere fontes
antris, et lapides ipſo ex Oriente petitos,
atque Erythraea ſuae conchylia nectere rupi;
aedificent alii manantia fontibus antra,
pumice multicavo, vel conchis ſumma lacunent;
quae per diverſas concinnent rite figuras;
cuncta olim melius proavis incognita noſtris.

Ne te amplius morer, omnes has ſtupendae artis delicias longe antecedebat nativum ex arbore pendens aurum ; quod inter virides foliorum ſmaragdos egregie ludebat. Vidiſſes hic innumeros aurantiae mali ordines , fixos partim in pomifero ſolo, partim in pictis utrinque beneque anſatis teſtis ac diotis maioribus. Ne quid dicam de formis earum variis, nunc pyramidum in morem faſtigiatis, nunc coronato ambitu rotundis. Et ne oculos tantum ſatiatos poſſes conqueri, florum illa albedo rubore perfuſa, odoris quoque ſenſum afficiebat tam valide, tamque vivaciter, ut vel ſemianimes recrearentur. Quid? quod ſuaveolentes floris halitus paene prius ſentiremus , quam ipſas arbores uſurparemus oculis ? Late namque undique illos ſpargit, e longinquo etiam adnavigantibus iucundiſſimos. Heſperthuſa , quae latera usque noſtra claudebat, cum non diſplicere nobis viridaria,

qualia perpetuus Phaeacum Auctumnus habebat,

ſubridens animadverteret , tandem nobis quaerentibus , qualenam auriferae huic malo ſit nomen ? verbis papavere ſparſis et ſeſamo referebat : Eſt Achaiae oppidum haud ignobile , *Arantia* dictum, quod Italiae arborem pariter ac fructum, et utrique nomen *mali Nerantiae* dedit , vel *anerantiae*. Achaiae enim pomum hoc aureum acceptum refert Italia , non Cypro inſulae, uti quibusdam viſum eſt. Neque putetis veteribus me non fuiſſe cognitam : etiam antiquitate, ſi nova ſorderent, commendabilis ſum. Ingrati quidem veteres raram mei mentionem iniecerunt: at non ita ingratus fuit Nicandri Scholiaſtes, qui meum hoc aurum et re et nomine antiquis fuiſſe cognitum ſatis probat. Pertexuit dein ſermonem iſtum , quo multa nobis de arboris huius praeſtantia , variis ſpeciebus , praecipue autem de natura et indole praedicabat. Memini inter alia eam celebraſſe hanc malum a ligni durabilitate, qua praeſtaret citro et limoniae; a florum ſuaveolentia, quos itidem fragrantiores eſſe aiebat in hac , quam in ulla alia. Addebat, ligni illam duritiem , etſi falcem putatoriam non hebetet : pro cuiusque enim arbitrio decacuminatur , ut in ordinem rami concinniorem redigantur : tamen parcius eam eſſe adhibendam ſuadere; niſi florum frugumque laeta ubertate privari velimus in arbore,

flore novo ſemper, ſemper quoque fetibus aucta.

Pau-

Pauciores enim poſt putationem facit meſſes. Admonebat quoque nos eius, ut ex foliorum articulo, cordis forma notabili, a citro diſcernatur. Tandem diaetae ſuccedentibus nobis, Ne diſcedentes, inquit, omnino careatis meis hiſce deliciis, en floris argentum candidiſſimum, en pomi aurum! et utrumque ſimul nobis in apophoreta porrigebat argentea artificioſe caelata. Mirabamur candidam Nymphae liberalitatem, donoque hoc vehementer laetabamur. Longe autem nos maiore afficiebat voluptate carmen venuſtiſſimum, quod in laudes aurantii ſub egreſſum, antequam nos omnino dimitteret, recitabat. Cumque illud, quo nihil ſuavius audivi ex ore amabiliore, cum illud, inquam, memoria firmiter haereat, potiorem adſcribere partem non gravabor:

Non tamen ulla magis fontes ornabit, et Hortos
arbor, Atlantaei quam quae viret arbore mali:
Illi eſt aeternus folii decor, inter opacum
albeſcunt nitidi flores nemus, aurea ramis
poma micant, fulvoque ardent radiata metallo.
Si nemus auricomum, ſilvaeque arbuſta virentis
corbibus in quernis, felici induxeris horto;
ſemper flore novo, ſemper ditabere pomis.
Vnde ſuum accedet decus hortis, et ſua ruri
gratia. Nam pariter fructuque et flore ſuperba
implebit teretes arbor ſpe divite ramos.
Ne vero, cum flos argento concolor albo
auriferi nemoris raucis crebreſcere coepit,
ne prohibe effuſas carpendo a flore puellas;
ad praedam coniux, omniſque domeſtica pubes
accedant, et flore domus laetetur odoro.
Serta legant omnes, et inumbrent ora coronis.
Nam nocet ipſa ſibi, viresque profundit inanis
luxuries, cupidis illam permitte puellis.
Scilicet hos pro ſe flores in ſerta puellae
nectere amant, fructuque ſinus implere recenti.
Illius infelix Atalanta cupidine pomi,
iam vinci ſe poſſe ſuo monſtravit amanti,
quamvis ipſa viros currendo vicerat omnes.

CAPVT II.

Mali anerantii Vtilitas.

VIrtutes huius pomi dum enarrare inſtituo; paucis res expediri poſſet, ſi dicerem, et in cibis et in medicina eundem fere aureorum malorum eſſe uſum, quem citreis limonibusque adſcripſi. Apponuntur enim menſis teſſellatim ſecata cum aſſatis aeque ac coctis carnibus, aliisque obſoniis; adduntur piſcibus, et in embammate ac eduliis variis inferuntur. Cortex melle ſaccharoque maceratus pro condimento eſt Italis aliisque, itemque pro acetario: ne quid dicam de eo, quod pulpa ſubtracta cortex quibusvis gulae deliciis infarciatur. Parat quoque ex illis ſeplaſiarius aquas eximii odoris, eſſentias aliaque morborum vim vel retardantia vel infringentia medicamenta. Sed pauca quaedam alia ex auctoribus afferre placet probatiſſimis: praecipue ex Vlyſſe Aldrovando, cuius Viri ſumma apud quosvis eſt auctoritas. Poma haec, utpote minus acida, prae ceteris eſui ſunt, feralique lectulo affixis citra noxam cruda exhibentur, cum eorum eſu multos recepiſſe ſpiritus conſtet: Ea enim et praecipue dulcia, convenientiora ſunt cibis, et medicas ſuas virtutes lenius exſerunt. In quem ſenſum Georgius Pictorius hoc diſtichon protulit:

Omnibus ecce Nerantia ſunt gratiſſima odore,
dulcia confortant, pectoribusque favent.

Suadent tamen optimi quique, ut ſacchari prius conditura acor qualiscunque corrigatur. Huc facit Platinae ſcitum, quod de malis Medicis generatim, tum ſigillatim de Nerantiis tulit, ſcribens: Aſſis et calidis obſoniis adhibentur omni tempore (Mala Medica,) aeſtate tamen praecipue, quia bilem reprimunt, ſitim exſtinguunt, et deſiderium edendi inducunt. Multis aegritudinibus citrea vis medetur; nam et praegnantes mulieres a nauſea vindicant, et trita in potione vini data lieni, et querelis corporis medentur. Sunt, qui citrum teſſellatim conciſum ex ſale, oleo et aceto comedant. De malis citreis vel medicis, quae vulgo Narantia vocamus, eadem fere dici poſſunt; verum quia quaedam dulcia, quaedam acida ſunt, veſcendi ratio ex ſuperioribus praeceptis repetatur. Dulcia ante cibum quovis tempore ſumta ſtomacho conveniunt, nec non acida, ſi ſaccharo fuerint remollita, quod fit ſublato corio detractisque membranulis. Haec Platina. Bene dulcia a reliquis diſtinxit: nam pro ſucci acidi vel dulcis vel mixti ratione vires obtinent diverſas, pro qualitatis ſuae ratione; ut dulciora ceteris magis calefaciant, alia magis vel minus refrigerant, prout magis ad dulcedinem accedunt. Quocirca febricitantibus ad ſitim extinguendam, optime exhibentur acida, vel mixti ſaporis, quorum etiam ſuccus, pro intinctu ſuaviſſimo paſſim in deliciis. Porro Aurea mala id praecipue habent, ut ſint alexipharmaca, antifebrilia atque peſtifuga. Si decocto pomorum Aureorum ſimplici et citreorum colluatur os, graveolentiam illud arcet. Multo magis autem intus aſſumtum, et ſubſtantia eius devorata ſpiritus ſanguineos purificare et imputridos conſervare poterit. Denique ſubiungere hic placet Baptiſtae Fierae carmina, quorum primum, a nonnemine Deodato adſcriptum, citri vires praedicat:

Medica

Medica mala ſumus, pelli vis ignea noſtrae,
humentis brumae nec bene cocta caro.
Terreus eſt humor, ſectantur ſemina pellem,
flos calet et folium : ſic voluere Dii.
Tarda caro eſt, ſuccus choleram fluxumque moratur,
cor tepet hinc ardens, hinc tua membra nitent.
Semen, flos, folium et cortex frigentia mulcent
corpora, et epurant aëra peſtiferum.
(Citria ſic Tyrio contundunt poma veneno:
ardua concoctu, ſed tamen eſſe puta.
Febribus obſiſtunt, peſtis quoque tempore proſunt,
ex ſucco cordis mitior ignis erit.)
Sola tamen volumus mandi; ſic gratus oleſcens
nos bona dic Veneris, non mala nec Medica.

Alterum Nerantia celebrat:

Proxima ſunt, Itali dixere Nerantia, primis;
vincunt pelle, parum frigidus humor ineſt.
Verticibus miro ſunt haec gratiſſima odore;
dulce ſapit melius, pectoribusque favet.
Sint folia arboribus ſervata virentibus ipſis:
cetera ſunt menſae commodiora meae.

* * *

ADOPTIVORVM CATALOGVS.

CAPVT III.


Malum Aurantium Indicum Maximum, *vulgo* Pompelmoes.


AMſtelodami humanitas has ſibi ex Indiae Orientalis Surinamae regno allatas delitias, anno 1706. mihi benevole indulſit. Et crebrius inde navi in Europam advehuntur, cum per quatuor menſes aut quinque durent haec poma illibata, neque quidquam de virtutis integritate amittant. Servavi Latinum, quod P. Ferrarius dedit, nomen. A Sinenſibus *Thoe*, a Luſitanis *Iamboa*, a Belgis *Pompelmoes* cognominatur. Ioannes Neuhofius in Hiſtoria regni Sinenſis, Taiſing dicti, p. 132. 133. memorat, patriam huius arboris eſſe tractum Quantingae, eandemque deſcribit, ſpinis bene communitam, uti et limonia arbor citrusque; hac tamen multo eſſe minorem. Floribus ſuaveolentibus

aboet non ſecus ac limonia ; qui in aquam praeſtantiſſimam fornaci vel balneo immiſſi diſſolvuntur. Frugis tanta eſt amplitudo, ut non limones tantum maximos et citrea quaeque mala ſuperet, ſed et capitis humani magnitudinem exaequet, imo excedat. Cortex auri fulvi ſive aurantii colorem maxime refert; ſeminumque grana, itidem flava quadam rubedine tincta, concludit: Acor eius dulcedine temperatus, acinos uvasque immaturas reſipit; hinc expreſſum eius ſuccum frequentem pro vino quaſi potant; quae Neuhofii aſſerta ſuo comprobat calculo VValtherus Schulzius in Itinerario Indiae Orientalis Libro III. pag. 236. qui ibidem confirmat, ad puerilis capitis quantitatem in urbis Bataviae regione illud copioſe enaſci. Iconem huius pomi Lala noſtri aevi altera, Maria Sibylla Meriana exhibuit in elegantiſſimo opere Amſtelodami vulgato de Inſectis Surinamenſibus, ſimulque monuit, duplex eſſe in hortis Ceylanenſibus huius generis pomum, externo corticis colore et adſpectu haud difficulter ab invicem ſeiungendum. Paucis ante annis Indiae tantum cognitum erat pomum hoc, unde in regiones Europaeas exportabatur. Iam vero his non amplius eſt incognitum, poſtquam in Belgio, Hamburgi item et alibi naſcitur. Conceſſit tandem et meos in hortos arbuſcula eiusmodi foliis veſtita ampliſſimis, ex parte criſpatis, cordis forma articulatis, inter quae hinc inde aculei erumpunt. Sed ad pomi illius, quod Amſtelodamum miſit, deſcriptionem propero. Erat illud plane exſuccum, pondereque leviore, et vix tres librae partes quartas adaequans; filoque decuſſatim revinctum. Revinciri a Sinenſibus ideo, tradit diligentiſſimus quondam, iam inter caelites receptus, Eraſmus Franciſci in Viridario Sinico, quod hac ratione appenſum viridi bonitate per annum poſſit conſervari. Aurantii colore non adeo fuſco, ſed dilutiore nitebat quadantenus vireſcens: nullus itaque dubito, quin ante maturitatem perfectam decerpta in peregrinas ire regiones iubeantur. Diviſum ſucco carere deprehendebatur: Corium exterius dulceſcebat: carne craſſa amaricante, et medulla, uti exſangui, ita et inſipida paene; dulcacida tamen fuiſſe videri poterat. Humoris receptacula capaciora, quam in aurantiis, quatuordecim includebant grana ſolida et lata, quae cucurbitarum eſſe credidiſſes, niſi laevore deſtituta, aſpera aurantiorum ſemina prodidiſſent.

Praeter hoc alio poſtmodum tempore bina eiusmodi Aurantia maxima Amſtelodamo ad me venerunt; quorum alterum Indicum dimidiam prioris capacitatem vix attingebat colore aureo fuſco; cumque interior eius pulpa eſſet corrupta nonnihil et morbida, fuſco medullae nerantiorum colore non erat diſſimilis, dulci palatum ſapore, iucundoque naſum odore demulcens. Alterum magnitudine etiam hoc inferius ex Curacai hortis priori ſe itineris comitem Amſtelodamo Norimbergam dederat, colore pure aureo, cortice ſubtili et amaricante, medulla Limonum more albida, vinum dulce iucundiſſime reſipiente; et denique granoſa.

CAPVT IIII.


Pompelmus.
Der Herrn-Sitz und Burgſtal Gibizenhoff.


Mögeldorff

CAPVT IIII.

Aurantium Maximum.

Ital.

Aranzo della grand ſorte.

DEſcriptum a Ferrario p. 437. hoc nominê pomum, a Lacu Benaco anno 1699. ad me commigravit. Iſtius agri colonis *Aurantium Citratum* audit ideo ſine dubio, quod cortex carnem veſtiat bene multam. Omnes enim fructus carnoſos *citratorum* ibidem nomine venire, notum eſt; ſed immerito. Nam quibus Aurantiorum citratorum nomen ex vero competit, non carne tantum copioſa lataque ſint ſuffarta, ſed et praeterea vel formae externae, vel ſaporis ſimilitudine, vel alia certe ratione citrea poma referant, neceſſe eſt. Huius vero nihil in maximo hoc pomo conſpicitur; utpote quod molli laevique cortice, eoque crocei coloris ſaturati, et dulci ſuavitate amabili: caro autem amaricat et medulla plane aceſcit.

CAPVT V.


Aurantium Auguſtale.

Ital.


Aranzo Agoſtarolo.

COmiti itineris quin hic comitem dem, quid prohibet? Accepi et hanc frugem una cum praecedenti, nomine patrio dictam *Aranzo Agoſtarolo*: cuius quidem ratio difficulter explicari poterit, niſi originem eius inde arceſſere velimus, quod fructus praecox menſe iam Auguſto decerpi ſoleat. Cortex eius itidem ſaturate croceus eſt, attactu lenis ac mollis, cetera craſſus, et amaritiem quandam reſipiens; medullam involvens, cuius acor palatum exacuit.

CAPVT VI.



1. Herrn-hütten 2 Spitalhoffen. 3 Schoppershoffen. 4 Mäierhoff. 5 Schibelberg.


Aranzo Agostarolo. 1696.
Das Hallerſchlößlein.

CAPVT VI.

Aurantium Citratum.

Ital.

Aranzo Cedrato.

QVaeſitum diu malum hoc, quod Benacus ager negaverat, Roma tandem anno 1707 dedit. Nomen a Ferrario pag. 422 mutuatus ſum, illudque ideo inditum credo, quoniam arbor materna habet folia cum coma citri proxime convenientia; circa frondium item genicula aculeos obvertit incaute contrectantibus; florum denique et corii rugoſi ſimilitudine eidem plane ſuppar. Si vero depreſſam ſpectes globoſitatem, aureumque plane colorem; aurantium omnino vides, niſi quod magnitudine hoc vulgare anteeat, propiusque a Lumiis abſit. Ceterum corio veſtitur craſſo, cuius amarities grata dulcedine temperata: medullam continet lucidiorem, quae inſipidum aquae guſtum dulcedine mixta cum auſteritate refert.

CAPVT VII.


Aurantium Sinenſe.

Ital.

Aranzo da Sina.

O*Lyſſiponenſis Aurantii* nomen gerit hoc pomum apud P. Ferrarium pag. 425. in inſcriptione capitis retinui nomen, quo in Germania id innotuit. Conceſſit id mihi Hamburgum, quod nobilis haec urbs Olyſſipona prius acceperat: ea enim Germaniae, non parca manu has fruges admetitur. Satis utplurimum capitatum eſt, aliud dilute, ſaturate aliud aureum, pro maturitatis varietate et decerpendi tempore. Cuticula obvolutum tenera, quae laevore venuſta ſuaveolentiam ſpirat; eiusque dulcedo ſuaviter amaricans palato eſt gratiſſima: intus medulla turget ſucci dulcedinisque pleniſſima, iucundeque veſca; quae aegrotos reficere, viresque proſtratas recreare fortiter valet. Mittit et Italia idem nobis pomum; ſed illud Hamburgo allatum iſti multo praeſtantius eſt et iucundius: etſi enim Italici cortex dulciculus ſit; pulpam tamen longe acidiorem intus contegit.


Aranzo
Cedrato
Spital-Hoff.



P Decker fecit.

CATALOGVS INDIGENARVM.

CAPVT VIII.

Aurantium vulgare.

Vlgaris aurantiae quatuor conſtituunt claſſes: 1) ſilveſtrium; 2) aurantiarum fructu acido; 3) fructu dulcacido; 4) fructu dulci vulgarium.

Aurantia ſilveſtris, quae per ſemen propagatur, frequentiſſima apud nos alitur ex granis, quae noſtrates terra condunt. Cumque per annum jam tertium quartumve adoleverunt; frutices vel divendunt, vel inoculatione meliores faciunt. Niſi enim iſtoc inoculationis artificio mitigaretur feritas, ante annum vigeſimum flores fructusque fruſtra quis exſpectaret. Si tamen commodo pomarii loco ſtatuantur, citius fructus praebent percipiendos, rectaeque proceritati facillime adſueſcunt. Comae nitentis viror multo atrore mixtus eſt; qualis aurantiarum omnium eſſe ſolet: manducatis auſtera amaritudo ineſt: frondes multis ubique aculeis haſtatae ſilveſtrem arboris naturam produnt, et a reliquis mitioribus ſecernunt. Flos candidus odoratiſſimus eſt; fructus vero, acinorum more, plures uno, tres puta vel quatuor, in ſingulis faciunt frondibus mediocres, cortice craſſo et amaro, medulla acidiſſima.

Aurantia pomi acidi ferax, quamvis inoculatione facta, multum feritatis iam dediderit; a ſilveſtri tamen propius omnino abeſt. Levi hoc diſcerniculo diſtant, quod haec inarmata, poma ferat tum maiora, tum odore, ſapore et colore diluto magis ſilveſtribus paululum praeſtabiliora.

In *Aurantia fructu ſaporis medii ſive dulcacido* magna quoque convenientia eſt cum prioribus, neque ſpinis exſertis horrida. Pomi acor temperatior eſt, coro amaricante. Huius proxime deſcripti generis mala Italorum menſis frequenter inferuntur: et ſucco eorum expreſſo aſſis gratia obſoniis conciliatur, et appetitus acuitur. Ager Romanus eiusque vicinia patenti in campo ſilvas huius arboris et nemora nutrit, et ad proceritatem conſpicuam iuſtamque evehit.

Aurantia fructu dulci praecedenti ſimilis, in citreti area optime adoleſcit, eamque altitudine exaequat. Foliis decoratur paullo dilutioribus, ramis ſpinarum horrore vacuis; et in coronam facile contexendis, ſiquidem in viridarii area arbuſcula conſita eſt. Frugum mediocrium cuticula, colore aureo non admodum ſaturato tincta, amaritie craſſitieque abundat: neque medullae dulcedo omnem prorſus amaritudinem exuere potuit, ſed hanc modicam ſervat. Maturitatis eius tempus ſero, et demum cum menſe Decembri alterius poſt florem anni, ingruit.


Aranze Silvestre.
Hummelſtein.


Aranzo dolce.
Zuſammen-flieſsung der Regnitz und Pegnitz-Fluſs hinter Furth.
Regnitz
Pegnitz


CAPVT VIIII.
Aurantium Indicum Maximum,
vulgo
Pompelmoes.

Pompelmoes nomine Belgico iam ſuperius capite III huius Libri IIII pomum aliquod deſcripſimus. Meretur tamen alterum adiungi, eo quod primum hoc, quantum mihi conſtat, Germania ſuperior vidit ſuo in gremio enatum; quamvis arbor non una hodie ibi floreat. Vnde quid labor improbus poſſit, et ut ipſam ſaepius naturam ſuperet, haud vano argumento colligendum. Ne autem debito cultorem honore privem, in hortis Boſianis undique celeberrimis Lipſiae eſſe educatum ſcias; unde ad vivum pomi exemplar, quod unicum tantum erat, ſedulo expreſſa eſt icon ſubiecta. Atque haec ſola eſt figura, cuius vivam imaginem non ipſe viderim deſcripſerimque. Si tamen amici fidei non dubiae quidquam dandum, Pomum Sinenſe et colore et ſapore referebat. Quod ad ſaporem attinet, memor eorum, quae de eiusdem fructus Indici guſtu paullo ante dixi, vix ac ne vix quidem concipio, qui Aurantium Lipſienſe tantopere ab indole illius Indici deflexerit, ut pomum potius Sinenſe quam hoc reſipuerit? Cum tamen non ſubleſtae fidei ſit ille, cui iſtaec omnia accepta refero, malo incomperta credere, quam ipſi fidem indecore abrogare.

CAPVT X.
Aurantium folio criſpo.
Ital.
Aranzo con foglia rizza.

Specioſe caput extollit arbor haec in viridario plantata, ſurculosque in coronae formam comtiſſimam componere docilis eſt: ipſa foliorum ex viridi fuſcorum opaca denſitate admirabilis. Flores minime parci, iique ampliores odore vicina replent gratiſſimo. Poma facile perdurant, globoſa utplurimum; quandoque tamen, qua pediculo connectuntur, minus obeſa, et ſuperius magis dilatata. In eadem parte ſuperiore veluti iugum aliquod circulo deſcribitur, in cuius medio punctum atratum leviter eminet. Corii aurei tenerique ſoliditas averſam cultri partem vix aſſequitur; cetera ſubamarum eſt. Cumque medulla ſucco referta dulcacido, iucunde omnino eſtur.

Congener huic pomum cum folio criſpo et latiori, ſed magnitudine praeſtantius habemus, idque in latitudinem rotundum, ſumma imaque parte planum, quemadmodum aurantium flore pleno. Tertium huius generis fructu dulci pomum Tomo II, ſi DEVS vitam viresque conceſſerit, propediem curioſis Lectorum oculis ſubiiciam.



1. Bernſchanz. 2 Bleiweis-Garten. 3 Lazaret.


Aranzo con foglia rizza.
Das Obere Schlöſslein und
Garten in Mögeldorf.

CAPVT XI.

Aurantium Hermaphroditum, ſeu corniculatum.

Ital.

Aranzo cornuto è Hermaphrodito.

FErrarii nomenclaturam in capitis inſcriptione retinuimus. Lacus Benaci accolae hunc fructum vulgo *Aranzo dal Deo;* et illuſtris Comelinus *Aurantium cornigerum* vocat: addit vir laudatiſſimus, in Belgio eundem communiter *malum coenobiale* audire. Fertilitatem arboris promovet depactio in pomarii aream: fit enim, ut non tantum libenter adoleſcat; ſed et caput bene comatum altius efferat; foliaque lata, parte anteriore coartata et acuminata habet, eaque dilutiora. Articulus cordis formam imitatus, quo folium ſuffulcitur, anguſtiam oblonga proceritate compenſat, eaque a reliquis aurantiorum foliis discriminatur. In flore praeter magnitudinem conſpicuam nihil eſt peculiare. Pomum in rotunditatem quidem conglobatum; notas tamen plerumque fert exſeritque, partibus tam virilibus quam muliebribus, generationi deſtinatis et conceptioni, aſſimilatas; unde Hermaphroditi cognomen inditum. Veniunt praeterea ex eadem arbore poma alia ſpecioſe rotunda, nullaque inaequalitate deformata. Corium, quo illud tegitur, laevore quidem et colore excelſe croceo; at minus amarore arridet. Fructus transverſim ſectus in cellulas, pulpae humidae receptacula, diſtinctus deprehenditur ea ratione, quam a vulgarium pomorum interioribus abludentem figura refert; medulla vero illa ſucci ſubacidi plena eſt. Ceterum huic magis arbori, quam aliis acruminum generibus, naturam caeli noſtri auraeque frigidioris convenire obſervavimus.

CAPVT XII.

Aurantium corniculatum et canaliculatum.

Ital.

Aranzo cornuto incanellato.

AMicorum quidam huius pomi, in ipſius hortis enati, copiam mihi perbenigne fecit; in quo, praeterquam quod partes genitales referret, melonum in modum canaliculi undiquaque, ab apice pedunculum verſus excurrentes, erant depreſſi; adeo ut canaliculati nomen iure ſibi vindicet. Exactam eius figuram in ſchemate ſubiuncto videre licet. Hac occaſione reticere non poſſum, plura Italis poma eſſe incognita, quae tamen inde allata apud nos feliciter grandeſcunt. Non pauca ſingularia malorum genera heic locorum adulta conſpexi, quae fere ab illis mihi transmittenda expetii incaſſum. Videlicet ſtirpes inoculationis beneficio mitigatas alio exportant, antequam fructus ipſi viderint. Quo fit, ut pro vulgaribus divendant interdum rarioris pomi plantas; quas ſi cognoſcerent, vel ſibi ſervarent, vel pluris aeſtimarent. Simili iſtam arbuſculam fato in hortis amici hoſpitare auguror; cuius, ut et hoc addam, plurima erant poma, (pauca enim vulgarem formam ſervabant,) canaliculis mirifice diſtincta.

CAPVT XIII.


Aranzo Cornuto o Hermephrodito 1699
Tumenberg.


Aranzo
Corniuto
incanellato.
Die untere Bürg.

CAPVT XIII.

Aurantium canaliculatum.

Ital.

Aranzo Incanellato.

Canaliculi profundius depreſſi fructui huic et *canaliculati* et *peponiformis* nomen pepererunt. Surgunt illius arbuſculae excelſius, et in citretis noſtris decore virent, facillimeque perdurant. Folia, vulgaribus minora et tenuiora, articulis diſtinguuntur anguſtiſſimis, qui pedunculi interdum latitudinem vix excedunt. Flores plane iidem, qui vulgarium aurantiorum; illis deciduis ſtatim ſuccedunt pomorum rudimenta anguloſa, et canaliculorum in morem excavata. Mediocriter ea turgent, colore aureo, qualis aurantiorum eſſe ſolet: cumque corticis amarities palato ſit ingrata, pulpa viciſſim interior ſuavi dulcedine gratiſſima eſt, eaque vulgaribus praeſtantior.

CAPVT XIIII.

Aurantium Luſitanicum et Sinenſe.

Ital.

Pomo da Portugal, è Pomo da Sina.


TVm Ligurum tum Benaci accolarum diligentia et benevolentia copiam nobis arborum largitur, quarum poma Aurantiorum Luſitanicorum nomine ſunt cognitiſſima. Hoc inde eſſe arbitror, quod Luſitania Italiae prima conceſſerit, ipſasque arbuſculas, quae felici ibi ſe cultura multiplicaverunt, eo transmigrare iuſſerit. Luſitanicum autem hoc pomum alteri Sinenſi etiam a peritis Italiae colonis ſubſtituitur, et alterum cum altero permutatur, male quidem, cum diſcerniculum non leve inter utrumque appareat. Illos deceptos auguror, quod Sinenſe hoc malum e Luſitania ad nos advehi norunt. At enim vero, poma, quibus Luſitanorum nomen proprium eſt, a Sinenſibus magnitudine, multumque criſpato et craſſo cortice dignoſcuntur. Et hic quidem in recenter decerptis humidus eſt, dulcis atque ſoliditate quadam duriuſculus; pulpa vero aceſcit; ita ut ſimul pulpa cum cortice manducata optime mandatur. At cum Sinenſibus corium ſit amaricans, pulpa eorum ſola palato multo gratior eſt, multoque acceptior. Vera et genuina Sinenſium poma Luſitaniae caput, Olyſſippo, Hamburgenſibus, et hi Norimbergenſibus diſtribuunt; quorum cortex exterior rarus ac tener, ſed amaricans, uti dictum, et medullae copia humida, dulcis

iucundeque veſca, qua lapſae decumbentium vires non infrequenter reficimus ac reſtituimus. Eadem poma, in Ligurum agro culta, et magnitudine, et ſuavitate prioribus multum cedunt, multa acredine inamoena. Facile ergo adducor, ut credam, fructus hoſce, in hoſpita Italiae terra enatos, ideo Luſitanis imperfectiores eſſe, quod ſolis aeſtus, quo hi gaudent, vehementior illos deficit. Haeret iis interim nomen, quod Sinenſium abundantia Italos quoque iſtoc pomo ditavit. Huius tria ferunt eſſe genera; quorum aliud acidum, aliud ſubacidum, ſive dulcacidum, tertium denique dulce. Paucos abhinc annos nonnemo me donavit binis eiusmodi pomis, quae et ipſe Amſtelodamo dono acceperat, Curacaa huc allatis. Horum et aurantii Luſitanici, quale agri cultura noſtri fert, omnimoda erat paritas, ſive corticis amoenitatem, ſive reliquarum partium ſaporem ſpectaveris. An argumento id eſſe poteſt, illa poma, quae nobis nunc Luſitanica audiunt, Curacaae Braſiliae ſive Indiae occidentalis aborigines eſſe, inde in Luſitanorum hortos copioſe traducta? Mala Sinica vero dedit Indiae orientalis regnum Chinenſium, jam everſum. Cum itaque iſtae arbores per tot tantosque terrarum marisque tractus ambulent, mirum non eſt, ſi Luſitania, utpote Braſiliae vicinior, iſtis plantandis aptior, quam vel Italia vel Teutonia; quae poſtrema raras frugiferas videt. Retulit tamen mihi Hamburgenſis quidam amicus, huiusmodi ſtirpes navi advectas Hamburgi et flores et fructus fudiſſe; ſed hos paulo minores, cetera Luſitanis parum abſimiles.

Iam ad deſcriptionem mali Luſitanicae veniamus. Facile adoleſcit, et in pomarii pulvino aſſurgens late ramos diffundit, tam florum inſuper quam frugum feraciſſima. Comae folia huic arbori maiora ſunt quam ceteris id genus, oblonga, vertice acuminato; articulo etiam cordis formam habente, ſubnituntur; denſaque et caelum ſpectantia in arboribus praecipue vaſorum hoſpitibus ſilveſcunt, minutis rarisque ſpinis metuenda. Exputare interdum oportet frondes arborum ſolo plantarii exceptarum interiores, ut aëri hae magis pateant. Magnitudo tum florum tum pomorum hic maior eſt quam in malis aurantiis vulgaribus: Luſitanicorum tamen pomorum ventrioſam fere obeſitatem longitudo excedit. Vti aliae, ita et hae in pomarii area depactae, fertilitate exſuperant reliquas diotarum hoſpitio peregrinantes. Legi ab illarum ſingulis non raro poma ſexaginta, octoginta et amplius. Pro aeſtus aeſtate nunc ferventioris nunc remiſſioris varietate, menſis Auguſtus vel September matura dat, in anni ſequentis usque Februarium perdurantia: atque tunc magis aureſcunt quam Sinenſia. Aureo hoc colore tincta non illico decerpantur, cum dies eadem mitiget magis, dulcedineque gratiora reddat.


Quod ad arborem pomi Sinenſis matrem attinet, qualis ea ab Italis conceſſa hic colitur, foliis veſtitur minoribus; quae in altum non eriguntur, ſed demiſſa, uti in reliquis malis, pendent. Pomum quoque rotunditate et exiguitate dignoſcendum, corio tegitur praetenero; ſub quo medulla recluditur aciditate quadam labia pungens et contrahens.

CAPVT XV.





P. Decker. fecit. aqua forti.



I. C. Steinberger fecit.


Pomo da Sina
Hrn Schmids Garten.


CAPVT XV.

Aurantium ſtriis aureis diſtinctum.

Ital.

Aranzo fiamato.

LVre merito Flammicomantis, quo etiam ab Italis inditum alludit, nomen gereret hoc pomum uti elegantiſſimum ita rariſſimum. Sed retinere celeberrimi D. Abrahami Muntingii placuit nomenclaturam, quam huius pomi iconi, in Deſcriptione plantarum itidem exhibitae, dedit. Ioannes Comelinus, quem aliquoties laudavimus, Aurantium variegatum vocat; et Ferrarius pag. 399. Aurantium virgatum. Vnica olim huius generis arbor in hortis Noricis florebat; iam vero inoculationis beneficio ad plures dimanavit. Quaeſivi illam, ſed nequidquam, in agro ad Benacum et alibi, multo ſtudio; ut multiplicarem, cum plurimae heic loci ea, qua dixi, ratione natae, paucis poſt annis iterum exaruerint; et vix una atque altera aetatem tulerit. Ceterum humilia amare videtur: alta enim minime petit: cumque durabilis non ſit, in diotis fere conſeri vult; raro autem in pulvino adoleſcit. Folia a vulgaribus parum abeunt, niſi quod ſtriis nonnulla aureis picta. Neque flores a vulgaribus ſigno quodam ſeiunguntur: Simulatque vero frugum ſtamina prodeunt, albidae viridesque ſtriae, quae cutem variant, viſuntur. Illa enim a ſummo pomo ad imum ante maturitatem viridi albidoque colore alternante, in quaedam veluti ſegmenta, ſaepius inter ſe inaequalia, diſtinguitur. Vbi maturitas acceſſit, color viridis in flavum, albicans migrat in croceum. Totum pomum magnitudinis mediocris e rotundo vergens in oblongum, circulo ſuperne veluti coronatum. Cutis illa tenera eſt et amara; medulla, veluti in acido aurantio, iucunde acris.


Aranzo fiamato.
Im Wölckeriſchen Garten.
I.C. Steinberger fec.

CAPVT XVI.

Aurantium ſtriis argenteis variegatum.

Ital.

Aranzo rigato con foglia ſtretta.

MVntingii nomenclatura et hic nobis arriſit. Ferrario p.401. *Aurantium ſtriatum* eſſe et dici videtur. Itali *Aurantium ſtriatum cum folio anguſto*, item *Turcicum* nuncupant, eo quod faſciae, capitis integumento Turcarum variegato, non abſimile. Noſtris dicitur *Aurantium cum folio argenteo:* exterius enim plane ex viridi albicat; ſimilibusque interiore parte maculis conſperſum: plura eorum in ambitu albentis ſulphuris colore blandiuntur: anguſta plerumque ſed producta, in margine inaequaliter ſinuoſa et inflexa. Flos a vulgari non differt. Sed fructus ſtatim poſt partum cutem ſulphuris albidi colore, ſtriis variat dilute virentibus: atque hae cum pomi augmento ſenſim decolorantur, adeo quidem, ut, cum ad maturitatem perventum eſt, fere evanidae non amplius compareant: ipſum vero pomum auri colore ſaturatiore blanditur. Pro modica eius rotunditate carne multa eſt ſuffartum, acriter et amare mordace: medulla tamen dulceſcit. Ad maturitatem mature accedit, menſe fere Octobri aut Novembri: interdum et aliquanto ſerius. Tenera huius arboris iuventus, quam facile perimi compertum eſt: at cum aetate et vires ſumit, et contra noxas quaslibet obduratur. Plantavi eam in pulvino, quae iam inter multas alias eminens et florum et frugum amoenitate excellet. Ad ramorum luxuriam cohibendam, ſubinde eam exputo, ne enecetur. Luxuriabat aliquando foliis aurantiisque vulgaribus; quae cum illius praeſtantiae obeſſe viderentur, una cum ramo feliciter ſuſtuli.

Quod capite ſequenti deſcribendum ſumimus malum, ex huius genere eſt, et foliis fere latioribus ab hoc cum folio argenteo ſe ſeiungit.


Aranzo rigato 1695
Hallers Weyer Hauß
NÜRNBERG

CAPVT XVII.

Aurantium ſtriatum cum foliis latioribus.

Ital.

Aranzo rigato con foglia larga.

AVrantii ſtriati aliud genus, idque raritatis eximiae, meo in viridario naſcitur ex arbore, quam nomine *aurantiae cum folio variegato* Hamburgo obtinui. Frugum primitias dedit anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum ſeptimo. Folium criſpum, rotunda latitudine in verticem deſinens; colore ſulphuris albidi, aut ex albo virente maculoſum. Fructus eximie globoſus, minor tamen vulgaribus; ſtriis anguſtis et virentibus a vertice ad pediculum excurrentibus ludit. Color eius dilute aureus eſt, ac fere citreus; aequaliter laevi cute, ſed craſſiuſcula, quae primis diebus colore viridi et ex ſulphureo albicante variat. Illa autem, quae capite ſuperiore deſcribebatur, magis pallet; folia quoque arctiora et medullam habet ſuaviorem. Huius vero folia, uti dictum, lata et criſpa, minora tamen reliquis; medulla acris, cutis amara. Surculi ex viridi nitide albent, albidis ſtriis, uti pomum capite proximo exhibitum, variati. Communiter in vaſis hoſpitatur haec arbos, delicata prolis elegantiſſimae mater; quae an in area viridarii aeque effloreſcat, uti altera illa cum folio anguſto, affirmare non audeo. Radices tamen facile agit, et cultura mediocri adhibita adoleſcit, floresque et fructus facit ſatis copioſe.

In Catalogis, quos Benaci accolae mecum communicarunt, nomen quidem huius pomi legi; ſed ipſum, aliquoties efflagitatum, inde videre nondum licuit. Fortaſſe florere ibi deſiit arbuſcula. Atque ut, quae ſentio, libere dicam, meam hanc ſtirpem ex Luſitania navi in Germaniam commigraſſe inter alias notae raritatis arbores, auguror.



Hrn: I. M. Vatters Haußgarten. P. Decker fecit.

CAPVT XVIII.

Aurantium Limonis effigie.

Ital.

Aranzo Limonato.

HOc nomen a P. Ferrario pag. 385; folia vero et flores cum aurantiis vulgaribus communia habet: niſi quod huius arboris frondes tenues magis magisque dilute virentes. Cognominis ratio eſt partim figura, quae non ſemper globoſa, uti illa, quam accurate delineandam curavi, ſed rotunditate utplurimum in longum eſt diducta: partim cutis exterioris color, quo a limonibus non recedit. Inſuper pomum hoc mediocriter magnum eſt, et plerumque verrucoſum; corium craſſum, medulla ut reliquorum aurantiorum pulpa colorata: ſed utrumque ob aciditatem cum amaritie permiſtam inamoenum, minimeque veſcum. Floruit hoc pomum in amici cuiusdam viridario anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum ſecundo.

CAPVT XVIIII.

Aurantium flore pleno.

Ital.

Aranzo con fior doppio.

COronam decora gerit arbuſcula haec amplam ſatis, quam ipſa ſponte conformat, falci putatoriae parum obnoxia. Folia longiuſcula, acuminata, et dilute virentia, cum reliquarum aurantiarum ſaturatiora; articulo cordis anguſti formam habente innituntur: ea tamen latiora cum articulo maiori viſuntur in ſtolonibus et ſurculis nimium luxuriantibus; quos, ne arboris viriditati obſint, illico recidendos ſuadeo. Floris pleni ſive multiplicis gemma, quam pinguior craſſities prodit, et a ſimplici flore diſcernit, eleganter albet: odoratum ut reliqui recreat pariter. Viciſſitudinem hic mirare floris, qui hoc anno multiplex, alio ſequente ſimplex ex eadem arbore provenit. Fructus ſequuntur rotunditate utrinque compreſſa, capitati egregie, cute amicti ſubtili, humore multo gravidi, cuius tamen ſapor ex acore et amaritudine mixtus inſuavis eſt. Vti flos, ita et poma, varia ludunt viciſſitudine; cum eorum quaedam nihil peculia-


re habeant per omnia vulgaribus ſimilia: alia humorem membranaceis medullae parietibus ſeu folliculis informia diſſepiunt et inordinata, quale et figura exhibet. Videlicet arctior floris cum pomo videtur eſſe conſenſus, ut ille ſimplex fructum faciat aequali membranarum medullarium diſpoſitione: at multiplex hanc quoque multiplicem et variam generet, et latentes ſubinde embryones producat. Hos, qui nimirum alios in utero foetus gerunt, in Benaci regione Aurantia cum flore et fructu multiplici, Ital. *Aranzo col fior è ſugo doppio*, nuncupant; quae, uti dixi, floris pleni ſubolem iudico. Me quidem tali pomo, quod meis in hortis eſſet enatum, nondum bearunt Heſperides, quod levius haerent minusque durant, qui florem multiplicem ſequuntur fructus, quam qui ſimplicem. At pomum tamen dederunt anno 1703 cortice duplici luxurians: Salodienſes a flore et cortice duplici, Ital. *Aranzo col fior è ſcorza doppia*, nomen petierunt. Cutis illa exterior dimidiam pomi partem ambit forma ſtellata: Interiore libro vertex illius et ventris pars ſuperior contegitur. Inordinata medullae ſtructura et compoſitio, floris hoc pomum multiplicis eſſe foetum, facile mihi perſuadet. In pomarii area conſita huius prolis mater mox firmatur, aërisque patiens adoleſcit, floret, fructuumque copiam excernit.

* * * *
* * *
* *
*


CAPVT XX.



I. C. Steinberger fecit.



Proſpect in den Röſleriſchen Garten.



Der Geyßliſche Garten bey Wehrt

CAPVT XX.

Aurantium Citratum.

Ital.

Aranzo Cedrato.

PAucos abhinc annos fertiliſſimus ad Benacum tractus, iſtam mihi arborem; et haec vaſculi adhuc hoſpita, anno 1707 frugum primitias, quas deſcriptas vides, dedit. Humilis eſt, foliis pinguioribus, cum articulo ob proceritatem anguſto. Amplior flos ſuſpicionem movet, poma capacitate ſuperare multum illud, quod nobis natum delineandum curavimus. Minor tum adhuc erat arbor, et tamen, cum primos partus ederet, vel vicena poma ſimul peperit; ita ut rami alii bina, alii terna, ferrent; quae fecunditas eorum obeſitatem dubio procul magnopere imminuit. Aër culturaque noſtra non adeo adverſa ipſi videtur. Ipſum pomum, colore prorſus croceo, limonum in morem acuminatur; cum nerantiorum rotunditas alias planitie fere quadam ſit depreſſa. Cutis aurea amarore inſuavis, albida vero caro pinguiſſima dulcamara, et guſtatu non ingrata. Cum in partes diſſecarem, medullae pulpa ſex tantum vel ſeptem interſtitiis membranaceis in totidem veluti loculos erat diſcriminata; colore uti reliqua nerantiorum genera flaveſcens; ſapore ſubacido omnibus mire probata. Quid cauſſae fuerit Italis, ut Aurantii Citrati nomine decorarent hunc fructum, dicere nequeo, niſi quis dictam iam capite quarto rationem audire et admittere velit; quod nimirum craſſities naturam citreorum aemuletur.


Aranzo Cedrato
In Hrn. J. Schmauſsen Garten

CAPVT XXI.

Aurantium diſtortum aut monſtroſum.

Ital.

Aranzo diſtorto ò monſtroſo.

BEnaci accolae in denominatione mirifici huius pomi cum Ferrario, cuius tamen auctoritatem hac in parte iterum ſequi placuit, non conſentiunt; illudque ſuo ipſorum idiomate *Bizaria torna ſol ſtellata* vocare malunt. Id, fide Ferrarii pag.413, ex urbe Neapoli, cuius res quoque monſtroſae formoſae ſunt, Romanas in oras peregrinatum, fortunatam coloniam collocavit: inde alia in pomaria alibi locorum propagatum. Corona arboris, denſiſſimae frondium ſilvae implicata ſcapum mediocriter altum ornat. Soli noſtri areas, non item vaſa lignea, faſtidit. Folia ſaturate virent, minutiora aurantiis vulgaribus; pediculis utplurimum anguſte, interdum late foliatis; ceterum numeroſa et nemoroſa et umbellata, crebro multumque gemmaſcunt; ſed florum plerique abortivi: gemmae etenim ſemiulcae ſub angulorum inaequalitate foetum habent, qui e vagina mox exit, foliolis binis aut ternis adhaerentibus, iisque albidis et minutis. A floribus, qui hinc inde perfecti adnaſcuntur, nondum vidi fructum, cum omnes decidant infecundi. In ea tamen ſum opinione, fortaſſe non improbanda, nerantia hos ſecutura: ut adeo, quod in Bizariae et aurantii arbore cum folio argenteo evenire obſervavimus, duplicis generis fructus hanc aurantiam parituram credamus. Frequenter ſub foliorum umbella latent, viſuique ſubducuntur: huic ergo ut eo magis pateret pomum, eorum multitudinem in tabula deſcribere ſupervacaneum duxi. Protei inſtar mutabile diceres hoc aurantium, ſi varias eius formas, in quas mutatur, ex arbore pendentis conſpiceres: adeo variae ſunt hae ſorores, ut neque in ulla ex reliquis omnibus conſpicias, quod exhibet una. Quaedam earum quatuor gerunt vel quinque turriculas, quae venerandi capitis tegmen, ſive tiaram ſacerdotalem, exacte referunt. Vnde et in P. Mandirolae Catalogo, inſerto Manuali de Horticultura, legitur: *Aranzo a beretta di Prete*, ſive *Aurantium effigie tiarae ſacerdotalis*; quod ex diſtortorum, de quibus hic agimus, genere eſſe iudico. Corniculis minantur quoque interdum nunc rectis nunc recurvis. Ceterum e puſillis eſt, etiam cum ad maturitatem plenam acceſſit; plurium tamen coitione partium non efficitur, ut id genus aurantium vulgaris magnitudinem exaequet; ſua illorum cuique cutis ardenter crocea, ſumme amara. Medulla intra carnem fungoſam rara, acritudinis nimiae, quam ut in uſum homini cedere poſſit. Adeoque ob faciem variam et multiformem mirabilis eſt, et curioſitatis gratia colitur.


Aranzo diſtorto, o monſtroſo
In Hrn. G. Han: Braun Garten


Aranzo Distorto, ò monſtroſo.
Hrn. Leinckerts Garten.


Aranzi Nanini da China
Die Doſer Brucken.

CAPVT XXII.

Aurantium Sinenſe pumilum.

Ital.

Aranzo Nanino da China.

NAna huius aurantii mater eſt, quod vulgo Sinenſe dicitur. Convenire Sinenſis nomen id genus aurantio, pernegat Alvarus Semedus; teſte Ferrario pag. 430; quod apud Sinas nulla eius formae poma, plurima vero cum in reliqua India, tum Goae atque adeo in Salſetanis inſulis conſpexerit. Puſilla haec arbuſcula rectius in vaſis, quam in pomarii pulvinis, vernat; uti meo cum damno didici. Neque enim poſt tertium annum in viridario plantatae aliquot id genus ſtirpes laetiores efflorefcebant, neque augmenta capiebant, neque floſculos ubertim proferebant; fructuum vero ſumma inopia. Cauſſam indagaturo ſuccurrit, quod ſoliis radii nanae huius arbuſculae radices fortius fovere valeant, ſi in vaſe depangatur, quam terrae frigidiori commiſſa, utpote quam nec ita temperare, nec eius ſoliditatem ita penetrare poſſunt. Sunt, qui in feneſtrarum proiecturis ſtatuant, capti puſilla earundem elegantia et decore: at raro diuturnum eſt hoc gaudium. Etſi enim uno alteroque anno ramuloſae, foliis denſiſſimae, et floſculis pomorum fecundis nitide vernent: ſenſim tamen deficiunt, tandemque leto dantur non aliam certe ob cauſſam, quam ob liberioris aurae uſum denegatum. Frondes Argum ſuperant: tot ſcilicet nodi, quaſi foliorum enaſcentium oculi, ex illis extuberant; mutuoque complexu ſe nectunt. In foliis acuminatis fuſca viriditas: in floribus copia; ſed qui vulgaribus longe minutiores; neque tamen minus iucunde olent. Fructus minuto incremento dignum ſe matre nana filium probat; et maximi nucis iuglandis magnitudine reperiuntur. Hilari corticis colore flavet: carnis medullaeque idem color, qui communium: ſed haec iucunde acida; et corticis ſapor amabiliter amarus. Qui largo liberalique huius pomi proventu fruuntur, illud ſaccharo involutum ad cibos varie condiendos adhibent. Arbuſculis hiſce pomiferis poſt hiemationem aurae liberiori redditis, pomorum pila brevi intumeſcit pauliſper, et citius reliquis aureſcit. Vnde menſe Iulio et Auguſto fere, quo tempore ſucco maxime turgent, ſunt decerpenda, ne a matris adhuc ubere pendentia ſuccus deficiat, ipſaque marceſcant. Id quod in illis fieri videmus, quae hibernaculo illata et concluſa flavere occipiunt: ut plurimum enim nigris deformata maculis prorſus exarent.

Dari perhibent nanas aurantias, quarum totum pomum dulcedinem reſipiat. Diu multumque exſpectavi et fructum et arborem; meos tamen in hortos nondum commigrare voluit. Tandem id genus pumilam aliam anno 1706 acceptam, eamque minime vulgarem, Benaco agro debeo.

LIBRI IIII FINIS.

* * *

FLORA



P. Decker fecit.

FLORA NORIMBERGENSIS,

SIVE

FLORVM PLANTARVMQVE EXOTICARVM RARIORVM,

QVAE HODIE

IN AGRO NORICO

FELICISSIME COLVNTVR,

BREVIS ET ACCVRATA

DESCRIPTIO.

AD

FLORAM NORIMBERGENSEM PRAEFATIO.

FLoram, quae conſortium Heſperidum amat, Deam, nobiliſſimae Nymphae Noridi non minus favere, quam ſororum illa triga, plantarum florumque, quos pleno calatho intulit, copia loquitur. Imo cum prior illa in has regiones, earum amoenitate cultorumque humanitate invitata conceſſiſſet; hanc iſtis tantopere laudavit, easque tandem exoravit, ut in eundem agrum ante hos annos deſcenderent: quem deinde ſibi commodum adeo deperierunt, ut non alibi lautius ſe vivere et hoſpitari crederent. Vnde et factum eſt, ut tantam frugum aurearum copiam inferrent, quantam ab iisdem ſimul habuiſſe, praefiſcine dixerim, nullus terrarum tractus gloriari audet. Vidimus illius liberalitatem prolixam: longe prolixiorem, ſi DEVS vitam conceſſerit, in parte altera, quae prelum exſpectat, demiraturi. Iam vero, ne illae Heſperi filiae veterem campi felicis Deam, Zephyri coniugem pulcherrimam, exturbaſſe his finibus videantur, ex huius pariter abundantia praeſtantiores aliquot ſeligemus flores, quos nuper incognitos hic cognoſcere non iniucundum erit.

Florae, ut dixi, hortos laudatiſſima Noris iam olim nunquam non celeberrimos alebat, florum omnigenorum frequentia et raritate plurimis ſuperiores. In eos quippe contulit, quicquid ubique floriferi erat; pro temporum varietate variis ſe floribus exornans. Quare ſi hodie illius inviſere viridaria, et in amoenos plantarum campos exſpatiari libuerit, flores, quos olim pretioſiſſimos et elegantiſſimos vix ſingulos numerabamus, nunc viles et ubique obvios mirabimur: gemmas vero rariſſimas easque multiplices illa oſtentabit, maioribus noſtris nunquam ſperatas, neque auditas. Ita infimae ſortis hominibus iam ceſſerunt caryophylli; niſi qui quatuor colorum miſtura variegati ardent. Veris olim gloria,

quos Hyacinthus habet, Phoebi de crimine flores,

nemini ſe commendant, niſi multi in thyrſo pinguiori maiores nitidiſſimi coloris luxurient. Quid dicam de tulipa, foliis ſe verſicoloribus proferente?

cui formae pretium varii fecere colores.
Nam ſeu permixtum niveo candore rubentem
confundat foliis, ſive illam ſparſa cruentet
purpura, ſeu ritu viduarum, veſte ſub atra,
palleat, aut variam filis imitetur achatem;
obtinuit primos formae excellentis honores.

Hi ſimilesque meam dicendi operam non occupabunt, quam potius dicabo corollae texendae Noridi ex floribus, in eius arvis nuper demum novo Florae beneficio plantatis. Diligentiſſima ſiquidem iſtaec Nympha colendis agris hortisque adeo eſt dedita, arenoſamque ſuam terram tam ſcite dextreque mitigavit, ut ſemina quoque Indica, bulbi item et radices transmarinae nunc utiliter illi mandentur, utpote quae omnia laete ibi vegetantur, ut plantas non tantum protrudant, ſed et nova ſemina, iisdem multiplicandis, feliciter pariant. Amplius cum ſine cultura decenti, quo rariores ſunt plantae, eo minus commode adoleſcant; hanc quoque benigniſſima iſta Dea docuit ſedulos Botanices ſtudioſos et cultores, ut exacte calleant, quid quolibet tempore, tum hieme in hibernaculo, tum aeſtate ſub aura collocatis ſit faciendum, ut contra omnem iniuriam et noxam innoxia ſint conſervanda. Nullo quidem non tempore fecundiſſima artium Noris habuit et huius ſtudii amatores, qui nec labori nec ſumtibus neceſſariis parcerent: at quod arte non fuerunt inſtructi, conſervandique rationem minus tenuerunt, πρόσκαιρον fuit hoc gaudium brevique durans, poſt infelicis hiemationis taedium cum nive liqueſcente liqueſcens. Iam vero ſpes eſt indubia, peregrinas iſtas plantas liberaliori nunc manu in Noridos ſinum effuſuram eſſe Floram, poſtquam colendi ratio conſtat; naturaeque plures theſauros nobis adhuc incognitos eidem donaturam. Illud hic praeterea addendum, fructus ſuaviſſimos, nemini unquam heic loci antea viſos, in Nymphae noſtrae viridariis ad maturitatem iam accedere. Praecipue autem facilem et munificam ſe indulſit laudatiſſimo meo fratri, *D. Ioanni Georgio Volcamero*, Medico Norimbergenſi ordinario, et Academiae Naturae Curioſorum Collegae celeberrimo; cui cum Viris in re herbaria praeſtantiſſimis ſumma intercedit familiaritas et crebrum literarum commercium, quo Florae liberalitatem provocat. Huic, ne quid diſſimulem, plerosque acceptos ferimus flores, et gemmas in corolla hac nitentes, utpote cuius humanitas eorum non tantum icones ad vivum plantae exemplar deſcribi, ſed et deſcriptionem inſuper addi liberaliſſime curavit. Eas aeri inciſas cum ipſa deſcriptione hic inſerere volui, ratus non aliud maius Heſperidibus meis decus accedere potuiſſe.

CAPVT I.

CAPVT I.

ENVMERATIO
AVRICVLARVM VRSI
IN HORTO MEDICO
DN. D. IO. GEORGII VOLCAMERI
ENVTRITARVM.

I.

AVricula urſi flore atro-rubente quaſi ſericeo, magno, petalis cordiformibus, umbone plano, ſulphureo, mediocris amplitudinis.

2. Auricula urſi floribus ex ferrugineo et luteo mixtis, petalis undulatis, umbone ſtellato albo, farinaceo, minore.

3. Auricula urſi floribus minoribus ex ferrugineo et ſulphureo variegatis, marginibus quaſi ſerratis, umbone ſtellato, albo, farinaceo.

4. Auricula urſi floribus maioribus ex ſanguineo purpuraſcentibus, ſericeis, petalis ſeu marginibus cordiformibus, umbone luteo, plano, magno.

5. Auricula urſi floribus ex violaceo dilute purpurantibus, magnis, petalis undulatis, umbone florum plano, magno, ex luteo albente.

6. Auricula urſi floribus mediocris magnitudinis dilutius ferrugineis, margine ſeu petalis cordiformibus, umbone flavo, plano.

7. Auricula urſi floribus mediocris amplitudinis ex ferrugineo et luteo eleganter ſtriatis, margine quodammodo undulato, umbone pallido.

8. Auricula urſi floribus minoribus ex roſeo et albo variegatis, petalis cordiformibus, umbone plano, ex albo flaveſcente.

9. Auricula urſi floribus magnis obſolete rubentibus, margine undulato et ſerrato, umbone florum mediocri, farinaceo, albente.

10. Auricula urſi floribus mediocris magnitudinis pallidis, margine integro, umbone ex albo palleſcente.

11. Auricula urſi floribus ſaturate purpurantibus mediocris magnitudinis, petalis cordiformibus, umbone luteo, plano, foliis viridibus in ambitu crenatis.

12. Auricula urſi floribus magnis ex violaceo purpurantibus, petalis cordiformibus et aliqualiter undulatis, umbone plano, albente, farinaceo.

13. Auricula urſi floribus dilutius purpurantibus, petalis cordiformibus, umbone luteo.

14. Auricula urſi floribus laetiſſime purpurantibus, petalis cordiformibus et undulatis, umbone magno, plano, flavi coloris.

15. Auricula urſi floribus purpurantibus, petalis cordiformibus, umbone parvo luteo.

16. Auricula urſi floribus cinamomei coloris, petalis cordiformibus, planis, umbone ex pallido albente, quodammodo anguloſo, foliis farinaceis in ambitu planis.

17. Auricula urſi floribus ex violaceo dilutius purpurantibus, petalis cordiformibus, umbone flavo, magno, plano, foliis laete virentibus ſerratis.

18. Auricula urſi floribus minoribus ex aurantiaco dilutius rubentibus, petalis cordiformibus, umbone flavo, foliis viridibus in ambitu planis ſeu integris.

19. Auricula urſi floribus minimis laete rubentibus, petalis cordiformibus, umbone albo, farinaceo, plano, foliis viridibus in ambitu inaequaliter nonnihil ſerratis.

20. Auricula urſi floribus magnis ſaturate ſanguinei elegantiſſimi coloris, ſericeis, petalis cordiformibus, umbone mediocris magnitudinis, plano, farinaceo, albo, foliis viridibus integris.

21. Auricula urſi floribus magnis obſcure ferruginei coloris, petalis quodammodo undulatis ſeu ſinuatis, cordiformibus, umbone albicante farinaceo, foliis viridibus in ambitu ſerratis.

22. Auricula urſi floribus magnis ex violaceo ſaturatius purpurantibus, petalis ſinuatis cordiformibus, umbone parvo, albo, plano, foliis viridibus in ambitu crenatis.

23. Auricula urſi foliis cinnabarini elegantiſſimi coloris, petalis cordiformibus, umbone magno ex aureo flaveſcente, plano, foliis farinaceis, viridibus, integris.

24. Auricula urſi floribus magnis atro-purpureis, petalis cordiformibus, et ſinuoſis, umbone pallido, plano, foliis viridibus in ambitu nonnihil ſerratis.

25. Auricula urſi floribus magnis ex obſolete rubro et aureo ſtriatis, petalis cordiformibus, umbone farinaceo, albo, plano, foliis laete viridibus in ambitu leviter ſerratis.

26. Auricula urſi floribus magnis, luteis, petalis cordiformibus nonnihil ſinuoſis, umbone farinaceo albo.

27. Auricula urſi floribus mediocris magnitudinis ex ferrugineo, obſolete rubro et luteo eleganter variegatis, petalis cordiformibus, umbone parvo, albo, farinaceo, plano, foliis ex viridi albicantibus, farinaceis, in ambitu nonnihil crenatis.

28. Auricula urſi flore minore, ex ferrugineo, luteo, rubente et flavo variegato, umbone parvo farinaceo, albente, foliis ex viridi albentibus farinaceis, leviter in ambitu crenatis.

29. Auricula urſi floribus maioribus ex purpureo et flavo variegatis, margine undulato, umbone flavo, foliis viridibus nonnihil ſerratis.

30. Auricula urſi flore minore ex laete rubente et aureo eleganter variegato, petalis nonnihil undulatis, umbone plano, ſulphureo, minore, foliis farinaceis, ex viridi albentibus.

31. Auricula urſi flore magno ex violaceo purpurante et luteo variegato, petalis undulatis, umbone plano, minore, ex flavo albente, foliis farinaceis oblongioribus planis ſeu integris.

32. Auricula urſi flore pleno obſolete rubente, punctulis atro-ferrugineis notato, umbone farinaceo albente, foliis viridibus planis.

33. Auricula urſi floribus plenis maioribus cinnamomei coloris, umbone albo, foliis viridibus integris.

34. Auricula urſi flore omnium maximo, ex dilute violaceo purpurante, margine undulato, umbone magno albicante, foliis laete viridibus, integris.

35. Au-

35. Auricula urſi floribus mediocris magnitudinis ex obſcure ferrugineo et flavo variegatis, margine undulato, umbone farinaceo albo maiore.

36. Auricula urſi floribus minoribus ex luteo et obſolete rubro variegatis, petalis cordiformibus, umbone farinaceo albido.

37. Auricula urſi floribus ex albo et carmeſino eleganter ſtriatis, umbone albo.

38. Auricula urſi floribus duplicibus, ex obſolete purpurante et luteo albente ſtriatis, umbone luteo, caule folioſo, foliis farinaceis.

39. Auricula urſi floribus magnis ex luteo, purpureo, et albo eleganter ſtriatis, umbone minore plano, pallido, foliis viridibus in ambitu ſerratis.

40. Auricula urſi floribus maioribus ex ferrugineo et luteo virente.

41. Auricula urſi floribus ex ferrugineo et luteo variegatis, petalis eleganter et profundius diſſectis, umbone farinaceo, albo, ſtellato.

42. Auricula urſi floribus ex aureo ferrugineo et luteo rubente ſtriatis, margine nonnihil ſinuoſo, umbone albo, farinaceo.

43. Auricula urſi floribus maioribus ex luteo virente et obſolete rubro variegatis, margine undulato, umbone magno, farinaceo.

44. Auricula urſi floribus magnis ferruginei coloris, margine petalorum undulato flaveſcente, umbone pallido.

45. Auricula urſi floribus mediocris magnitudinis obſolete roſeis, petalis cordiformibus, umbone integro, albo, magno.

46. Auricula urſi floribus omnium maximis, ſaturate rubentibus, margine petalorum undulato, umbone magno, integro, luteo.

47. Auricula urſi floribus magnis, ex dilute roſeo et viridi albentibus, margine petalorum undulato.

48. Auricula urſi floribus mediocris magnitudinis nigricantibus, umbone candido, farinaceo, margine petalorum undulato.

49. Auricula urſi floribus magnis ſaturate aurantiacis, marginibus petalorum cordiformibus et undulatis aureis, umbone florum ex flavo albente.

50. Auricula urſi floribus mediae magnitudinis ex obſolete ferrugineo et viridi pallente variegato, umbone magno, albo, farinaceo.

51. Auricula urſi floribus mediocris magnitudinis obſcure purpurantibus, margine florum albo, farinaceo, umbone integro, candicante.

52. Auricula urſi floribus ex pallide luteo virentibus, umbone albo.

53. Auricula urſi floribus maximis ex luteo et obſolete rubro elegantiſſime variegatis, petalorum margine undulato, umbone magno, albo.

54. Auricula urſi floribus magnis dilute aurantiacis, petalis florum cordiformibus, umbone luteo.

55. Auricula urſi polyanthos, floribus omnium maximis, ex obſcure violaceo purpurantibus, petalis florum undulatis et cordiformibus, umbone luteo, ſtellato.

56. Auricula urſi floribus dilute cinnaberini coloris, petalis cordiformibus et undulatis, umbone magno, flavo.

57. Auricula urſi floribus magnis, plenis, ex violaceo purpurantibus.

58. Auricula urſi floribus magnis ſimplicibus ex dilute purpureo et viridi pallente variegatis, umbone albo, farinaceo.

59. Auricula urſi floribus maximis, dilute roſaceis, umbone ex luteo virente.

60. Auricula urſi floribus magnis ex incarnato rubentibus, umbone magno, luteo.

61. Auri-

61. Auricula urſi floribus plenis ferrugineis.

62. Auricula urſi floribus ſanguinei coloris, holoſericis, petalis cordiformibus, umbone luteo, anguloſo.

63. Auricula urſi floribus magnis purpurantibus, petalis cordiformibus, umbone magno, luteo, anguloſo.

64. Auricula urſi floribus ex purpureo et albo variegatis, farinaceis, umbone albo, farinaceo.

65. Auricula urſi floribus magnis ex dilute violaceo purpurantibus, umbone magno, albente ad marginem florum fere protenſo.

66. Auricula urſi floribus ex laete purpureo et albo variegatis, umbone albo.

CAPVT II.


1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
Gründlach



I. C. Steinberger fecit.


47
46
44
45
51
49
48
50
55
53
52
54
57
58
56
59
61
60
64
63
62
65
66
Cleis-hamer
Zabels hoff

CAPVT II.

PRIMVLAE VERIS.

1.

Rimulà veris floribus umbellatis ſimplicibus, puniceis, calicibus florum diſſectis.

2. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus atro-purpureis, margine albicante, ſingulis florum petalis linea pallida notatis.

3. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus dilute purpurantibus, marginibus petalorum albis,

4. Primula veris floribus ſimplicibus ſolitariis, magnis, pallide roſeis.

5. Primula veris floribus ſimplicibus ſolitariis, magnis, atrò-purpureis.

6. Primula veris floribus ſolitariis, magnis, ſimplicibus, laete purpureis.

7. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperioribus dilute purpureis; inferioribus ex dilute purpureo et viridi albente ſtriatis.

8. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, luteis, petalorum apicibus reflexis, rubris, calicibus florum profundius diſſectis.

9. Primula veris floribus umbellatis, duplicibus, roſeis.

10. Primula veris floribus minoribus umbellatis, luteis, marginibus petalorum rubris, florum calicibus diſſectis.

11. Primula veris floribus duplicibus umbellatis minoribus, ſuperiore longo, tuboloſo, luteo, margine reflexo, rubro, inferiore flore profundius diſſecto, terram verſus reflexo, ex roſeo et pallide luteo ſtriato.

12. Primula veris floribus umbellatis duplicibus maioribus, ſuperiore tubuloſo, purpurante, inferiore profundius diſſecto, terram verſus reflexo, ex purpureo et luteo virente variegato.

13. Primula veris floribus ſimplicibus, ſolitariis, magnis, obſolete roſeis.

14. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, phoeniceis, calicibus florum profundius diſſectis.

15. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, ſanguineis, calicibus floſculorum profundius diſſectis.

16. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, puniceis, calycibus florum profundius diſſectis.

17. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperiore purpureo ſtriis albicantibus notato, inferiore ex luteo virente et purpureo variegato.

18. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperiore phoeniceo, inferiore ex phoeniceo et luteo virente variegato.

19. Primula veris floribus ſimplicibus purpureis umbellatis.

20. Primula veris floribus ſolitariis, ſimplicibus, purpureis, calycibus florum folioſis.

21. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus luteis, calycibus florum diſſectis.

22. Primula veris floribus ſolitariis ſimplicibus, atro-ſanguineis, margine florum albicante.

23. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperioribus roſeis, inferioribus ex viridi albicante et roſeo variegatis.

24. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperioribus dilute purpureis, inferioribus ex dilute purpureo et viridi flaveſcente variegatis.

25. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperiore puniceo, inferiore ex puniceo et pallido flaveſcente variegato.

26. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperioribus atro-rubentibus, inferioribus ex atro-rubente et viridi albicante ſtriato.

27. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperiore phoeniceo, inferiore ex viridi albente et phoeniceo ſtriato.

28. Primula veris floribus ſimplicibus ſanguineis umbellatis.

29. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperioribus ſaturate roſeis, inferioribus ex roſeo et viridi albente variegatis.

30. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperioribus ſaturatius puniceis, inferioribus ex ſaturatius puniceo et flavo variegatis.

31. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, luteis, minoribus.

32. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus ſulphureis.

33. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ex aureo et phoeniceo mixtis.

34. Primula veris floribus umbellatis duplicibus maioribus, ſuperioribus luteis, inferioribus ex luteo et viridi ſtriatis.

35. Primula veris flore umbellato duplici, ſuperiore ſanguineo, inferiore ex ſanguineo et luteo virente mixto.

36. Primula veris flore umbellato ſimplici, roſeo, calyce folioſo.

37. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus ex ferrugineo rubentibus.

38. Primula veris floribus umbellatis minoribus, ſimplicibus, laete purpureis.

39. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, dilute purpurantibus, petalis in medio ſtriis pallidis inſignitis.

40. Primula veris flore umbellato duplici, ſuperiore phoeniceo, inferiore ex luteo et dilute phoenicante mixto.

41. Primula veris flore umbellato ſimplici maiore purpureo, petalis in medio linea pallida inſignitis, calycibus florum diſſectis viridibus.

42. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus ex dilute incarnato flaveſcentibus..

43. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, intus aureis, extus phoeniceis, calycibus florum diſſectis viridibus.

44. Pri-

44. Primula veris floribus ſimplicibus umbellatis, maioribus dilute incarnatis, calycibus viridibus et diſſectis.

45. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, intus luteis, extus ferrugineis, calycibus diſſectis viridibus.

46. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperiore ex luteo dilute rubente, inferiore ex viridi et luteo rubente variegato.

47. Primula veris floribus umbellatis duplicibus, ſuperiore et inferiore laete phoeniceis.

48. Primula veris floribus umbellatis ſimplicibus, phoeniceis, ſingulis petalis in medio linea pallida inſignitis, calycibus florum diſſectis viridibus.


49. Primula veris floribus umbellatis duplicibus maioribus, ſuperiore et inferiore ſaturate puniceo.



I. C. Steinberger fec.



I. a Montalegre fecit.


37
38
36
35
40
39
44
48
41
46
45
42
49
47
43

CAPVT III.

AGENS DE VII FICOIDVM SPECIEBVS, ET DE CARYOPHYLLO CHINENSI.

I.

Ficus aizoides procumbens Portulacae Africanae ſemper virentis foliis, flore argenteo, ex Hort. Med. I. G. Volcameri.

CVm ex promontorio Bonae Spei primum planta haec ad nos adferretur, Botanicorum plerique peregrinam Portulacae ſpeciem exiſtimabant. At poſtquam floruit, Ficoidum claſſi eam eſſe inſerendam conſtat. Scapus enim ſive caulis ſucci pleniſſimus eſt; folia quoque craſſa ſunt, pinguia, lata, et in vertice cuſpidata, non plane diſſimilia Portulacae Africanae cum foliis pinguibus, a diligentiſſimo D. D. Comelino deſcriptae. Flores ex calyce craſſo et cornuto prodeuntes, pluribus foliis conſtant anguſtis, eleganter ſubflavis, et argento veluti micantibus. Fruges eaedem, quae a reliquis huius generis, veniunt. Ad culturam quod attinet, omnium Ficoidum una eſt eademque: facillime multiplicantur ex frondibus aut ſurculis decerptis, et in terra pingui, cui arena admixta, poſitis. Solum enim, quo gaudent natali, ad litus in Capite Bonae Spei itidem tale eſt, et arenoſum. Plura qui de colendarum Ficoidum ratione ſcire diſcupit, adeat, ſi volupe, Floram Norimbergenſem, ante aliquot annos luci publicae commiſſam.

2.

Ficus aizoides teretifolia, foliis cryſtallino rore elegantiſſime conſperſis, floribus dilute roſeis, ex H. M. V.

GEnita eſt haec planta anno 1705 ex ſemine, quod ex Promontorio Bonae Spei nobiſcum eſt communicatum. Caules et ramuli eius rotundi, et, poſtquam adolevit, duri et lignoſi, undique piloſi ſeu hirſuti. Flores illius in horum ſummitatibus, uti et ſequentium eiusdem ſpecierum, ex ſuccoſo, villoſo, quinquangulari calyce vel gemma germinant; quorum foliola complura ſunt et roſea, lineolis rubicundis notata. Poſtquam defloruerunt, fructus ſuccedit quinquangularis, qui ad maturitatem accedens, ſeminum minutiſſimorum copiam reconditam habet.

3.

Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana teretifolia erecta, cryſtallinis micis adſperſa, flore amplo puniceo intus, extus ad ſolem aureo fulgore ſplendente, ex H.M.V.

HAbet iſtaec plantà caules teretes, atro-rubentes, ſucco copioſo abundantes, cubito dimidio altos, qui cum aetate in lignum abeunt. Illos bina folia obſcurius virentia ac fere caerulea, eaque teretia, e regione ſibi oppoſita complectuntur, adſpectu iucundiſſima, et quaſi miculis cryſtallinis conſperſa. Flores elegantiſſimi, ſatisque pro ratione Ficoidum ampli, in caulium apicibus emicant, intus punicei aut dilute cinnabarini, extus ſolis obverſi radiis aureo fulgore ſplendentes. E floris medio ſive umbilico eminentia denſeque conferta ſtamina emergunt, quae undique in chori ſeu circuli modum ambiunt alia tenuiſſima, capillaria, nigra, eiusmodi filamenta, flori gratiam et decorem conciliantia non exiguum. Floribus veteraſcentibus ſuccedit fructus oblongus, ſquamoſus, quinquecapſularis, plurimis ſeminibus exiguis infarctus.

4.

Ficus aizoides folio tereti in villos radiatos abeunte, flore rubro, ex H.M.V.

PRopullulavit haec planta anno 1705 mei fratris in horto ex ſemine, quod ex Africa ad nos eſt translatum. Caudice e terra emergit tereti, geniculato, rubente et dilute virente, ſicco tamen et quaſi areſcente. Folia is exſerit bina itidem teretia, micis cryſtallinis veluti rore adſperſa, quorum cimi ſpinulis molliuſculis ſtellatis armati. Caules extremi nitidiſſimos flores rubro-purpureos ſuſtinent, qui e numeroſis petalis, et intermediis ſtaminulis luteis ſunt contexti. In emarcido flore conſpicitur fructus, in quinque itidem cellulas ſive capſulas, ſeminibus arenae inſtar refertas, diviſus.

5. Ficus

5.

Ficus aizoides Africana erecta folio triangulari breviuſculo, fimbriato, floribus roſeis odoratis, ex H.M.V.

RAriſſimam hanc plantam debemus munificentiae Viri, rei herbariae peritia nulli ſecundi, excellentiſſimi D.D. Comelini; qui eandem ex Horto Medico Amſtelodamenſi, naturae miraculo, praeter ceteras exoticas liberaliſſime conceſſit laudatiſſimo Fratri meo, Ioanni Georgio Volcamero. Caules profert rotundos, humore perfuſos, geniculis exilibus diſtinctos; qui virides ſunt, et in viridi nonnihil rufeſcunt, duobus ex oppoſito foliolis praediti, ex viridi caeruleum micantes, trigoni, ſpinis obtuſis et teneris conſiti. Caulibus inſident flores odorati roſei, quorum folia umbellatim diſpoſita, intermediis aliquot tenuiſſimis filamentis luteis veluti diſco. Vbi flacceſcere incipiunt, caſpulae prodeunt minutae, piriformes, laxae ac fungoſae, pentagonae, minima continentes ſemina.

6.

Ficus aizoides Africana teretifolia erecta, caule piloſo, flore purpureo, copioſo, ex H.M.V.

CAule ſe protollit orbiculato, et paene lignoſo ad cubiti dimidii altitudinem, copioſis undique ſpinulis pungentibus armato. Folia ex eo orbiculata et ex caeruleo viridantia exeunt, micularum inſtar cryſtallinarum fulgore reſplendentia. Summi ramuli copioſo decorantur flore purpureo, petalisque copioſis ambitum ſive circulum iungunt. Flore emarcido conſpicitur fructus exiguae magnitudinis, piri formam referens et ſpongioſus, in cuius ſummitate quinque veluti ſtellulae rutilant. Semina, uti priores, minuta includit.

7. Fi-

7.

Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana humilis triangulatis foliolis, flore extus purpuraſcente, intus aureo, ex H. M.V.

HVmilitate a prioribus Ficoidum generibus differt. *Caulis* eius ſuccoſus et virens vix e terrae ſinu egreditur; ramulis in foliola triangulata obtuſa et viridantia laxatis. *Flos* adhaeret multo minor quam reliquarum cognatarum, petalis multis ſingularibus in calycis ambitu diſpoſitis; intus auro micat, extus et in petiolorum ſummitatibus cocco vel purpura nitet. *Fructus*, uti et praecedentes, pentagoni, quinque lineis, ſtellam imitantibus notati.

8.

Caryophyllus Chinenſis, foliis laete viridibus, floribus ſimplicibus variis, ex H.M.V.

SEmen huius Caryophylli, menſe Aprili terrae mandatum, *caules* protrudit ad ulnae dimidiae altitudinem ſe erigentes, geniculatos, ſemicirculares. Singulis nodis adnaſcuntur bina folia pro plantae ratione latiuſcula, laete viridia. In cauliculorum et ramulorum extremitatibus *flores* protuberant reliquis huius ſortis ac nominis conſimiles: quinque enim conſtant petalis, ambitu crenato; atque haec ex viridi laete rufeſcentia ex oblongo, rotundo ſive orbiculato, et glabro calyce emergunt. Capſula ſeminalis oblonga, ubi maturitas acceſſerit, ſuperius dehiſcens, *ſemina* monſtrat exhibetque inaequalia, depreſſa, nigra. Perennat haec planta in hibernaculo commodo aſſervata: inſuper et ſemine, quod menſe Octobri matureſcit; facillime feliciſſimeque propagari poterit.


3
2
1
4
6
5
7
8
8
Morizerberg
Scharrau
Leimburg

CAPVT IIII.

Apocynum Coraſſavicum ſeu Americanum, fibroſa radice, floribus aurantiis, Chamaenerii foliis latioribus, ex Paradiſ. Batav.

AB radice, in multas alas diviſa, *caules* cylindrici ad pedis altitudinem attolluntur, ornati ad ſingulos nodos *foliis* ex oppoſito binis, ad *Chamaenerium* ſeu *Lyſimachiam* ſiliquoſam quadantenus accedentibus; attamen paulo latioribus. Ex ſingulis foliorum coniugationibus ſurgunt petioli, in plures ramulos veluti in umbellam ſparſi, quorum ſingulis *flores* inſident monopetali, in quinque lacinias totidem folia referentes diviſi: his imminent quinque in orbem coëuntia cornua reflexa, coloris eleganter aurei; cum floris petala inferiora cinnaberini nitidiſſime radient. Floribus marceſcentibus ſuccedunt *ſiliquae* utplurimum ſingulares, ſeminibus late depreſſis, lanigeris refertae. Coraſſae Americae indigena eſt haec planta; ubi cum ferventes ſint ſoles, ſolum amat fervidius, ſolis radiis colluſtratum; proinde mox ab ineunte auctumno ad inſequentem aeſtatem usque in hibernaculis cuſtodiri, et ab frigore Aquilonario defendi expetit. Radix novas ſubinde ſuboles emittit, quae transplantatae, promte adoleſcunt. Multiplicatur quoque per ramulos et malleolos avulſos.

* * * *
* * *
* *
*


Apocynum Curaſsavicum ſeu Americanum.
Bergnersdorff
Schwaich

CAPVT V.

Cotyledon Africana fruteſcens, folio longo et anguſto, flore flaveſcente, ex Comelin. Icon. rar. Plant.

RAriſſima haec planta creſcit ad Promontorium Africanum Bonae Spei, ubi inter ſilveſtres in locis ſaxoſis ſponte germinat, *caule* brevi, rotundo, viridi, geniculato, qui folia utplurimum gerit e regione diſpoſita, laete viridia, ſucculenta, ſplendentia, oblonga; quorum ambitus et cacumina rubente nitent linea. Ramuli excreſcunt in ſcapum aliquando ſesquipede longiorem, qui in varios pediculos dividitur, in quibus e calyce quinquifido flores flaveſcentes, campanulati dependent terram ſpectantes, itidem quinquifidi; horum orae ſurſum reflectuntur, et nonnihil rubent. Illis deciduis, quinque virides firmiter connexae, cornutae et acuminatae proveniunt capſulae, ſemine foetae perquam exiguo. In his regionibus quivis avulſus ramulus, in terram bonam arena temperatam vere aut aeſtate depactus, facile radices agit, laeteque creſcit.


Cotyledon Africana frutescens.
Der Meßing-Hammer bey Lauffenholtz.

CAPVT. VI.

Phaſeolus Indicus cochleato flore,

ex Triumf.

INter ceteras horti delicias rariores et hic Phaſeolus anno 1704, Septembri vergente floruit; cuius accuratiſſimam deſcriptionem ex Io. Baptiſtae Triumfetti, Bononienſis obſervationibus de Ortu et Vegetatione Plantarum, ipſis Auctoris verbis dabo. Inter Indicas Plantas, ſcribit, noſtro aevo Europaeis in hortis degentes, haec profecto plurimas tum raritate, tum admirabili florum elegantia antecellit, propter quod omnes non tam Phytologi, quam amoenioris Florae cultores, ad quos aliqua ipſius notitia pervenit, eiusdem etiam compotes fieri maxime expetunt, quod praeter aliorum teſtimonia proprio didici experimento, cum huiusce ſemina a Viris clariſſimis, aliisque rei herbariae Magiſtris inſtantiſſime requiſitus non ſemel Bononiam, Venetias, Neapolim, nec non ad alia loca transmiſerim.

Nunc igitur haud ab re fore putavi, ſi huiusce tam celebris Plantae deſcriptionem ac iconem univerſae ſtudioſorum reipublicae communicarem. Innititur plane iſta radici inſigniter craſſae, et ad palmi circiter longitudinem, tuberoſae, quae praeterquam quod in adnatas minores alias multiplicatur, ſenſim etiam imminuitur, hoc pacto multum ſimilis radici Balani Myrepſicae ab Aldino delineatae, omnesque tandem in fibras non omnino rectas abſumuntur. Porro huiusmodi radicum ſubſtantia carnoſa et albicans eſt, odorem oleraceum referens, exteriusque obducitur tenui rufeſcente membrana, nec fibroſis propaginibus, in ſummo praeſertim, unde caulis erumpit, penitus deſtituitur. Caulis vero ſarmentoſus utique, ac lentus, digitalem fere craſſitiem (potiſſimum in ſenioribus) obtinens, interne conſtat ligneis fibris, infirmioribus tamen (hinc fulcro ad ſcandendum indiget,) quae extrinſecus tenui cortice coloris ſaturatius purpurei obducuntur, et adeo ipſe feliciter ſcandit nullis etiam capreolis adiuvantibus, ut vel unico aeſtatis curriculo quindecim ac amplius cubitorum longitudinem ſuperaverit. Praeterea huiusmodi caulis in minores alios ubertim dividitur, ac ſubdividitur, pariter ſarmentoſos, ac ſcandentes, eiusdemque coloris, demtis tamen ſummitatibus, quae diluto virore tinguntur, molliores que, ſeu herbaceae videntur. *Folia*, quae ſemipalmari fere petiolo ad ſui exortum veluti in nodum intumeſcente praedita, cauli tum inde enatis ramulis raro intervallo inordinatim affiguntur, iis vulgarium Phaſeolorum adamuſſim reſpondent, niſi quod minus craſſa, duriora tamen exiſtant; haec inſuper deguſtata Viciae ſaporem imitantur, nullum vero odorem obtinent. E ſinu poſtea eorundem inclinante aeſtate prodeunt palmares cauliculi rotundi, fractu contumaces, nitide virentes, recta ſurſum ſpectantes, ac argenteis globulis veluti margaritis copioſe onuſti, qui magis intumeſcentes circa auctumni initia ſic in ſpiralem formam aliquatenus turgidam elongantur, ut cochleam ſuo putamine exutam egregie repraeſentent. Color etiam, qui prius nitide candidus, mox nonnihil ianthini acquirit, ſuavique purpura, praeſertim circa ſpirarum centrum, perfunditur. Hoc, licet mirabile, nonniſi floris eſt rudimentum, quod poſtea expanſum uti ſua venuſtate ſpectantium oculos beat, ita ad exactam ipſius deſcriptionem

linguam et calamum inſufficientes reddit; flos ſiquidem iſte ex argenteo calyce, quem ſuſtinet nitide virens petiolus, Cytinum Mali Punici quoad formam referente, breviore tamen, pandit exterius quoddam petalum, (hoc ante ſui explicationem ſub forma cochleae iam declarata obſervabatur,) unciali latitudine, at maiori longitudine praeditum tribus ſpiralibus circumvolutionibus plerumque flexuoſum intus; ac foris aerugineo dilutiore colore infectum, ea tamen parte, qua calyci inſeritur, aliquid ſplendentis purpurae admixtum habet. Praeterea e medio ſui intra ſpirales iam dictas circumvolutiones bina, breviora et anguſtiora locantur petala, ibique ſimul veluti coëuntia, coloris extra quidem intenſiſſime, intus vero dilute violacei, prope centrum tamen fulva remanente portione. Inter haec duo petala tertium aliud breviſſimum, nec primo intuitu ſatis apparens, excipitur clypeiforme, coloris albi impurioris, quod ſui extremo in tubulum arctatur argenteum, in crebros annulos circinnatum, ſi tamen extendatur, petalis duplo longiorem: denique in huiuſce poſterioris petali ſinu quarta occluditur membranula potius, quam petalum, brevior, argentea, ovalis, anguſtiſſima, in fibram pariter fiſtuloſam, ac priori incluſam degenerans; ſub his vero omnibus floralibus petalis, ſeu alio nomine exprimendis, parva fovetur ſiliqua, in fibram pariter deſinens, ac ſui extremitate villoſa. Interim elegantiſſimi huiusce plantae flores hactenus utcunque deſcripti dum plures eodem tempore, quatuor nimirum vel quinque, licet reliquis non explicatis, circum aperiuntur humum verſus reclinati, ac florent: tunc ſane gratiſſimum intuentium oculis ſpectaculum exhibent, nec non ſuaviore quodam odore nares ipſas demulcent. Verum quidem eſt, huiusmodi flores ſub hoc caelo brevi admodum incorruptos ſervari, et pro maxima parte ſemen poſt ſe non relinquere; nihilominus pauciores, qui fecunditate non carent, tabefactis ipſorum petalis, ſiliquae liberiorem dant locum, e medio ſuperius deſcripti calycis prodeunti, quae ſiliqua aliquantulum curva ad quatuor uncias elongatur, mediocriter tamen craſſa ac rotunda, colore viridi, in qua perfectum ſemen ad lentis magnitudinem paullo maiorem accedit, minus tamen ſphaericum, ac recta in ſummo donatum linea, coloris ad rufum tendentis. Tota planta perennis eſt, primum in Italiam a Luſitanis invecta, ac Sereniſſimo Hetruriae Magno Duci communicata, inde vero Romam aliasque in urbes ſub nomine *Caracol*, quod cochleam ſonat, a florum forma deſumto transmiſſa. Ex quanam vero peculiari Indorum regione Luſitani hanc ſibi comparaverint plantam, usque modo nos latet. Haec Triumfetti. Ratione culturae in hibernaculo addo; illam rectius in conclavi calefacto aut hypocauſto ſervari, aqua tepida, ſed rarius, irrigatam: nec niſi vere declinante, menſe Maio, ſub dio iterum ſtatui. Et niſi aeſtas intenſe ferveat, raro aut nunquam florum illa nobis decorem ſpectandum exhibet.

CAPVT VII.



Güden - Bühl.

CAPUT VII.

Datura Aegyptia flore triplici ſeu pleno.

E *Radice* longa et craſſa, eaque graviſſimi odoris opiati, aſſurgit *caulis*, qui in multos ramos dirimitur; pro ſolis aeſtu alterum tertiumque pedem altos, orbiculares, obſolete aut fuſce purpuraſcentes. *Folia* ſine ordine hinc inde erumpentia, praelongis nituntur petiolis, atro virore latiora, et in margine paululum ſinuata. Ex ramorum ſummitatibus prodeunt *flores* eximiae elegantiae: odorem enim non tantum ſpargunt ſuaviſſimum; ſed et mira facie decori ſunt, e tubo oblongo calathoidei, extrinſecus purpuraſcentes, intrinſecus candidiſſima nive perfuſi: cumque ſint triplices, floris pleni ſpeciem mentiuntur. Florem defluentem fructus ſequitur robuſtis et obtuſis aculeis undique armatus, cui ſubſunt ſemina matura flava. Sed noſtris in terris raro ad maturitatem accedit, niſi aeſtatis calores fuerint aeſtuoſiſſimi: ſemina ergo ex locis Auſtralioribus, qui ſolis ardori magis expoſiti, advehi curantur; quae primo vere terrae fimo equino laetificatae inſita facillime progerminant; iſtae dein plantae luna creſcente translatae, flores, quos deſcripſi, proferunt elegantiſſimos.

CAPUT VIII.

Leonurus Capitis Bonae Spei,

ex Breynio.

PLantarum hoc inſigne verticillatarum decus, quod diligentia incomparabili Beverningii Anno MDCLXIII primum Europae innotuit, elegantiae pulcherrimae ſpectaculum meum quoque viridarium iam ſuo in gremio fovet. Habet autem illa planta cubitalem caulem, ſtriatum, quadratum, ſed obtuſis angulis, brevi ac incana lanugine obductum; binis anguſtis, incanis, et oblongis foliis, per ambitum ſerratis, alternatim per longa intervalla haerentibus; ex quorum ſinibus ramuli ſimiliter quadranguli, minoribus foliis amicti pronaſcuntur, atque hoc ab imo caulis ad ſummos ferme geniculos; quos verticillatim ambiunt innumeri, teneri, ſtriati, in aculeolos aliquot exeuntes *utriculi*; e quibus *Flores* exeunt galericulati, fiſtuloſi, Lamii floribus forma non abſimiles, ſed multo longiores, incomparabilisque elegantiae, ex aureo phoenicei ardentiſſimi coloris, ac molli lanugine hirſuti, labro demiſſo parvo et trifido, galea longiſſima, pilis holoſericeis ex phoeniceo pulchre ſplendentibus fimbriata; quae prius, quam e calyce erumpit,

erumpit, Lamii inſtar reflexa, mox vero, non ſine ingenti plantae huius ornamento, animoſi inſtar leonis invictiſſime triumphantis caudae, in ſublime erigitur; ſub qua ſtamina quaedam longiſſima, apicibus parvis, cito marceſcentibus, flavo pulviſculo non abſimilibus, capitulata deliteſcunt. Elapſo florum tempore, *ſemina* quatuor in quolibet utriculo ſuccedunt oblonga, ſpadicea et ſubfuſca. Huius plantae flores alimentum praebent aviculae omnium elegantiſſimae, *Ouriſſia* Cluſii dictae; id quód per literas laudatiſſimo D. Breynio ex India Orientali ſignificavit D. Guilielmus ten Rhyne, Iapanenſium Imperatoris Archiater et Botanicus. Multiplicatur illa per ramulos, menſe Iunio decerptos, laetoque in ſolo, ubi calor temperatior, plantatos; radices ſic facillime agit, annique inſequentis menſe Auguſto aut Septembri, ſi fortaſſe aeſtus fuerit remiſſior, florum ornamenta geſtat. Iuxta Promontorium Bonae Spei vere in omnibus ferme paſcuis floret.

CAPVT VIIII.


pag 232.a
Datura Ægÿptia
Dunnenberg
S. Iobst


Leonurus.
Die Gegend bey Allerspach

CAPVT VIIII.

Cereus Americanus ſerpens, maior, articulatus, flore maximo, noctu ſeſe aperiente et ſuaviſſimum odorem ſpirante.

Ex Hort. Med. Io. Georg. Volcameri M.D.

RAriſſima haec planta ac nunquam ante hac apud nos viſa, primum floruit in Horto Medico D.D. I. G. Volcameri, Anno MDCCV. Caulis eſt praelongus, ultra pollicem craſſus, novem pedum altitudinem ſuperans, ſexangularis, ad ſingulos angulos certo quodam interſtitio prodeunt ſpinae mollecu-lae, novenae et plures, quandoque ab uno centro radiatim ſeſe exſerentes et ſtellulam formantes; ex canaliculis vel ſulcis caulium, hinc inde, ſed rarius fibrae emittuntur, quae, ſi nullum arboris fulcrum, cuius rugoſiori cortici ſeſe inſinuent, in terram ſe demittunt, atque ſic ex ſcandente planta repens fit. Iulio menſe praedicti anni primum protulit florem admodum amplum, ſcilicet ad occaſum vergente ſole ſenſim ſenſimque dehiſcere, et ingruente tandem nocte penitus ſeſe aperire coepit, fragrantiſſimum odorem per viridarium fundendo, redeunte iterum ſole flacceſcere. Accuratiſſimus Plukenetius in Mantiſſa ad Almageſtum Botanicum † ſequentem in modum deſcribit hunc florem: Huius flos ſtupendae pulcritudinis noctu dum expanſus eſt, fragrantia odoris quemque rapit. Miſophoebus et Noctiluca dici poteſt, quae flore ſuo immaculati candoris, ampliſſima triplici radiorum ſerie, auro fulgente tanquam gloria circumcincto, magna in orbem expanſione, alterius inſtar ſolis, mediis in tenebris lucet; at diurno tempore, illucenteque ſolis iubare, penitus obliteſcit: Influxum enim ſolis adeo aſpernari videtur, ut Ἡλιοκαταφρόνητος nominare mereatur.

† p. 76.

Oſtendunt terris hunc tantum fata,
nec ultra eſſe ſinunt;
vix enim florens defloruit;
apparuit ſimul et aruit.

Gg Sequuntur



1. Fürth, 2. Wätzendorff, 3. Popenreit, 4. Schnepffenreit, 5. Thon, 6. Gründlach, 7. Reütles, 8. Buch, 9. Krafftshof, 10. Neünhof, 11. Allmeshoff, 12, Kleinreit, 13. Groſsreit, 14. zur Loh, 15. Ziegelſtein.

Sequuntur

ALIAE QVAEDAM PLANTAE MINVS VVLGARES,

quarum plures Auctoris viridarium alit.

CAPVT X.

De Olea.

SVb fabularum involucro ingenioſiſſimarum uti res multas tam naturales, quam quae ad vitam moresque emendandos pertinent; ita et illam de pace colenda ſub primo oleae ſatu, eiusque origine occuluit prudens antiquitas. Litigium et certamen ortum eſſe comminiſcebatur inter potentem maris domitorem Neptunum, et almam literarum patronam Minervam, de urbis Athenarum nomine imponendo patrocinioque ſuſcipiendo. Delata res eſt ad Deorum concilium, et Iupiter arbiter ſumtus: qui illius fore urbem dixit, qui rem generi humano, ipſique adeo civitati, utiliſſimam procreaſſet. Neptunus tricuspide ſuo telo terram valide percutiens, equum ſpecioſum pariter ac robuſtum producebat: Si vero alios audimus, amplam ſcaturiginem is prope arcem aperuit, ex qua tantum aquae limpidae proſiliit, ut urbem clauderet et in portum eidem tutandae aptiſſimum optimumque conflueret. Hinc Minerva lanceae ſuae cuſpidem leniter in terram defigebat; quo facto ſtatim Olea prodibat. Iudicabat itaque, cuius arbitrio res erat commiſſa, Iupiter; oleae uſum in mortale hominum genus maiorem et praeſtantiorem eſſe, quam qui vel ab equo vel ab aqua unquam ſperandus. Olea enim pacis aureae ſymbolum eſt, quae civium ſalutem cuſtodit, nuptias, feſta, cognatos, liberos, amicos, divitias, ſanitatem, amorem, vinum, voluptatem confert. At tam ab equo, quam ab aqua portusque commoditate, id habet civitas, ut ſecurior ſit et munita: belli itaque, quod urbes evertit agrosque devaſtat, illa ſunt vel indicia vel inſtrumenta. Huius fabulae, eiusque pariter ac regni Athenienſium conditoris, tantum valuit apud populum auctoritas, ut oleae ſilvas copioſe ſererent non tantum cives, ſed et qui eius ſationem negligeret, aut iſtiusmodi arborem exſcinderet, devoverent; neque certe legis temeratores impune id ferebant. Movit haec religio et iuratos Athenienſium hoſtes, Lacedaemonios, ut, cum arbores conciderent et radicitus exſtirparent omnes, oleam intactam ſervarent ſancteque colerent. Ipſa quoque Minerva adeo dignata eſt hanc arborem, ut ramis ex ea coronari unice amaret: victorum etiam de hoſtibus victis triumphantium non maius erat ornamentum, non pretioſius praemium, quam ſertum oleaginum: cuiusmodi ramus illis itidem honoris cauſſa dabatur, qui, cum reipublicae rebus dubiis conſilio auxilioque adfuiſſent, bene de ea eſſent meriti. Epimenides certe, qui peſte graſſante Deos victimis placare praeceperat, oleae ramum maioris habuit, quam pretioſiſſima quaeque munera ſibi oblata; atque pro his illum ſibi elegit.

Minervae tam acceptam hanc arborem non alibi locorum naſci et inoleſcere volebat Theophraſtus, niſi in maritimis ultra ſexageſimum a litore non diſtantibus lapidem; cum tepidus oceani aër oleae non minus gratus quam acruminibus; Heſperides quippe in litore feliciſſime maximamque partem habitant. Annon Theophraſti haec ſententia a vero abludat, neque affirmo, neque valde nego: interim tam certum eſt quam quod certiſſimum, laete eam virere in acclivo montium acceſſu, ſoli meridiano obverſo, numeroſaque frugum ſubole fecundam eſſe.

Rei herbariae periti Botanici Oleam duplicem eſſe ſtatuunt, urbanam ſeu ſativam et ſilveſtrem; et illius aliam marem atque frugiferam, feminam aliam et infecundam innuunt. Sed fallunt et falluntur: Itali certe haec commenta rident. Datur tamen in hortis quaedam ſativae ſpecies, cuius olivae grandiores, Hiſpanicae cognominatae: reliquarum fructus minor eſt, ſaleque et muria optime conditur et aſſervatur. Hanc Veronenſes ab inoculatione inſitioneve, cuius beneficio ea coaluit cum alia ſtirpe, *Olive di Calma*, ſeu inſititiam vocant; folia eius lentae ſalicis folio non abſimilia. Poſita apud nos habetur olea in vaſis; eodemque quo mala aurea florent tempore. Flos eius minor eſt albidus, racemoſus, in cuius medio apiculus luteus. Deciduus non ſingula aliud poſt aliud amittit petala; ſed omnia ſimul defluunt. Fructus ſive baccae eodem adhuc anno maturitas venit. Is oblongus viret initio, ſed maturus nigricat; inde torculari ſubiicitur oleumque exprimitur. Oſtendit quidem ramulus depictus et flores et baccas: ſed cave, ne eadem ſimul ex arbore dependere credas: etenim quo utrumque lectori ſpectandum exhiberem, id in pictura mihi permiſi. Oleaſtrum noſtra haec regio non profert; creſcit tamen ſponte non uno Bohemiae loco, annotante Bohuslao Balbino in Miſcellaneis Regni Bohemiae Lib. I. cap. XLII et D. Elsholzio in Horticultura L. IIII. cap. IX. Oleaſter ab olea ſativa notabili hoc diſcrimine dignoſcitur; quod huius folia per magnam hiemis partem firmiter haerent; cum ille comam ſub eius initium ſtatim demittat. Ceterum raro nos oleam multiplicamus, cum parvi ab Italis non ſecus ac mala aurea veneant. Propagantur autem facillime per ſubmerſionem ſive taleae flexilis in terram depreſſionem, vel per ramulos avulſos, quorum altera extremitas paululum diffinditur, ut filamenta citius ducant. Poſſunt autem oleae ſtipites virides quovis anni tempore pangi, germinaturae eleganter; teſte Petro Laurembergio Horticulturae Lib. I. cap. XX.

CAPVT XI.


Olivo.
Rotenberg

CAPVT XI.

De Lauro.

DE Livia Druſilla, Auguſti Caeſaris feliciſſimi coniuge, memorant hiſtorici, cum aliquando extra urbem in agro degens ad Tiberim conſediſſet, aquilam ſuper ipſam nec opinantem ſuſpenſis conſtitiſſe alis, quae albam gallinam cum lauri ramo in eius demiſerit gremium. Acceperunt id augurium laeti augures, optima quaeque ſperare iubentes, ſi pullos gallinae aleret, laurique ramum in terram depangeret germinaturae. Aluit itaque gallinam et pullos in villa Caeſaris, nono ab urbe lapide ad viam Flaminiam: et ex lauri ramulo in collibus adiacentibus nemora enaſcebantur, quae loco *Laureti* nomen dederunt. Ceterum pacis hoc ſignum a Iove caelitus demiſſum credebant cives: Pax quippe ſub Auguſto toti orbi parta eſt; qui Princeps maximus lauro redimitus, laurique ramum dextra gerens, triumphabat. Manſit haec conſuetudo ad Neronem usque, ante cuius mortem et pulli omnes interierunt; et lauretum omne exaruit. Praeterea iam olim inoleverat ſuperſtitio, Laurum fulmine non tangi. Omnes itaque ramos ex ea decerptos geſtabant; feſtisque diebus ianuae limina eadem ornabant, ut ſimul cuilibet patere aditum pacifico ſignificarent. Lauri quoque frondes hoſtibus miſſae pacificationis peractae ſymbolum erant.

Pro arboris huius varietate fructus multiplex eſt. Eius tamen genera praecipua habentur mas et femina; quae vicinitate maritari amant: ſed mas tantum fruges porrigere perhibetur. At liberum eſto cuiuslibet iudicium. Apud nos certe in vaſis defixae procul fere ab ſe invicem disiunguntur; nihilominus baccarum fertiles: folia eis oblonga, anguſta interdum et latiora, cacuminata, ſuaveolentia; cum nonnullis cibariis coquuntur; quibus conditus cibus ſapidior et ventriculo gratior redditur.

Durandus ligna lauri attrita ignem et ſcintillas emittere, et ſulphurata accendere refert. Propagatur haec arbor per ſtolones e radice enatos: Vel per demerſionem rami terrae vicini, qui deinde a matre reciſi et veluti viviradices ſati in teſtis, in loco umbroſo humore crebrius irrigantur: at ſerâ tamen augmenta capiunt. Felicius creſcunt in viridarii ſolo, maxime ſi Heſperidum horti eorumque parietes iis ornentur. Tunc quippe à frigore defenſae perpetuo virent; ſuavique nares odore emiſſo feriunt; multoque uſu praeſtant. Flores minuti ſunt, herbacei coloris et albentis: baccae ſive fructus rotundis longiores initio virent; dein ex ruſo nigricant; tandemque maturi cortice nigricante integuntur. In ſolo agri Benaci egregie proficit, uti Libro I. cap. XVIII. pag. 85. dictum eſt.



1 Munghoff. 2 Schnidling. 3 Doß. 4 Fürth.

CAPVT XII.

De Arbuto.

F*Raga Imperialia* audit Benaci accolis fructus arboris huius, a ſimilitudine fragorum: Graeci et Latini vocant *Memaecylon*: per initia virent; matura vero eleganti purpura rubent: ſemina quoque excoquunt ut fraga. Guſtu ſubauſtero et quaſi inſipido ab iis differunt; edules quippe ſunt fructus, ſed capitis dolorem adferentes, ſi nimii abſumantur. Scribunt auctores, qui plura quam ſeptem ex ea arbore poma comederit, capitis dolore vexari. Ceterum putredine raro vitiantur: exſiccati vero decolorantur et obfuſcantur. Recentes per tres quatuorve hebdomadas durant, nec quidquam alio transmiſſi deteriores ſunt. Ipſa frutex, ſi colatur debite, in vaſis arboreſcit: frondibus rara: Hinc Virgilius:

Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra.

Folia eius lata, oblonga, laevia, lauri aemula. In Italia viridarii hoſpites in magnas arbores craſſasque excreſcunt, uti et reliqua fruticum genera. In iugis Patavinis crebro gignuntur; non item in plano: imo ne quidem cum terrae portione effoſſae, et in viciniam transplantatae, radices egerunt. In tractu Benaci quondam binos tantum ornabant hortos, alterum Ducis Mantuani, quem miles Germanus nuper devaſtavit: alterum Comitis Camilli Martinenghi; ex quo, ſingulari iſtius Herois indultu et gratia, aliquot ante annos viviradix meum in viridarium conceſſit: lege quippe ſancitum et poena in legis transgreſſorem ſtatuta, ne in aliorum delicias multiplicentur. Virent in area patenti extra Heſperidum hortos; ibique etiam hibernant: Auctumno novo flores iam erumpunt, ſurculis in terram pronis: hieme dein albent; concavi lilia convallium aequant. Excepi fruticem hanc hoſpitio Heſperidum benigniore, uti laete viret hiemeque eleganter floret. Nullus tamen adhuc fructus ibi maturuit, cum aër vere admiſſus floſculos adurat. Neque reſcire potui, utrum, quae in Belgio et Hamburgi colitur arbutus, frugum delicias dederit, nec ne? Poſtquam haec in priore editione ſcripſeram, amicus quidam magnifaciendus, in horto excellentiſſimi Domini de Mülhauſen, qui Potentiſſimo Electori Hanoverano a ſecretis aerarii conſiliis eſt, inſtructo aliquot lapides ab urbe, fructus ad maturitatem perveniſſe certiorem me fecit.



Sᵗ Iohannes Kirchhoff.

CAPVT XIII.

De Piſtaciis.

IN Perſia, Arabia, Aegypto, Syria naſcuntur: jam vero et Norimbergae indigenae facta ſunt: alitur quippe piſtacia ferens arbuſtum in vaſis amplioribus plerumque: ipſe vero in pomario Heſperidum conſevi; uti et Terebinthum; quae illi perſimilis, ſaepius floruit; in umbellam ſat amplam coit, ſtaminibus exilibus et capillatis, virore in albidum potius quam in luteum langueſcente: folia quoque dilute virent, ſubrotunda. Tulit eiusmodi arbuſcula, teſtae hoſpita, in amici cuiusdam horto nuces non adeo minutas, quas in icone depingi curavi; nec eas tamen plane maturas. Corium earum tenue ac virens, ſtriis ſuperius rubicundis notatum. Hoc detracto putamen adeſt ligneum, albicans, tenuius quam avellanorum; minus tamen fragile, cum ſit lentum magis et tenacius. Nucleus viret iucunde, lineis itidem coccineis ſuavior; ſapore ſubamaro dulcis, ori gratus, nonnihilque odoratus. Ad condituras expetuntur, quod alimenti corporibus conferunt non exiguum. Terebinthi quoque arbor nucum ſimilium ferax perhibetur. Conſitae ſunt, uti dixi, in ipſa pomarii area hae arbores; neque tamen frugum uſuram dederunt, tenerae adhuc, nec dum ſatis robuſtae. Fama eſt, fruges has non ſuccedere flori, ſed in ſurculorum extremitatibus enaſci ſingulas, uti et in typo expreſſo videre eſt.

* * * *
* * *
* *
*


Pistaccia
Fürth

CAPVT XIIII.

De Malis inſanis.

MElanzana nomen habent in Italia, ubi, Romae praecipue, unde et ſemina mecum communicata, frequens eorum proventus et uberrimus. Nomen Latinum effectus dedit: caput etenim gravant, et ſtuporem inducunt. Eorum eſus ad ſanitatem parum prodeſt, nullum quoque aut certe exiguum praebent alimentum: apponuntur tamen in Italia familiae, teſte Vincentio Tanara in Oeconomia; maxime autem Iudaei his pro bellariis utuntur. Fructus apud nos planta ex ſemine, quod Itali ſubmittunt, enata profert: ſed ſemen raro aut nunquam matureſcit. Binae Malorum inſanorum reperiuntur ſpecies; quarum altera ex flavo pallet, pruni maioris forma et magnitudine a pediculo et calyce dependet foliaceo: folia quippe tenuia et in apicem deſinentia medium fere fructum amplectuntur et involvunt; aculeis tum haec tum pediculus ſunt armata. Altera priori ſuppar eſt; niſi quod colore hinc carneo, illinc purpureo rubeat. Si diutius a ſtilo pendeant, nec matura decerpantur, dehiſcunt, uti alterum in figura deſcriptum innuit; craſſum illud eſt, pulpa, qualis et malorum communium, duriuſcula: huic inhaerent ſemina albida, mox cineritia et fuſca: ſed noſtris in terris raro ad maturitatem accedunt. Floſculi, ex quibus mala iſtaec proveniunt, elegantiſſimi ſunt, roſeo colore et purpuraſcentibus ſpecioſi ſtriis, ſtellae modo radiati, luteis in medio ſtaminibus. Folia lata ſunt et maiora.

CAPVT XV.

De Momordica Ceylanica.

DVplex Momordicarum genus recenſetur; quorum alterum vulgare *Balſaminae* communiter nomine inſignitur; mediocris magnitudinis, ex rotundo ſuperius in acumen enaſcitur, coloris per maturitatem rubore admixto lutei. Alterum inſulae Ceylani, unde et nomine *Ceylanici* decoratum, indigena, rotundum, cucumeris forma. Neque tamen ſemper ad tantam excreſcit magnitudinem, uti illud, quod annus MDCCVII protulit, et hic aere deſcriptum adnectendum curavi. Maturum ſponte diffinditur, ſeminaque oſtendit eleganter coccinea ſive ſanguinei coloris. Floſculi ſunt minuti in luteum elangueſcentes: folia latiora, in quinque partes diſſecta, ſtellas referunt; venis ſeu fibris innumeris pervia. Tum haec Ceylanica, tum vulgaris magno eſt uſui, et in medicamentis variis haud inutiliter exhibetur.

FINIS.


Melanzana
Proſpect im Lochneriſchen Garten.



Das Schlößlein in Steinbühl

APPENDIX.

I.

De Horologii Solaris buxo in area adumbrandi ratione.

ORnamenta hortorum veteribus iam cognita in Opere hoc plura hinc inde enumerata ſunt; debitoque laudis praeconio celebrata: dabitur quoque, ſi DEVS vitam viresque conceſſerit, de aliis copioſius dicendi occaſio. Iam, cum rarius viſatur in viridariis, et nemo, quod ſciam, de eo commentatus ſit; Horologium ſolare buxo parandum, quale in horti mei deſcriptum eſt area, uberius declarabo. Iucundum hoc eſt ſpectaculum, neque omnino inutile, cum et coloni et hoſpites inter deambulandum, ſole radiorum iubar ſpargente, quamlibet diei horam reſcire queant. Forma eius, qualis in meo viridario cum duodecim Zodiaci ſignis comparet, ſecundum opticae artis regulas ſubiuncta eſt iconi Limonis Salernitani, ſupra Lib.IIII. cap.25. pag.155.

Eſt quoddam hominum genus, qui ſibi ſoli ſapientes aliorum inventa, et inter illa horologii quoque ſolaris in agro deſignationem, extenuant, quaſi nullius artis aut ingenii res ſit. Sed ſoricis inſtar hoc ipſo ſe produnt, ſuamque ignorantiam proſtituunt. Sibi enim et aliis perſuadere conantur, totum artificium eſſe hoc, ut ex centro, in quo baculus ad rectos angulos figendus, deſcribatur circulus, inque eius ambitu ibi ſignentur horarum numeri, ubi ad aeris campani pulſum baculi umbra diffundatur. Ad eum deinde locum ſi e centro ducatur linea, negotium artificii eſſe peractum, et horologium perfectum. At toto ipſos errare caelo, poſt ſex menſium decurſum animadvertent, quando ſtilum nunc horae quadrantem, nunc dimidiam et amplius aberrare ſentient: nunquam enim fieri poteſt, ut ſtilus ad perpendiculum erectus horas accurate indicet. Alii, qui certius curatiusque rem inſpexiſſe videri volunt, ſtilum quidem pariter ad perpendiculum in agro erectum figunt, ſed umbram horae diei mediae ſive duodecimae obſervant, eandemque notant. Tum ex centro, ubi virga defixa, ducunt circulum, eoque loco, ubi hic umbrae notam interſecat, numerandi et in partes viginti quatuor dividendi faciunt initium, ſicque deinde reliqua ſuis exprimunt lineis et applicant. At neque hi prioribus ſunt feliciores, ſuoque fini, quae utilitas eſſe debet cum iucunditate commiſta, excidunt; quod eo gravius, ſi diſſitum procul viridarium, ut ſignum horarum aere campano datum exaudiri nequeat. Denique nec illi ſatisfaciunt, qui ad amuſium ſeu pyxidem nauticam lineas et horarum puncta dirigunt. Horum itaque ruditati ut conſulerem, generatim noto ſequentia: Primo, eiusmodi horologium circino deſcribendum, partiumque diviſionem accuratam eſſe ineundam. Cumque multi de arte gnomonica exſtent libri, e quibus haec addiſci


queant, ſuaſorſim atque auctor, ut, qui buxo aliquod in campo deſignare ſuſtinet, prius horologia univerſalia, quorum uſus in omnibus terrae locis eſſe poteſt, et maxime horizontalia, quorum plana horizonti parallela et ad libellam poſita, ſecundum artis leges componat. Deinde moneo, ut aptum, qui a ſole ſplendente, nec impedito, illuminari per integrum diem queat, locum conſtituat, conſtitutumque diligenter et ſolide complanet. Tum de gnomonis defigendi puncto determinando ſit ſollicitus, et praecipue de linea meridiana, cuius inventio vel ideo difficilior, quod nulla fere area in meridiem ita directa, ut non quadantenus declinet; adeoque centrum pro gnomone figendo, ex quo linearum radii exire debent, non ſemper in illius medietate, ſed interdum in parte alterutra quaerendum. Proinde horologii mei deſignationem oculis non tantum ſpectandam ſubieci; ſed et totum nunc artificium, quo omnia rectius pateant, breviter ac plane hic repetam. Stilum erectum trium quatuorve pedum, indicis
Fig. A. loco fixi in centro *a* (Vid. Fig. A.) ad angulos rectos perpendiculariter; poſtmodum, ubi hora octava antemeridiana a Sole et gnomonis extremi umbra oſtendebatur, in *b* baculum poſui; tum ex puncto *a* per alterum *b* ope funiculi deſcripſi circulum. Quo facto horam obſervavi quartam pomeridianam, et ubi gnomonis umbra extrema contingebat circulum, lit. *c* notavi. Denique intervallum inter *b* et *c* in duas partes aequales *d* diviſi: per hoc diviſionis punctum ex centro horologii *a* rectas duxi, vel potius funiculum extendi ad areae usque terminum, ſicque lineam meridianam et punctum horae duodecimae inveni. Quod ſi vero remotior ab urbe ſit locus, quam ut ſignum horae aere campano datum reſcire queamus, puncta *b* et *c* ſequenti modo ſunt invenienda: Notetur hora circiter tertia aut quarta ante meridiem umbra ſtili extrema *b*, et deinde per hanc umbrae extremitatem, uti ſuperius, ducatur circulus: tum hora poſtmeridiana itidem tertia vel quarta obſervetur ſtili a ſole umbra, ubi circulum extrema tangit; interque locum lit. *c* notatum et *b* quaeratur medium, ut antea, et habebimus horam pariter diei mediam ſeu duodecimam.

Fig. B. Pro punctis horariis reliquis inveniendis (Vid. Fig. B.) cum operatio in agro operoſior ſit et moleſta, deſcribantur eadem in charta maiori; atque haec tabulae planae et latae affigatur: tum lineae horariae ex centro chartae delineatae ad tabulae usque ambitum, quam fieri poteſt diligentiſſime, protrahantur. Hinc tabula iſta eo modo parata in terram ita deprimatur, ut illa huius ſuperficiem planam ad libellam aequet, eandemque prorſus efficiat. Sed hic curate videndum, et diligentia adhibenda ſumma, ut centrum in charta notatum ſuperimpoſitum, contingat centrum ſeu punctum ſtili *a* in area, ex quo horae meridianae linea eſt deducta: haec quoque exacte reſpondeat lineae meridianae in charta deſcriptae, neque vel pili latitudinem declinet; idque funiculus ex *a* in *d* antea extenſus facile indicat. In centro tabulae, quod puncto *a* in area reſpondet, clavus firmetur, ad lineas horarias ope funiculorum, qui in areae margine tenſi bacillo innectuntur, faciendas aut deſignandas. Denique
Fig. C. totus areae ambitus pro lubitu figuretur, ut vel ſchedam volantem Fig. C, vel circularem aliamve formam referat; quam una cum lineis horariis buxo ornare, ipſasque horarum notas vel literas Romanas vel ciffras arabicas buxo itidem variare poteris. Quibus omnibus rite artisque lege peractis, gnomon erigatur,

tur, virga ferrea. Ad hanc firmandam, lapis illud centrum occupabit, cui gnomon adactus aut maltha inſeratur, aut implumbetur, ne ſi is in alterutram partem vel tantillum detorqueatur, oleum et operam perdamus, horologiumque mancum ſit et incertum, incertosque ac deceptos dimittat. Illud, quod reſtat, difficillimum eſt, poſitus videlicet indici conciliandus. Is autem non rectus, ſed obliquus, et axi mundano parallelus eſt figendus, ita ut alterum crus in meridiana linea ſtatuatur. Haec in Septentrionem exacte collineet, uti viciſſim horologii centrum in Auſtrum praeciſe reſpiciat. Dicam ergo prius, ut ille poſitus in charta ſit quaerendus: Ducatur linea horae duodecimae, notenturque puncta *a d*, utpote in quibus virga ferrea in ipſo campo firmanda: porro in *a* ad angulos rectos ope normae ponatur linea *a b*; (exactius idem ope circini efficiemus; quae tamen operatio moleſtior eſt:) Tum crure circini altero in *a* ſtatuto, arbitraria eiusdem apertura ducatur quadrans *e c*, qui lineas *b d* contingat, isque in gradus 90 dividendus. Hinc numerantur usque ad *f* gradus 49 min. 30 pro angulo elevationis poli; et ducta a puncto *a* in *f* linea inclinationem gnomonis dirigit; uti Figura D dilucide demonſtrat. Fig. D.

In applicatione linea *a d* erit baſis ſeu ſolum areae complanatum, vel potius linea horae duodecimae funiculo ante deſignata; cui gnomon exacte obliquus, ſecundum datam inclinationem *a f*, imminere debet. Ne ergo gnomon incurvando deprimatur, et depreſſus aberret, alius ei ſubiicitur baculus, qui indicem firmet ac rite dirigat. Nihil vero refert, utrum rectus an obliquus ille erigatur; modo id in linea meridiana fiat. Gnomonis longitudo pro horologii ſive areae amplitudine variat; ut plurimum tamen ſex ſeptemve pedum eſt. Ad eius obliquitatem dirigendam, opus eſt chartae denſe conglutinatae lamina, vel aſſerculis tenuibus; in his delineatum triangulum *a d f* diligenter exſcindatur, et ſecundum illud conſtituatur in area aliud triangulum, quod eosdem habeat angulos, ſed maius; pro cuius magnitudine opifex baculum fulcri loco ſubiiciendum fabricet. Vſus quoque erit trianguli iſtius ex charta conglutinata aut aſſerculis fabrefacti, cum ſtatuendus firmiter et implumbatione figendus eſt gnomon; utpote qui normae vicem perutiliter praeſtabit. Quae omnia ex ſchematibus adiectis, praecipue ex *Fig. C et D*, clarius cognoſcenda ac diiudicanda.

II. De


A
a
b
c
d
Die 12te Stund, oder Mittags-Linea.




B
a
6
5
4
3
2
1
12
11
10
9
8
7
6
5
4

fig. D.


a
e
b
90
80
70
60
f
50
40
30
20
10
c
d

fig. C.


IV
V
VI
III
II
I
XII
XI
X
IX
VIII
VII
VI
V
IV
10
9

II.

De Horto in charta ex Opticorum regulis delineando.

EX ea hortulanorum ſodalitate, qui in certas leges conſentientes artem ſuam a magiſtris ſunt edocti, non pauci grati animi monumentum ſtatuere ſatagunt, dum inſtructos Herorum ſuorum hortos, modica ſcalae geometricae menſura eleganter in chartam coniiciunt, plenamque et perfectam eorum ſcenographiam exhibent. Hoc unum vero ipſis ſaepiſſime deeſſe videtur, ars videlicet eosdem ex opticorum regulis deſcribendi: qua in re etiam illi, qui ſibi artis huius periti videntur, non ſemel aberraſſe deprehenduntur. Aperiam itaque fideliter et ſine invidia communicabo, quo artificio in deſignandis hortorum ſchematibus, quae ſingulis frugum tabulis gratiae amoenitatisque conciliandae cauſſa addidi, fuerim uſus: Vtque eo rectius intelligantur cuncta, novo horti in quatuor areas diſtributi, fonteque ſaliente in medio ornati, ſchemate rem declarabo. Vid. *Lit. A.*

Inducantur horti veſtigio lineae caecae, ex punctis tum latitudinis tredecim, tum longitudinis novem, quae ubique cifris ſunt numeratae, 1.2.3.&c. et latera quadrati dividentes in plurima minuta quadratula, quaſi craticulam efficiunt. Eaedem dein lineae in nova charta ponantur ſecundum proportionem opticam pro horto optice deformando, hac ratione: Fiat Linea aequalis horto, eaque *a b* (*Fig. B.*) in partes dividatur tredecim, quot videlicet erant in areae ſeu prototypi longitudine. Tum aſſumatur punctum horizontale illudque vel perpendiculare, uti nobis placuit, ſupra medium lineae *a b*, vel obliquum et a latere; idque determinabit rectiſſime loci ratio, quem deſcripturus viridaria ſibi eligit. Eligat vero eum, ex quo omnes viridarii partes oculo ſubiiciuntur commodiſſime. Porro et altitudo puncti horizontalis advertenda, quantae eſſe illi conveniat. Si ea pro virilis ſtaturae menſura, quinque aut ſex tantum pedum ſtatuatur; viridarii, maioris praecipue, areae cunctae viſui non pateſcent. Si ergo pictor in altiori aedificii contignatione conſtitutus hortum integrum omnesque eius pulvillos accuratius proſpicit; patet, felicius illum operaturum, qui punctum horizontale aliquanto altius proferat collocetque. Porro ſecetur linea *a b* aequaliter in *c*, erigaturque linea ad rectos angulos perpendicularis *e g*, et in *g* quinquaginta pedum altitudine punctum viſionis concentratae ſeu horizontale ſtatuere placuit. Hinc ulterius invenienda diſtantia, quae inter ſtationem et hortum ipſum intercedit. Statio enim in horti ipſius medietate eligenda non eſt, quod qui pone me eſt locus, videri adeoque et deſcribi nequeat. Melius itaque in eius extremitate, aut, ſi fieri poteſt, ultra hanc ea capienda. Quo facto per punctum *g* ago lineam lineae *a b* parallelam, et in ea profero ſtationis meae terminum *h* ultra illam partem, quae

Fig. A.

Fig. B.

puncto *a* reſpondet : quod quidem in ſchemate ob ſpatii anguſtiam factum non eſt : fieri tamen omnino neceſſe eſt. Amplius ex lineae *ab* punctis extremis apertas viſendasque , et ex intermediis omnibus caecas demitto in *g* coëuntes; quarum extremae illae *a C* et *b D* nunc obliquae aequales ſunt *ac* et *bd* rectis in *Fig. A.* In illis igitur diſtributio novem partium , quot antea videlicet fuerant in *Fig. A*, ita eſt quaerenda, ut ſuperiora in optica hac deſcriptione ſpatia , punctoque horizontali propiora , ſemper anguſtiora magis ſint , minusve lata. Inventionis leges hae ſunt : Ex novem punctis longitudinis lineae *a b* , in punctum diſtantiae *h* ope regulae rectas et caecas duco , quae , ubi lineam *a g* ſecant , partes latitudinis novem earumque diſtantiam proportionatam indicant. Quod ſi vero parallelogrammum optice deſcribendum , cuius baſis (e. g. novem partium) brevior lateribus, (e. g. partium ſedecim ;) baſis illa producenda eſt , quo in eam productam omnia laterum puncta conſignentur ; et ex iisdem pariter in punctum diſtantiae agantur caecae, lineam *a g* toties ſecantes.

Fig. C. Haec puncta pro novem latitudinis partibus iam inventa cum *b d* iunguntur lineis rectis, baſi *a b* parallelis : quo facto craticula illa prototypi optice deformata eſt ; et opticum hoc quadratum in tot diviſum ſpatia , in quot diviſum fuerat quadratum horti geometricum. Iam ergo difficultas nulla ſupererit , quae impediret , quo minus et figura areae geometricae quadrato optico inſcriberetur , uti haec ſingula icone *C* demonſtrata patent. Quodſi exornare id velimus arboribus, et hae tanto minores deſcribantur , neceſſe eſt,
Fig. D. quanto propiorem horizonte locum occupant ; vid. *Fig. D.* Si ergo arbores in *a b* ſtatutae fuerint altitudine conveniente, et ſecundum regulas proportionata ; vellem autem in *c d* collocare alias , et tanquam e longinquo viſendas optice deformare; per arborum *a b* extremitates ſummas et cacumina *e e* aguntur lineae caecae in punctum horizontale , quae ſpatium altitudinis definiunt , quocunque etiam loco arbores *c d* deſcribantur : erigendae autem ſunt ad libellam , et perpendiculariter usque ad lineam caecam per *e* in horizontem protenſam. Aedificiorum delineatio optica non ita facile perficitur; maiore opus eſt labore : unde et modus operandi paucis includi nequit praeceptis ; cumque diffuſiora ſint omnia , quam quae hic repetantur , Lectori ſciendi cupido praeter ceteros auctores , qui magno numero viſus doctrinam illuſtrarunt , R.P. Bozzii Perſpectivam Part. I. laudabo. Prodiit hoc opus egregium Romae ; et Auguſtae Vindelicorum iterum praelo eſt ſubiectum. Impenſas, quae tamen modicae ſunt , in id feciſſe non poenitebit , cum plana omnia proponat auctor laudatus , nihil diſſimulet, quod idem experiri cupientem moraretur. Qui deſignandi pingendique arte leviter ſunt imbuti, aedificia in charta nullo negotio exſtruent ſine regula , ita tamen ut ſymmetriam rerum ſervent nihilominus.

Alia praeterea optice delineandi ratio Italis uſitata eſt , eaque facilior , quam in Lectoris Benevoli gratiam adſcribere, ita icone addita illuſtrare , non gravabor. Sumatur tabula vitrea indeterminatae magnitudinis, quae tamen prototypo deformando ſufficiat ; eaque firmetur undique margine ſeu regula lignea , *Fig. A.* tum ſtatuatur ſupra aſſerem ſive baſin aliquam , intra pilas arrectarias ſeu fulcra erecta lignea utrinque poſita , *BC.* quae parte interiore fiant

imbri-

Fig. A.






a
b
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13

Fig: B.


P. Diſtantiæ
P Oculi
Horizont.
h
C
D
a
b
e
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12


Horizont
P.
Oculi
Fig: C
c
d
a
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
b


Fig. D
Horiz:
P.
Oculi.
d
c
e
e
b
a




Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.

imbricata , quo inter imbricatas has inciſuras vitrum cum regula lignea erectum interſeratur. Tum medius aſſer ſimili excavatur inciſura imbricata, intra quam dioptra ex ligno fabrefacta huc illuc eat ac moveatur : dioptra vero ſeu foraminulum pro puncto viſionis concentratae, per lignum hoc pertuſum exaltetur ad vitreae partem tabulae circiter mediam. Paratae huius machinae uſus erit ſequens : In ſtatione pro cuiuscunque lubitu capta conſtituitur, firmiterque collocatur machina haec , ne ea facile mobilis erroris periculum faciat , et dioptra vel propius admovetur vitro, vel ulterius ab eodem removetur , quo collineatio et obtutus ad omnia commode poſſit dirigi ; areaque quam rectiſſime deſcribi. Deſcribitur autem haec atramento in vitro , cuius pars averſa dein madefiat , quo lineae atramento factae innoventur: inſternitur charta , quae aqua prius itidem conſperſa, quadantenus adhuc madeat ; et huic ſuperimponitur alia chartae plagula , eaque ſiccata , cui ſi manus vel nuda vel linteo obvoluta leniter inducatur , lineamenta in vitro depicta, nunc in charta comparebunt. Eſt et alius modus, Italis pariter non incognitus ; quo illi praeſertim, qui in craticula deſcribere figuras ſolent, feliciſſime utuntur. Loco vitri intra regulam ligneam expandunt filamenta vel linea vel ſericea cancellatim reticulata : ſimilesque cancellos , qui ſive maiores ſint ſive minores, parum refert, in papyro deſcribunt ; atque illi, ſi tot efficiant quadratula , quot ſeptum iſtud reticulatum , deſignandis iis , quae per hoc et dioptram viſa apparent , optime inſervient. Ipſa operatio omni caret difficultate , adeoque pluribus ſi eam declarare vellem verbis, ſupervacuum foret , et metuendum , ne rem claram nimia prolixitate involvendo obſcurus fierem.

* * * *
* * *
* *
*

III.

De Columnis Milliarium.

PYramides, Obeliſcos, et columnas ordinis cuiuscunque, non ultima eſſe hortorum ornamenta et decora, nemo negabit, qui de rerum artisque pretio recte iudicaverit. Ne igitur meo viridario hoc deeſſet decus, et Columna Milliarium, et Obeliſco illud exornare ſategi. Et Columnae quidem Milliarium exemplum a Romanis cepi. Romae etenim in media urbe et in Foro Romano ea erat collocata prope Arcum Septimii, e regione aedis Saturni, ubi nunc templum Divi Adriani viſitur. Patebat hinc aditus in omnes vias et plateas urbis, verſus cunctas mundi partes, qua ibant in provincias et regna, ſub Romanorum poteſtatem redacta; in quae Conſules, Praetores et Praeſides cum exercitu et legionibus mittebantur. Hic igitur ituri conveniebant, cum urbes in columna deſcriptae non tantum, qua via proficiſcendum, monſtrarent, ſed et milliaria, viaeque diſtantiam numero addito docerent. Inventorem ingenioſiſſimae huius Columnae Caium Gracchum, eamque ex aere ſolide inauratam fuiſſe perhibent. In ſummitate globus erat, ut Vrbem Romam mundi dominam ſignificarent. Et eam quidem caput orbis fuiſſe, ex Plinio, Tacito, Plutarcho, Suetonio, Lipſio, aliisque Romanae Hiſtoriae auctoribus graviſſimis conſtat. Iam in Capitolium ea eſt translata, uti ſequens docet inſcriptio, baſi columnae addita:


S. P. Q. R.
COLVMNAM MILLIARIAM
PRIMI AB VRBE LAPIDIS VINDICEM
AB IMPP. VESPASIANO ET NERVA
RESTITVTAM
DE RVINIS SVBVRBANIS VIAE APPIAE
IN CAPITOLIVM TRANSTVLIT
AVCTORIBVS
ANTONIO MACOROTIO DE LEONIBVS
IVLIO GVALTERIO
VINCENTIO CAPOCIO
HORATIO MVTIO PRIORE
} CONS.

In latere altero legitur:

QVAE PEREGRINA DIV STETERAM
MENSVRA VIARVM
NVNC CAPITOLINI CVLMINIS
INCOLA SVM
MVTIVS DE MAXIMIS
LEONARDVS CROGNIVS
IVLIVS SABELLVS
CONSERVATORES
SCIPIO IPPOLYTVS DEROSSI PRIOR
IN MELIORE FORMA
REDEGERVNT
ANNO SALVTIS MDCXCII.

Atque haec ea eſt columna, quae anſam mihi dedit excogitandae Columnae Milliarium, emendatae legibus mapparum Geographicarum, ut ſitum monſtraret imperiorum urbiumque praecipuarum, comparatum cum Vrbe Norica. Poſt multos labores feliciter tandem res ceſſit; adeoque ſpeciminis loco columnam ex lapide mediam poſui, cuius ſcapus teres, praeter baſin et capitulum, decem pedes altus eſt, et circumferentia ſex pedum cum dimidio: in eo deſignatae conſpiciuntur urbium potiorum plurimae, quotquot circum circa non ultra 150. milliaria ab urbe noſtra abſunt: addita quoque diſtantia et numerus milliarium adſignatus. Quantum vero ab una ad alteram interſit itineris ſpatium, cognoſci inde nequit, niſi circini beneficio dimetiaris. Hoc autem ut ſit peragendum, adſcribere nolo, eo quod ob prolixitatem Lectori id taedioſum fore coniectando ſuſpicor.

Cum placere illam intelligerem, quatuor minores alias circa iſtam in quadrum collocavi, quae fulcri loco eſſent tecto, quo et interior illa et ipſae contra caeli tempeſtates munirentur. Atque in harum prima deſcribere continuavi ſitum earum urbium, quae ultra centeſimum quinquageſimum lapidem ad trecentas viginti leucas a patria mea abeſſent; in altera vero usque ad leucam quingenteſimam ſimiliter proceſſi. In tertia repraeſentatur Europa univerſa, ſingulorumque regnorum et regionum ſitus, oſtenditur; ex qua ſciri poteſt, in quamcunque mundi plagam te vertendo reſpicias, quae verſus illam regna ſita ſint. In quarta pagos vrbi viciniores eadem ratione ſpectandos exhibui. Vtque amicorum deſiderio ne deeſſem, propius has ut inſpicerent columnas expetentium, mediam illam, et tertiam, in qua Europae repraeſentatio modica ſcalae menſura depinxi, aere etiam incidendas curavi ſeparatim in charta maiori, quo cylindro agglutinatae hae mappae exemplum eſſent columnarum milliarium. Eae ſi coloribus diſtinguantur, nitidiores ſunt; remque omnem eo clarius et diſtinctius illuſtratam maiori voluptate intuebuntur ſpectatores. Cylinder hic, quocunque illum transferas, modo pro acus indicio in mundi plagas recte dirigatur, eundem plane uſum praeſtabit, quem columna ſuperius deſcripta; ſingulaque locorum intervalla accurate commonſtrabit. Erroris quidem multiplicis hanc columnam mappa deſcriptam coarguerunt imperiti rerum aeſtimatores: et certe, ſi illa plana cum tabulis geographicis comparetur,



DESIGNAVIT IOAN CHRIST. VOLCKAMER ET IN VIRIDARIO SVO SVBVRBANO POSVIT AN. MDCXCVII.

W. Pfan. sculp.

tur, non aliter fere iudicare quis poteſt,videns, loca dextrorſum ſita, mea in deſignatione a ſiniſtris notari, et viciſſim ſiniſtra hic a dextris comparere. Sed quemadmodum cauſſa rei peritos non latet: ita reliquos eandem cylindro obvolutam et agglutinatam inſpicere iubeo; omnemque dubitationem ſublatam iri ſpero. Id unum dolendum eſt, uſum huius columnae, multo labore inventae, non eſſe omnibus locis communem. Non enim alibi quam Norimbergae uſui eſſe poteſt. Eundem ſi alibi praeſtare locorum velimus, denuo eſt delineanda, et ad illam urbem omnia locorum intervalla dirigenda et dimetienda. In huius enim columnae deſcriptione Centri loco rationem habeat ea urbs, neceſſe eſt, a qua omnium locorum diſtantiae ſunt inveniendae. Interim non incommodum fore iudico, ſi quid iudicare valeo,ut in quibusvis emporiis et quidem in baſilicis aut foro, ubi mercatorum conventus aguntur, tales ſtatuerentur, quae et ornatui eſſent et utilitati. Magnum enim refert, ſcire quanto intervallo diſtent loca, in quo mundi angulo ea ſita, unde literae et nova afferuntur.

Columnam hanc, aeri eleganter manu artificis inciſam, addere hic viſum fuit, partim quod non alia uspiam vel viſa vel deſcripta, praeterquam meo in viridario: partim ut eius augendae, et ſi fieri poteſt, perficiendae occaſionem aliis praeberem; ingeniaque eruditorum excitarem.

IIII. Obe-

IIII.

Obeliſcus, ad exemplum Conſtantinopolitani, in ſuburbio Norico erectus.

Hiſtoria Obeliſci Conſtantinopolitani.

Conſtantinopoleos, novae Romae, urbisque Imperatoriae, areae et fora non pauca numerantur a Topographis: non tamen campus alius celebrior illo Circo maximo, in quo Orientis Domini ludos tum alios, tum praecipue Martios, ſive haſtiludia celebrabant. Res loco nomen dedit: olim quippe vocabatur *Hippodromus*; hodie *Atmeydan.* Longitudo eius, celeberrimo D. Sponio referente, 550 paſſuum eſt, latitudo 120. Condere eum coepit Alexander Severus, quem nonnulli Imperatorum primum numerant ſacris Chriſti initiatum; ſed Conſtantinus Magnus poſt ſaeculi decurſum refecit ac feliciſſime perfecit.

Et Conſtantinus quidem eximiae magnitudinis et raritatis Obeliſco eum ornare, aeternumque virtutis ſuae monumentum ibi ponere conſtituerat. Quem in finem Thebis ille Alexandriam iam erat perlatus: ſed inopina Caeſaris mors in mora fuit, quominus Conſtantinopolin perveheretur. Alexandriae igitur inglorius iacebat, dum Conſtantius, Conſtantini M. filius, Romam advehendum et in circo maximo ſtatuendum iuberet. Interim per multos annos usque ad Theodoſii Magni tempora, vacuus erat et inornatus campus ille, qui decore elegantiaque Campum Martium Romanorum prorſus aequabat. Is vero indecens ratus, ſi illi decus hoc, quod ſolum deerat, ulterius negaretur, prudentes reique peritiſſimos in Aegyptum miſit viros, qui elegantia commendabiles conquirerent, et Conſtantinopolin ferendos curarent Obeliſcos, quotquot reperirent. Atque in eorum numero fuit et ille, quem hic deſcribendum ſumimus; utpote qui ceterorum omnium praeſtantiſſimus dicto in Campo, regione urbis primaria, collocari meruit.

Poſſem Conſtantinopolitanum hunc Obeliſcum copioſe deſcribere, verbisque celebrare exquiſitiſſimis: ſed gratum iam fecere otium viri in re literaria maximi, Gyllius, Kircherus, Sponius, aliique, qui ſumma eum diligentia ampliſſime laudarunt, neque quidquam indictum reliquerunt. Ipſe dicere tantum habeo ſequentia: Cum Obeliſcorum altitudine fere ſola ſuperbiat Roma utraque, vetus et nova; eorumque ſtructura in Germania nemini ſit conſcia, niſi qui Italiam adierit; toties iam memorati Obeliſci Conſtantinopolitani, in Hippodromo viſendi, exemplum meo in viridario exſtare volui. Venit enim in manus meas eius typus, penicillo diligentiſſime cum omnibus figuris Hieroglyphicis adumbratus et exſcriptus, quem quanta fieri

potuit cura exprimere ſategi. Tantae quidem molis et altitudinis ſaxum quadratum raro aut nunquam apud nos caeditur, quantae eſſe perhibetur marmor Conſtantinopolitanum : pro ratione tamen menſurae geometrice diminutae, ſingula exacte et ſedulo ipſe delineavi, delineataque effingenda in lapide curavi. Marmor iſtud, quod variegatum ſeu maculoſum eſt, altitudine ſexaginta pedum exſurgit, ſupra baſin quadratam, quae ſex pedes alta deprehenditur: Saxum vero, ex quo integro Obeliſcus meus eſt formatus, viginti pedum eſt cum dimidio : et baſis quadrata binos pedes habet. Atque hoc d. VII Iulii Anno MDCCIX feliciter meis auſpiciis ponendum extollebatur.

In has pyramides erigendas tot tantosque fecere ſumtus Aegyptii, ut ſub figurarum ſymbolis, quibus eae exornatae ſunt, ſapientiam altioraque praecepta ac dogmata occulerent. Cumque ſymbolorum iſtorum, quae praecipue ſunt ſpectanda, interpretatio aeque lateat noſtrates, ac ipſius Obeliſci decus ipſis antea fuit incognitum : ſenſus figurarum arcanos, uti illos hariolando aſſequi licuit, Obeliſci ſchematismo ſubiungere e re viſum eſt : quo curioſus lector figuris inſolitis oculos, latente vero ſub illis ſapientia animum paſcere queat.

II. Obeliſcorum erigendorum cauſſa, eorumque ſenſus arcanus.

QVae ſimilium antiquitatis monumentorum perennium, eadem et Obeliſcorum ſtatuendorum cauſſa eſt vel ſcopus; neque enim aliam comminiſci poſſumus, quae priſcos Aegyptios, ut Obeliſcum hunc erigerent, adduxerit. Duriſſimis quippe hiſce ſaxis aeternitati conſecrare, et ab oblivione vindicare voluerunt ea, quae vel ſimpliciter et per ſe repraeſentant, vel arcana abdunt, vel ſub mole hac concludunt et recondunt. Haec occaſio fuit et cauſſa ſtatuarum ex marmore et aere olim effictarum, ut eorum et formam et nomen immortale, poſteris colendum traderent, quorum vel honori illae erant dicatae, vel vultus ſimilitudinem referebant. Pyramides, immenſae molis ſtructurae, quarum unam a trecentis ſexaginta hominum millibus conſtructam produnt, erogatis in raphanos et cepas octingentis talentis, inter mundi miracula ſunt relatae. Tantum vero opus non alio agebatur fini, quam ut partim Regum Magnatumque corpora, quae medicato aromatum apparatu a putredine omnique corruptionis labe ſervare ſtuduerunt, ibi reconderent, ne impoſterum aëris, aquae, caloris, temporumque iniuriis aut animalium inſidiis corroderentur : partim ut nominis famam ad poſteros transmitterent, et orbi univerſo, tanta miracula obſtupeſcenti, celebrarentur. Porro Aegyptii vana gloriae cupiditate ducti gloriabantur, cultum divinum, et religionem, ſcientiam imperandi, omnes artes ac literas a Diis caelitus ſibi eſſe traditas. Et certe antiquiſſimis temporibus non alia gens ſapientior habebatur, omnesque populos ea laude praeſtabat. Hanc ut ad ſuos propagarent; ſacra iſtaec arcana artesque ſalutares lapidibus inſcribebant. Atque hi ſunt Obeliſci illi in publico urbium foro poſiti ideo, ut religionis ſcientiarumque ſanctitas omnium oculos perſtringeret, et praetereuntes admonerentur reve-

rentiae ſacris debitae. Ne autem profano cuilibet Theologiae pariter ac Philoſophiae promiſcue paterent arcana, earundemque dignitas et ſplendor negligentius habitus profanaretur; ſub characterum et ſymbolorum involucro omnia occultabant, quae praeter Sacerdotes et ſacris initiatos nemo legere, nedum intelligere, poterat. Atque Hieroglyphicas iſtas figuras ab antiquiſſimo omniumque primo ſuo doctore Theut, (quem Hermetem ſeu Mercurium fuiſſe volunt,) ſe accepiſſe dicebant. Illarum uſus ſacer erat, utpote quibus nonniſi praecipua religionis arcanae capita, ſolis Sacerdotibus cognita, in horum uſus conſignabantur. Omnis autem Aegyptiorum religio conſtabat multiplici de Deo ſcientia, e rerum naturalium cognitione petita. In memoriam ergo profanis revocabant hi Obeliſci religioſum DEI cultum; Symbola vero et hieroglyphica ſanctitatis, qua religio commendabatur, eos commonefaciebant. Eruditi viciſſim, ſacrorumque periti myſtae, fundamenta doctrinae ſuae inde legebant, nunquam intermoritura. Haec enim monumenta, libris literisque pereuntibus, perennia erant; adeoque ex illis dogmata ſua ſemper repetere valebant.

Ex iis, quae hactenus dicta ſunt, facile patet, quam difficile ſit, ex paucis, quae ſuperſunt, Aegyptiae ſapientiae reliquiis de vera Hieroglyphicarum figurarum, quibus deſcripti ſunt Obeliſci, iudicare interpretatione: maxime cum ſacrae hae literae vix milleſimo ex Aegyptiorum turba cognitae fuerint, ſatisque intellectae. Mihi itaque, poſt alios, Pierium Valerianum maxime et Athanaſium Kircherum, Obeliſci interpretationem tentanti, erroris, ſi quis invito obrepat, veniam eo facilius ſpondeo, quod in re abſtruſa et ardua verſor, utpote in qua perſpicaciſſimus Oedipus interdum labatur. Secutus autem ſum fere Kircheri veſtigia, quem literarum harum opus arcanum non tentaſſe ſolum, ſed et feliciter perfeciſſe, omnes fatentur.

Lateris primi explicatio.

QVatuor Obeliſci latera, quatuor orbis plagas reſpiciunt, ut ſignificetur, reconditum ſub hieroglyphicorum involucro ſenſum ad omnem pertinere mundum, mundique quadripartiti praeſidium eo innui. Doctrina itaque et praecepta in eo deſcripta, communia ſunt omnibus hominibus, horumque regimen ſubindicant moderate et ex myſteriorum praeſcripto exercendum ab iis, quibus in alios poteſtas eſt conceſſa.

In cuiuslibet lateris ſupremo apice inſcripta eſt figura fere circularis, reſpondens Graecorum literae Θ; qua dubio procul primus Aegyptiorum doctor, a quo artes omnes et ſcientias ſe edoctos gloriabantur, et quem idcirco divino proſequebantur cultu, nomine THEVT ſignificatur. Indicare itaque volebant iſtac litera, et huius Obeliſci myſteria ab eodem auctore eſſe, nec aliunde arceſſita. Cum vero ex Graeca voce Θεὸς haec litera mutuata videatur, et infra literae Graecae A et X recurrant; ſubit memoriam hariolari de aetate huius Obeliſci, quem poſtremis Aegyptiorum temporibus eſſe conſtructum ſuſpicari poſſemus, poſtquam Graecos iam admiſerunt, ſuamque ſapientiam Graecorum, Platonicorum maxime, placitis permutarunt, interpolarunt. Sed liberum eſto cuique ſtatuere hac de re, quicquid volet. Poſſemus quoque, et fortaſſe rectius, dicere, circulum hunc eſſe igneum cum transverſo ſerpente

 incluſo

incluſo : quam literam myſticam *Thauta* vocabant; per circulum igneum, mundum; per ſerpentem vero mundi conſervatorem occulte indigitantes, uti ex Pherecyde Syro docet Euſebius, cuius verba ex Kirchero adſcribam : Pherecydes quoque de Phoenicibus efformationes accipiens, edoctus divinitus de DEO, quem *Ophionea* dicebant, et de Ophionidibus mirum in modum diſſeruit; de quo alio loco dicemus. Verum Aegyptii univerſum depingentes mundum, hac ipſa inducti ſententia, in circulum aſtralem, igneumque in ſuperficie circumfuſum ſerpentem forma accipitris extendunt, ut ſit Θ Thitae Graecae literae figura conſimilis, magnitudinem mundi, ac formam per circulum ſignificantes; per ſerpentem vero, qui in circulo poſitus eſt, bonum daemona conſervatorem omnium, cuius virtute mundus contineatur, ſignificantes. Haec Euſebius.

Infra hanc literam *bini* in genua procumbunt *homines* : qui et in reliquis ſimiliter tribus viſuntur lateribus, niſi quod in ſecundo et quarto alter virorum ſtet erectus, alter vero in genua ſe demittat. Excipit hos inferius per omnia latera vir ſedens, mitra ornatus ; et ante hunc alius genibus innititur; qui tamen in latere ſecundo non genibus advolutus, ſed erectus conſpicitur. Singulae hae imagines bonos denotant Genios, mundi dominos : e quibus ſedentium habitus denotat, per ipſos inconcuſſae ſtabilitatis, et firmum in terram imperium habentes, divinam proxime operari potentiam, ſine alterius cuiusque miniſterio. Qui autem ad genua reliquorum ſunt advoluti, Geniis ſubſunt maioribus, quibus praeſtolantur, quorumque voluntatem et mandata exequuntur. *Mitris* decorati, et litera ſacra A notati, notabant Genios, ſumma poteſtate a DEO ſummo inſtructos. *Geſtibus* curam exprimunt ac diligentiam, quam celerrime conficientes ſummi Numinis iuſſa, praecipue colunt ſemperque adhibent. *Linteo* eorum pars tecti, quod hoc veſtimenti genus ad labores et agilitatem expeditiſſimum. Videri quoque poteſt linearum veſtium uſus ob puritatem illis tributus.

Inter deſcriptas has figuras et prope illas *globi* comparent *dimidiati*, ſive ſphaerae ſegmenta, mundi eiusque partium et regnorum indices : quibus ſignificarunt, ſolum atque unicum Geniorum illorum eſſe officium, curare res mundanas, ſtellis vim indere et efficaciam, quam in inferiora haec exſerant, terramque fecundent, ut ex ea ſuccum trahant nutritium plantae fruticesque etc.

Sub *papilione*, qui in latere primo, tertio et quarto ſedentibus adeſt, et inferius aliquoties recurrit, Aegyptii Naturam, Deam πολύμορφον aut παντόμορφον, efformarunt. Hos vero Genios, quibus papilio adiungitur, inferioris eſſe ordinis, quam illi, qui ſupremo ſtant loco in pyramide, hinc patet. Cumque et in ſecunda hac Deorum claſſe alii ſedeant, alii pedibus conſiſtant, alii humi proſtrati in genibus iaceant; et hic eorum habitus ſubiectionem, ordinisque gradum vel ſuperiorem vel inferiorem deſignat; omnes tamen quandam Naturae vim tribuere, et per eam efficaciter operari intelliguntur. Sub papilionis ſymbolo Naturam occultant ideo, quod ſingulis fere menſibus, uti coloni quoque obſervant, aliam induit formam : ſicque non ſecus ac Natura ipſa varie mirificeque ludit. Genium ergo eſſe indicant, cuius officium, ut tempori rite ſerviat, omniaque exacte ordinet, efficiatque. Atque hoc peculiare habet et primarium, ut tum aſtra et elementa, tum res creatas in hoc univerſo omnes ac ſingulas apte

apte informet, et quo illae eſſe debeant ordine ac loco, diſponat. *Papilionem* δρακοντόμορφον exhibere illos voluiſſe, Kircherus pronuntiat, cuius interpretatio doctiſſima hic addi meretur. Eſt hoc animal, ait, Aegypto proprium, et inter papyreta paſſim reperitur, bicorne, caudam habet ſerpentis in morem effigiatam, alis amplis et patulis praeditum, nunc binis, modo quaternis pedibus inſtructum. Huiusmodi animal Aegyptii notabant, ex vili verme primo in bipedem, deinde in quadrupedem excreſcere, mox alis innumera figurarum varietate imbutis, cornibus quoque ſe conſpiciendum praebere; ut proinde mirum non ſit, eos, dum prodigioſam hanc metamorphoſin viderent, id congruum ſane praeſidis materialis mundi ſymbolum aſſumſiſſe; hic enim ex materia formarum appetitiva, diſpoſitionibus praeviis introductis, veluti ex chao quodam elementaris miſcellae, primo bipedum per binos pedes, mox quadrupedum, per quaternos; deinde volucrum varietatem per alas variegatas, biſulcum genus per duo cornua, reptilium per caudam apte indicatam, produxit etc.

Sequitur *accipiter cum mitra*, quem eundem et latere ſecundo atque quarto itidem videre licet. Plutarchus refert, accipitre picto Aegyptios ſemper Oſirin, Deum illum ſuum et ſacroſanctum regem, omni gloriae et honoris genere decoratum, propoſuiſſe. Et per Oſiridem quidem ſolem denotabant, ita ut ſententiam Symbola hanc exprimant: Naturam ſuis cum daemonibus in inferiora haec, et praecipue in tellurem, Solis beneficio efficacem eſſe, huiusque illam lumine impraegnare, ut hominibus pariter ac animantibus alimenta praebeat. In latere tertio eoque ſeptentrionali, loco accipitris *bos* eſt, Oſiridis itidem vel Solis ſymbolum. Cur in hoc latere ſub hac potius, quam accipitris imagine, ſolem adumbrare voluerint, cauſſam ſuſpicor, quod regio Aegypti, in Septentrionem ſpectans, paſcua habet laetiſſima agrosque fertilisſimos; unde pecora ibi multa aluntur. Hinc et ibidem boum, tanquam ſymboli ſolis, magna erat veneratio. Aequum igitur erat, ut bovis imagine ſignaretur ibi ſol, huiusque ſub iſtoc ſchemate in re agraria utilitates et benefica munificentia adumbraretur.

Atque haec Obeliſci veluti epigraphe eſt ac titulus, quo praecipuum eius argumentum declaratur. Legimus hic Auctoris nomen, literam Θ ſive Theut ſive Θεὸν interpretemur. Argumentum exhibent ſubſcriptae tres imagines, quarum ſuperior, in omnibus conſpicienda lateribus, ſupremum Geniorum vel Deorum ordinem; altera, proxime ſubiectum iſtis; tertia ſolem, per quem inferiores illi daemones in mundum exercent imperium, ſcite indigetant. Vt igitur breviter doctrinae in Obeliſco deſcriptae argumentum complectar, illud erit: Supremi Numinis regimen, influxum et operationem fieri per miniſterium Geniorum diverſi ordinis et dignitatis; ita ut ſingula ex immutabili diſpoſitionis lege continuata nunquam non conſerventur.

Titulo declarato, ipſum nunc Obeliſcum interpretor, de ſymbolorum ſignificatione meam qualemcunque coniecturam allaturus. Infra accipitrem *homo* ſtat *erectus* brachiis expanſis, cum nota ſacrae literae A, quae boni daemonis index eſt. Ante hanc imaginem *ſerpens* eſt inciſus ſublato capite, tumidus et ſquamoſus; ſymbolum ſeverae iuſtitiae iraeque, qua benigniſſimum alias Numen ac mitiſſimum iam excanduit. Videlicet niſi Deos, ſua natura optimos et clementiſſimos, ſemper habeas propitios, eosque perpetuo placa-

 veris,

veris, ad iram illico concitantur, ut rerum illa principia, quae ſuo alias benigno influxu fecundant, inficiant malis cuiuscunque generis. Inde annonae difficultas, cum terra ſua homini alimenta non praebet; inde epidemiae morbique graſſantes, ex aëre infecto; inde factiones, ſeditiones in republica, et vel ſexcenta incommoda alia. Ea ſerpentis huius eſt indoles, ut unico halitu et afflatu, utpote veneno praeſentiſſimo, enecet. Aſpidem ergo ſymbolum Dei irati elegerunt, ad immenſam illius potentiam indicandam, cum penes ipſum ſit ius vitae et necis, ita ut breviſſimo temporis momento poenas ab hominibus repetere, eosque internecioni dare valeat. Eandem iram praeſentem puniendique promtitudinem brachia daemonis expanſa edocent.

Sequitur figura hominis ſedentis, a cuius tergo denuo ſacrata litera *A* deſcripta eſt. Infra eam *trabes* transverſariae pariter et arrectariae ſunt inciſae. Superius iam declaravi, ſedentem hominem cum litera *A* hieroglyphicum eſſe ἀγαθοῦ δαίμονος ſive Genii boni. Trabium diverſa iunctura exprimit influxum Numinis mutuum in daemones, horumque in mundum inferiorem. Senſus ergo huius hieroglyphici eſt, cuivis regioni ſuos eſſe Penates ac Genios, qui apud Deum, varias diras et noxas in humanum genus immittentem, pro eodem intercedant ac deprecentur, vel vehementius iraſcenti ſe opponant, eiusque conſilia intervertant; vel a mortalibus iterum expiatis mala avertant, auferant: ita ut novo bonitatis radio, quem trabes iunctae indicant, eos exhilarent, ſingulorum ordine et nexu reſtituto.

Excipit praecedens ſchema *papilio*, Naturae, uti vidimus, ſymbolum: ante ipſum eſt ramus e ſalubri planta Aegyptiaca, eaque ob vim Medicam celebratiſſima, cui *Silphio* nomen inditum. Haec fecunditatis omnigenae, ſalutis et incolumitatis, reſtitutae item ſanitatis ſignum, notat, benignitatis influxu iterum a Diis propitiis in nos clementiſſime derivato, Naturam cuncta rurſus, ut antea, bona largiri ac profundere, fertilitatem, ſanitatem, ſalutem, felicitatem et omnia. Quod ipſum ut eo rectius exprimerent, et deſuper iſtaec omnia a mundi intelligibilis daemonibus eſſe exſpectanda, evidenter declararent, adiecerunt praeterea duo globi hemiſphaeria ſuperiora. Illi vero cum vim ſuam et potentiam in haec inferiora effundant exerceantque ope ſolis, hunc iterum ſub *accipitris* effigie praeſentarunt. Aſſidet accipitri *homo cum accipitris capite* ſive ἱέραξ ἀνθρωπόμορφος, vel ἄνθρωπος ἱερακέφαλος, qui non alius, quam ſolis Genius ab Aegyptiis credebatur. Subdiderunt huic hierogrammatismo bina altera globi hemiſphaeria, eaque inferiora, cum ſolis in mundana haec noſtra efficaciam ſignificare vellent.

Sedet inde *homo*, ante ſe habens baculum incurvum; qui Genii huius ſolaris poteſtatem figurat, quam ut revererentur homines, eo ipſo docere ac commonefacere praetereuntes volebant. Eſt enim, ex Aegyptiorum opinione, ingens eius potentia; qua ipſe benignus in omnes cuncta penetrat, inſignis praecipue duplici ſceptro ſeu imperio, uti ex duplici *penna ſcriptoria* et *A* litera ſacra coniicere licet.

Hanc doctrinam de daemonum per mundum ſuperiorem ſeu intelligibilem influxu in inferiora, ſequenti hieroglyphico iam finiunt ac veluti obſignant. Eſt illud incluſum tabulae ellipticae, ſeu figurae ovali, in qua primo loco eſt *globus*, ſummi Dei ſymbolum; poſt hunc *murus* ſequitur cum ſeptem *pinnis*, quibus ſeptem planetae indicantur; tum *ſcarabaeus*, ſolis imago, et ab eius

eius latere *minor* aliquis *globus*, aëris ſignum : hinc binae firmiſſime ſibi invicem iunctae *trabes* terram denotant ; ac *fluvius* denique aquae elementum figurat. In ſacra hac tabula complexus erat ac veluti compendium hieroglyphicorum potiorum, eorumque ſacerrimorum : neque fere alia inſcripta repeꝛiuntur, niſi quae maxima et ſanctiſſima haberent. Iam vero quemadmodum in hac tabula occultas divini Numinis vires, et agendi facultatem nemini ſatis cognitam adumbrabant ; ita devocandi e caelo caeleſtes potentias et effectus edendi ſalubres facultatem eidem ineſſe, creduli ſibi perſuadebant. Quae cauſſa eſt, ut non tantum Obeliſcis frequenter inſculperent ; ſed et in templorum parietes inciderent, et in quoddam lapidum genus, quod deinde amuleti loco collo appendebant.

Edocuerant hucusque, qua ratione Deus ſupremus per Genios, variosque eorum gradus, in ſublunaria haec efficaciter operetur : nunc inverſo ordine declarant, qua ratione inferiora ab ſuperioribus dependeant. Ad infima itaque ſe demittunt, et primo loco medium terrae centrum praemonſtrant *globi dimidia parte*, cuius diameter ſurſum vertitur, arcu in inferiora prono. Terra fecunditatem recipit a ſtellis planetarum vagis, (quas *murus pinnatus* refert, uti iam vidimus,) et quidem opitulante prudentia (in *aſpidis* figura deſcripta,) caeli Numinisque ſupremi, id quod *ſuperioris hemiſphaerii*, *alteriusque globi* ſymbolis indicant. Atque beneficia illud ſua ; beneficentiam enim deſuper venientem *brachio* extenſo exhibebant; impertiebat diſtribuebatque ſolis interventu,(unde *accipiter* poſt brachium viſitur:) isque efficaciſſimus eſt,(efficaciam autem *baculo* oſtendebant ſubiuncto,) prudentiſſimeque diſpenſat, (*ſerpentis* hoc imagine docemur,) et e caelo, ſub *figura ovali* adumbrato, largitur terrae noſtrae ſumme providus, (vigilantiae quippe ac providentiae ſymbolum eſt *oculus*,) divitias, fortunasque omnes, dona ac bona ſingula : (quod ipſum *brachium* dicit *cum palmite* in manu :) idem quoque interiora telluris penetrat, (quae illius vis *ſecuri* adumbrata eſt,) ſuperiorisque mundi influxum in inferiorem, huiusque cum illo harmoniam inſtituit, dirigit, conſervat : quod litera decuſſata *X* docet : hac enim litera animae mundi proceſſum verſus inferiora, receſſumque ad ſuperiora indigitabant. Denique reliquis iſtis ſymbolis monere volebant, ſolis vim atque effectum ſapientiſſime, (ſapientiae ſymbolum *ſerpens* eſt,) caelitus (id quod *ſuperior circuli arcus et ſerpentes bini deorſum procedentes* declarant,) demitti in terram, per *ſerpentis ſitum rectum* denotatam, et in aquas : quas *ſacrae piſcinae* tria figurant receptacula. Vid. Kircher. Oedip. Aegypt.

Tandem ſub finem lateris huius omnem hanc doctrinam paucis repetunt, et unico capiti includunt, docendo, aſtrorum, ſub *figurae ovalis* ſchemate deſignatorum, et duodecim praecipue ſignorum caeleſtium, beneficio atque miniſterio (quae *murus duodecim pinnis* faſtigiatus refert,) Nili denique exundatione, (quam *aquae ductus* ſeu *libella aquatica* adumbrat,) omnia tuentem Dei providentiam, (cuius hieroglyphicum eſt *oculus*,) ſuam in res creatas cunctas exſerere vim, (quam *baculus* iacens ſeu *ſceptrum* ultimo loco videndum monſtrat,) atque imperium exercere.

Eno-

Enodatio figurarum, quae in latere altero conſpiciuntur.

EX iis, quae huc usque dicta ſunt, patet, deſcriptum eſſe et exhibitum primo hoc Obeliſci latere integrum Theologiae Aegyptiacae ſyſtema, vel certe eius doctrinae compendium, uti Deus, qui ſummus reliquis omnibus praeeſt, per daemones, ſeque ipſo minores vicarios ſuos, (quibus tamen non aequa omnibus poteſtas aut dignitas, ſed ii in ſuos ſinguli ordines certasque claſſes ſunt deſcripti,) mundum hunc regat; cumque eisdem beneficentiae ſuae radios communicet, qui denique ea ſupremi Numinis beneficia ſuo illi miniſterio rebus in hoc terrarum orbe creatis dispenſent, ſuoque influxu dispertiant.

Iam vero in altero hoc latere et reliquis, uſum huius de rebus divinis ſcientiae docere, mortaliumque animis infigere voluerunt ſymbolis itidem hieroglyphicis, quae nunc conſideratius examinanda ſunt, et ſenſus eorum abſconditus enucleate proferendus. Id quod eo facilius peragi poterit, cum pleraeque figurae in primo latere deſcriptae, adeoque iam declaratae, hic recurrant, atque otium fere faciant. Paucula tantum ſunt ſymbola, quorum ſenſum myſticum ſeparatim nunc prius indicabo, antequam totius lateris interpretationem moliar; hanc vero ſecundum ordinem figurarum tum hic, tum in ſequentibus, ſemper ſubiungam. Nova in hoc latere ſchemata exhibentur ſequentia:

1. *Bos*, qui praeter Solem etiam agriculturam denotat.

2. *Serpens erectus*; qui vigilantiae eſt ſymbolum.

3. *Accipiter dormiens*, qui ſolis receſſum, tanquam eius ſomnum, et occultationem refert, cum videlicet nullos in haec inferiora effectus edat. Vnde Kircherus ex mente Epiae, Aegyptii Deorum interpretis, ſcribit de accipitre: Cum clauſos retinebat oculos, tenebrae fundebantur: ut nullum dubium ſit, naturam eius maxime igneam eos exiſtimaſſe, ac ſolis effectus illos, accipitris geſtibus demonſtrare voluiſſe.

4. *Catena* ſacrificiorum vim et efficaciam, quam habent devinciendi Deos, eorumque gratiam et beneficia promerendi, indicat.

5. *Noctua* adverſae poteſtatis ſymbolum eſt, a qua in corpora mundo ſubiecta nil niſi calamitates deriventur.

6. *Fibula ſeu anſa ferrea* ſignificat firmiſſimum rerum nexum et cohaeſionem ſolidatam.

7. *Patera inverſa* effuſionem adumbrat et participationem aut communicationem.

8. Tres ſtatuae mercuriales ſeu *lapides termini*, cum *receptaculo ſacrae piſcinae*: quorum ſymbolorum prima, tria anni tempora, ultimum vero, Nili fluvium deſignant.

9. *Bina capita leonina*, Nili itidem hieroglyphica.

10. *Tria vaſcula* ſeu tres ollae, nota copiae et ubertatis.

11. Tria vaſa alia, vel potius *tres arae*; quas itidem ubertatis ſigna eſſe habenda ſuſpicor.

Senſus

Senſus interpretatio.

SChemata tria priora, quae in omnibus lateribus eadem, veluti titulus Obeliſco ſunt praemiſſa; et iam declarata. Heic itaque explicandi primordia ſunt capienda a figura bovis. Latus hoc cum ſit occidentale, et ſoli ſua terris lumina mox deneganti obverſum, a precatione ordiuntur Obeliſci auctores. Ante omnia nimirum Deo illi ſidereo agunt gratias, (ſol enim *accipitris* effigie proxime deſcriptus fuit,) pro incolumitate et beneficiis, elapſa ſibi die clementiſſime praeſtitis. In memoriam ſimul ſibi revocant reditum ſolis, *cuius ad ortus noctis opacae decus omne fugit*, et qui calore ſuo ipſorum in terris cuncta generet, recreet, ac nova quaſi vita donet. Atque hinc eſt, quod cuncta haec hieroglyphica in meridiem ſpectent, indeque ſolis iam aeſtum meridianum quaſi exſpectent. Optant igitur, ut hic ipſorum Deus poſtero die, et deinceps perpetuo, agrum et agriculturam, (quam *bovis* imago pingit,) ſuae benignitatis radiis atque influxu, (*trabeatio* hunc ſignat,) fecundet laeteque reficiat. Fieri autem ſolet, ut dormire quaſi in ſomnum lapſus videatur ſol, (*accipitris dormientis* habitu adumbratus,) hoc eſt, ut lumina ſua et virtutem calefaciendi mundo deneget; quo tempore omnia veluti profundum mortis veternum dormire videntur; atque tum eundem denuo, ut novam ſumat vitam, excitari, (quod *ſerpentis erecti* nota declarat,) precibus et ſacrificiis a ſacerdote, (quem adſtantem videas,) oblatis, ita ut fecunda iterum reddatur terra, bonorumque, (*ſilphii* figura ſignificatorum) copia beetur univerſa haec natura inferior. Iſtis precibus et ſacrificiis tantam attribuunt vim, ut et Supremum Numen (ſub *globi* imagine repraeſentatum,) commoveant, quo diis inferioribus ſua praeſentia adſit, et de ſuo illos lumine ac numine participet, quod ceteris hi rebus creatis, mundoque univerſo impertiant, atque ita cuncta veluti *catena* quadam, quam ideo appinxerunt, coniungant, et, ne facile diſſolvantur pereantque, firmiſſime conſtringant. Huic ipſorum Deo ſidereo ſeſe oppoſuerat Typhon, immortales cum ipſo iras exercens, (quem *noctuae* ſymbolo intelligebant:) Hic nihil aliud referre videtur, quam vel nimiam humorum abundantiam, qua Horus ſive mundus veluti in mare coniectus ſubmergitur; vel radios Saturninos, ſeu vim quandam aduſtivam, qua Horus inopia humoris violenter quaſi a Typhone mori cogitur. Nihil enim plantis, fructibus floribusque adeo nocivum eſt, quam nimia humiditas, qua ſuffocata computreſcunt; aut nimia ſiccitas, qua, exareſcentibus radicibus, contabeſcere neceſſario coguntur. Vtriusque et ſiccitatis et humiditatis, cuius cauſſa eſt maior Nili exundatio, continuationem diuturnam *fibula* ſeu *anſa ferrea* ſignificabant. Rogarunt itaque ſolis imaginem, accipitrem puta, ut Typhonis, ne amplius noceat, vires accideret, ſuaque potius virtute ipſos liberaliſſime bearet. Atque hoc indicat *phiala inverſa*, cui accipiter inſidet, et quae idcirco radios verſus inferiora demittens efficta eſt, ut rerum omnium copiam, *brachii* ſymbolo notatam, ſibi ab efficacia ſolis venire docerent. Porro ut ſignificantius exprimerent, undenam rerum ſibi omnium abundantiam expeterent; *tres terminos*, totius anni notas, et *piſcinae ſacrae* receptaculum, Nili ſymbolum, proxime ſubiunxerunt; Deum ſuum Oſirim eo ipſo adorantes, velit omnem annum, et praecipue Nilum, omni bonorum affluentia,

(quam iteratò poſita *brachii* figura denotat,)clementiſſime coronare,et exoptata omnibus incrementa benigne dare. Sigillatim exoptant, ut Nilum, *binis capitibus leoninis* figuratum, et aquas omnes,tum fontanas, tum fluviatiles, ſuos intra limites, quos *lapis terminus* deſignat, coërceat, ne excedentes damna afferant. Rogabant inſuper, ut tantas aquis inderet virtutes, quo inundantes fecundarent ſingula, et quibuscunque rebus augmenta adderent; id quod ſub *papilionis* et *ſilphii* ſymbolis occultarunt. Tandem ſua deſideria ſuasque preces ſacro illo *amuleto*, cuius ſenſum iam ſupra quaerendo inveſtigavi, quaſi obſignant. Ab Numine igitur ſuo ſidereo efflagitant, ut pro ſua in ipſos bonitate curet, provideat, caveatque, (*oculi* id ſigno indicatur,) ne denegato terrae proventu, (quem *fibula ferrea* adumbrat,) ipſi terrae, (quam per *ſerpentem proſtratum* depingunt,) vel aliis quibusve rebus periculum ac damnum ab cacodaemone, *noctuae* imagine expreſſo, imminens, ſit metuendum. E contrario optant, ut per duodecim ſignórum caeleſtium miniſterium, (quorum imaginem *murus* refert duodecim pinnis inſtructus,) abundantem rerum omnium affluentiam, (*ollarum trium* ſymbolo exhibitam,) benevole largiatur, eamque in terram, (quam *ſerpens* figurat,) in aquam, (*hydroſchema* autem itidem adſcriptum cernitur,) in ſidera, (*muro pinnato* repraeſentata,) et denique in rem publicam, (*globo dimidiato* figuratam,) efficaciſſime derivet. Hic quippe ipſorum Deus ſua prudentia, (*repentis ſerpentis* effigie efficta,) et potentia ſumma, (quam *baculus* ſeu *ſceptrum* deſignat,) cuncta ſuo conſervat ordine; qui *norma* ſive *gnomone* indigitatur. Tandem haec omnia ſub finem breviter comprehendunt, orantes, ut Deus unus, (*I*) ſupremus (*O*) et ſanctiſſimus (*ß*) ipſis in terra viventibus ipſorumque regioni, (quam *inferius globi hemiſphaerium* notat,) omnem divitiarum copiam, (quam ex Kircheri ſententia *tribus vaſculis* hoc loco depinxere,) utendam, fruendam clementiſſime concedat. Ad extremum coronidis loco *bina* pinxerunt *ſceptra*, ſive *duplicem baculum*; ut ſignificarent partim quae precati eſſent a Deo, nimirum, primo ut fortunarum abundantia ſe donet; deinde ut fortunam adverſam avertat et averruncet: partim, quanta potentia polleat idem, duplici videlicet: quarum altera ſe tutos praeſtet ab infortunio, altera beatos, omnique ſalute et copia affluentes, reddat.

Enodatio figurarum, quae in latere tertio conſpiciuntur.

CVr in latere hoc ſeptentrionali ſolis effigies, in titulo Obeliſci deſcripta, et ſuperius iam declarata, ſit *bos*, non *accipiter*, itidem iam dictum eſt. Nimirum *bovis* figura paſcua deſignat et rem pecuariam. Figurae, huic lateri veluti propriae, eo quod in prioribus non inciſae compareant, adeoque ſeorſim nunc prius declarandae, quam de ſenſu totius lateris ſimus ſoliciti, ſunt ſequentes:

1. *Feretrum*, cui ſuper imponebant tum ſacra ſimulacra, tum ciſtam opertaneam ſacrorum: illud vero Deos et Numina debito honore celebranda, verbo, Deorum cultum et ceremonias ſignificaturi, pingebant.

2. *Bina Piſtilla*, corruptionis et interitus ſymbola: piſtillis ſiquidem res comminuuntur.

3. Ca-

3. *Caput Hori*, quod ubertatis, benignitatis vel ſolis ſymbolum eſt.

4. *Piſcina*, incrementi et multiplicationis index.

5. *Securis*, potentiae ſymbolum.

6. *Piſcina ſacra*, (de qua Kircherus fuſe egit;) praeſtanti influxu Deorumque virtute incrementa rerum omnium et abundantiam ſpondet.

7. *Porta*, quinque flammis conſpicua, quam Thauſti perhibent; haec cum ſolennitates celebrarent, in adytis conſtituebatur, luminibus ſeu flammis inſtructa. Ceterum ubertatem et vitam pollicetur.

8. *Nilometrica ſcala* Nili conſervationem ſignat. Sacerdotes quippe Aegyptiaci ſuis in adytis et ſcholis columnas Nilometriae habebant poſitas, certis gradibus diſtinctas, ex quibus non tantum Nili incrementa praedicebant; ſed et de futura anni conſtitutione divinabant.

9. *Porta binis valvis et canibus duobus* munita, portam Mercurialem ſive animae mundi indicat; et perpetua rerum neceſſariarum augmenta ſpondet.

10. *Ara ovalis* in arcus caeleſtis ſimilitudinem expreſſa, ſacrificia ſignat, quibus Numina propitiare ſolebant.

Senſus expoſitio.

INitio quidem Solem, tanquam Deum, adorant, ut rem pecuariam et agrorum proventum (hunc enim innuunt, quando loco accipitris lateri huic boreali *bovem* inſculpſere,) ampliſſimum praeſtet, (uti *brachium* cum *capreolo vitis* bovi ſuppoſito pulcre docet,) et per Genios ſuos, ipſius miniſtros (quos *perſonae ingeniculatae* cum *hieralpha* indicant,) omnem rerum bonarum influxum, (*contrabeationis* ſymbolo notatum,) et incrementa, (quae *papilio* cum *thyrſo ſilphii* ſignant,) liberaliſſime largiatur. Haec excipit *ſacra tabula*, continens praeter ſchemata, ſuperius expoſita, *bina ſceptra*, quibus duplex Dei ſui dominium in aquam et in aërem praenotant. Atque bina haec elementa proximis ſignificantur ſchematibus *peripheriae oblongae* et *duorum fluminum*; eo quod Divinum Numen, *cycloide* notatum, in utriſque ſuum exerit dominium et potentiam. Cumque benignos hos influxus attrahi crederent, ſi Deum ſacrificiis rite colerent ac venerarentur, haec ſedulo curanda eſſe, *feretro* adiecto, docuerunt; illud praeterea appicta *Noctua* Typhonia, et *binis piſtillis* in ſe mutuo verſis, innuentes, ſacrificiis noxia quaelibet et interitum minitantia propulſari. Amplius Deorum ſuorum virtutem, influxum item in univerſam rerum naturam frugiferum, et amicam coniunctionem *catena* praenotarunt; uti viciſſim illius perpetuitatem *imago ſedens* figurat. Occultum illum motum adeo potentem eſſe perhibent et fecundum, ut per eum rerum omnium, quotquot in mundo ſunt, copia et ubertas proveniat. Atque hanc quatuor hic ſymbolis notarunt, *capite Hori, binis brachiis* cum *manibus explicatis*, et *piſcina maiore*. Conſervari illam ubertatem crediderunt, ſi ſolare *accipitris* Numen noxia quaevis averruncet, quod *ſecuris* addita ſignat: ſic enim aſtrorum influxu, (quem *hemiſphaerium inverſum* et *figura ovalis* adumbrant,) omnem mundo ubertatem (cuius ſymbolum hic eſt *ſilphium* cum *piſcina ſacra*,) non ſponderi modo, ſed et praeſtari. *Sceptra*, quae ſequuntur, tria potentiam ſummam, infinitam nulliſque terminis circumſcriptam, exprimunt; talem tantamque Diis ſuis tribuentes, ut orbi univerſo et vitam et ſubſtantiam, (quam *Thauſti porta flammans* indicat,)

cat,) impertiri valeant. Tribuunt illis quoque prudentiam omniſciam, (cuius ſymbolum hic adiectum eſt *accipiter coronam in capite geſtans,*) qua Nili exundationibus ita moderatur, ut congrua incrementa ſumat, nec fines aut terminos praeſtitutos excedat. Eadem quoque moderatur aſtrorum, *cycloide* notatorum, curſui et virtutibus. Hinc ſacerdotes cultum illis debitum, quae per *portam Mercurialem* indicatur, ſedulo intentos (hanc ſedulitatem et vigilantiam bini ante portam *canes* notant,) peragere, et, ut illos multarum magnarumque potiſſimum victimarum oblatione placarent, ſumma cura invigilare oportebat: id quod *ara ovalis* occulte innuit. Atque ita demum fore putabant, ut omnia et ſingula in aqua, aëre et aſtris, per *tres terminos* indicatis, adeoque in orbe univerſo, ſecundum leges et diſpoſitionem aeternam ſuo munere fungerentur.

Enodatio ſchematiſmorum, qui in quarto latere peculiares conſpiciuntur.

I.

GLobus alatus, ex quo binae proſerpunt *aſpides*, ſive ὀφικυκλοπτερόμορφος; quo triforme Numen indicabant, ſive tres in Deo potentias.

2. *Aquae ductus* ſive *canalis*, quo Nilus vel occultus Deorum influxus figuratur.

3. *Vas Niloticum* cum *ſceptro* impoſito; quod ingentem notat ubertatem.

4. *Corona*, ſacrificiorum ſymbolum.

5. *Baculus* ſive *pedum*, ſuperiore parte incurvum; nota fortitudinis, quae cuncta ſuſtentat.

6. *Anubis caput*, ſagacis vigilantiae ſignum.

7. *Horus ſedens*, qui idem ac Sol.

8. *Luna*, vitae ſymbolum.

Senſus uberior expoſitio.

PRaemiſſa epigraphe, quam hoc latus orientale, ſoli orienti obverſum, cum reliquis communem habet, ordiuntur a precatione et gratiarum actione. Soli, *bovis* ſchemate notato, gratias nuncupant debitas, quod benigniſſime ſe iterum reſpicere, ortuque ſuo mundum exhilarare voluerit; eundemque adorant, velit multam ſecum vim multamque fructuum utilitatem afferre. Ideoque bovi *ſceptrum* ſubiecere, ut virtutem ad omnia ſeſe potenter inſinuantem, quippe qua omnibus vitam ille oriens iterum largitur, adumbrarent: Uti viciſſim, eo non exorto vel poſthac ſuum mundo officium denegante, omnia interitui et noxae ſtatim obnoxia fore, *noctuae* ſymbolo addito docebant. Hanc autem noctuam *figura hominis ingeniculata* a tergo habet, quippe quam, damnum is metuens, adſpicere non ſuſtinet, metu ac timore territus. Anxius igitur et conſilii inops Deum orat, ut tanta haec diſcrimina illico avertat, et potius ipſe ſuo influxu, (cuius ſymbolum eſſe *trabeationem* aliquoties iam vidimus,) fecunditatem et ſalutem, (*ſilphii thyrſo* et *papilione* figuratam,) benigniſſime concedat. Excipit papilionem *tabula ſacra*, quam amuleti inſtar e collo

collo ſuſpendiſſe Aegyptios, annotatum eſt; eaque voti ſui ac deſiderii ſummam complectuntur. Inde docendo monent, providentia (quam *oculus* in tabula ſacra oſtendit,) triformis Dei ſui, (*globi alati* ſigno notati,) potentia item eiusdem, (ſub *ſceptri* imagine oſtenſa,) et occulto motu virtuteque (quam *aquaeductus* exprimit,) ſe diviti beari ubertate, omnisque generis bonis abundare; quippe qui ipſis de cunctis proſpiciat: quo pertinet *Vas Niloticum* cum *ſceptro*, itemque *oculus*, toties iam indicatum providentiae ſymbolum. Oſtendunt porro, ut ſol *accipitris* iterum ſchemate exhibitus, quem omni cultu et ceremonia ſacra (*feretrum* id declarat,) adeoque ſancte venerentur, ſua vi ac virtute in planetas, tanquam *heptapyrgum* caeleſte, influat. Atque hi, Nilo exundante, (quem ſub *aquae ſtatera* intelligunt,) eam ſuo virtutem miniſterio cum terra pariter ac ſideribus ceteris, itemque cum aëre et omnibus, quae in aëre ſunt atque vivunt, communicant. Quae omnia ſub figura ovali ſeu *cycloide* oſtendunt. Atque Genii, horum inferiorum praeſides, ſacrificiis ac victimis, quarum ſymbolum *corona* eſt, placandi ſunt atque exorandi, ut mala quaelibet, quae *noctua* Typhonica minitatur, caveant, arceant, averruncent; et potius ope duodecim ſignorum caeleſtium, (quae *dodecapyrgon* adumbrat,) efficaces ſint atque benigni, orbemque terreſtrem, *ſegmento globi* notatum, fertilitate, (*brachium* cum *vitis capreolo* hanc ſignat,) beent, fecundent, ne parco ille proventu aliave calamitate, a *noctua Typhonia* preſſus, miſer evadat. Iam porro indicatur, *Heptapyrgon* illud caeleſte, ſive ſtellas ſeptem vagas, eſſe fulcri inſtar atque *columnae*, (quae idcirco ibidem exciſa eſt,) qua Numen ſupremum 1) mundum 2) et caelum 3) fortiter conſervat: quae tria haec 1) *globus*, 2) *ſegmentum globi*, 3) et *cycloides* oſtendunt. Amplius docent, ut caeleſti vigilante *Anubi*, cuius *caput* hic additum conſpicitur, *Horus* aſſidens, ſive ſol univerſi dominator, in omnes mundi partes, (quas pone Horum poſiti *termini* indicant,) et in ipſam terram, *ſerpentis* effigie iacentis praeſentari ſolitam, operetur, vitaque omnia animet, et diffuſam cunctis conſervet: cuius conſervationis ſymbolum eſt *Luna*, mundo hic adiuncta. Hanc itaque doctrinam de mutua virium ſupramundanarum cum mundanis 1. coniunctione, normam eſſe volunt cogitationum 2; ut ſcirent, quam ſententiam foverent, ſiquidem ad praeſcriptum legis divinae 3 vivere, prudentiaque ac ſapientia 4 hac in terrarum parte 5 adhuc conſtituti inſtrui cuperent. Significant hoc ſchematiſmis *1 literae X* cum *ſceptro*, *2 calami ſcriptorii*, *3 terminalium lapidum*, *4 ſerpentis* atque *5 globi ſegmenti* ſeu hemiſphaerii. Epilogi loco poſita eſt *manus*: qua indicabant, data veluti dextra Deum ſibi ob cultum, quem ipſi prudentiſſime ac ſumtuoſiſſime praeſtarent, promittere auxilium et ſtipulari; imo eum iam non haec tantum, quae precati eſſent, dediſſe, ſed et longe plura addidiſſe.

Habes, Lector Benevole, qualescunque meas coniecturas de Obeliſci Conſtantinopolitani interpretatione; quam nec iniucundam nec inutilem eſſe ſpero. Ipſe quidem temere aſſeverare non audeo, nulla in parte hic a me eſſe peccatum; imo potius breviores has meditationes prudenti benevoloque eorum iudicio ſubmitto, qui rerum Aegyptiarum peritia meam qualemcunque notitiam ſuperant; nullus dubitans, quin magis recondita ſint inventuri. Ceterum illud iterato hic monere e re duxi, me veſtigiis Athanaſii Kircheri, qui

Conſtantinopolitani Obeliſci interpretationem, ut alios taceam, ſuo in Oedipo dedit, preſſe fere inhaeſiſſe. Inveniet autem Lector amicus apud eum plura lectu non iniucunda; quae hic repetere ſingula, et ex vaſtiſſimo illo Opere corradere nolui. Vnicum tamen ſenſum huius Obeliſci Politicum ex eodem quin adderem, temperare mihi non potui: exiſtimat nimirum hieroglyphicis hiſce figuris Sacerdotes, et ad ſolium regni aptos homines, moneri, ut rempublicam ſuam ad ſupramundanarum rationum exempla inſtituerent, et ad ſenſibilis mundi oeconomiam, ſi eam continuata duraturam bonitate gaudere vellent, adornandam ſuſciperent: hoc enim pacto Numinum ſibi praeſentiam, et contra adverſa auxilium, firmumque ſemper praeſidium ſe habituros confidebant.

Ad extremum cum ſaepe laudatus P. Kircherus ex Petro Gyllio afferat inſcriptiones, in ſtylobata Obeliſci Conſtantinopolitani inciſas; Fautor quidam, et amicus mihi ſingulariter colendus, mei quoque Obeliſci Baſin inſcriptionibus exornare benevole eſt dignatus. Et antiquas illas et has novas heic adſcripſiſſe et legiſſe non poenitebit: maxime cum novae eloquantur tum cauſſam, quae ad eum erigendum me perpulit, tum votum, quod pio animo tunc conceperam. Optabam iam tum ardentiſſime, illudque meum votum nunc quoque cordicitus repeto, ut iſte Obeliſcus pacis ab univerſa Europa diu fruſtra exoptatae, tandemque *auſpicato* partae, monumentum perenne et mihi et aliis exiſteret.

Epigramma, in latere ſtylobatae Occidentali Graecis inciſum literis, Conſtantinopoli legitur ſequens:

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ ΑΝΑΣΤΗΣΑΣ ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΟΣ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙ ΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ ΗΛΙΟΙΣ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΟ.

In latere vero Orientali ex oppoſita plaga, Latinum epigramma inſcriptum videtur, veluti Graeci illius interpres; atque hoc, quantum legi potuit, ſic ſeſe habet:

DIFFICILIS QVONDAM DOMINIS PARERE SERENIS
IVSSVS ET EXTINCTIS PALMAM PORTARE TYRANNIS
OMNIA THEODOSIO CEDVNT SVBOLIQVE PERENNI
TER DENIS SIC VICTVS DVOBVSQVE DIEBVS
SVB IVDICE PROCLO SVBLIMES ELATVS AD AVRAS.

Has inſcriptiones cum ſequentibus commutare placuit. In ſtylobata igitur Obeliſci, meo in horto poſiti, iam legitur:

I.

MISERI MORTALES
QVID PACEM POSCITIS
TVRBIDIS ANIMI IMPOTENTIS MOTIBVS
MOX PROFLIGANDAM
PERPETVA PIIS MENTIBVS
DE CAELO FVLGET SERENITAS
IMPII NON HABENT PACEM
NEC HABEBVNT.

II.

II.

ΗΝ ΠΑΛΑΙ ΕΣΤΗΣΕΝ
ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΡΟΥΡΗΣ ΟΓΚΟΝ
ΚΙΟΝΑ
ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ ΑΛΚΙΜΑ ΚΟΙΡΑΝΕΩΝ
ΤΗΝ Δ' ΙΕΡΟΝ ΜΝΗΜ' ΕΙΡΗΝΗΣ
ΑΝΕΘΗΚΕ ΤΕ
ΤΕΡΜΑ ΤΟΥ ΜΟΓΕΡΟΥ ΑΡΕΩΣ
ΕΞΟΧΑ ΒΟΛΚΑΜΕΡΟΣ!

III.

BEATI PACIFICI
TRANQVILLITATEM
QVI ANIMO SERVANT INTEMERATAM
BEATIORES
II DEMVM BEATISSIMI
QVIBVS E CALAMITATE ET MISERIA EREPTIS
AETERNA IN PACE
FACTVS EST LOCVS.

IIII.

ANNO SERVATI ORBIS M DCC VIIII.
EVROPA PAENE VNIVERSA
BELLO FAME CONTAGIO MISERE VASTATA
OBELISCVM HVNC
THEODOSIANI IN CIRCO BYZANTINO
ERECTI SIMVLACRVM
ANIMI PACEM SVSPIRANTIS SIGNVM
EX VOTO POS.
I. C. V.

F I N I S.

Con-

CONSPECTVS
TOTIVS
OPERIS.

PRaeloquium Auctoris.

LIBER I.

Cap. I. De Heſperidum pomario hujusque ſtructura, et de malorum aurearum plantatione.
II. Quando Heſperidum ſcena claudenda, quando aperienda?
III. De Aquae utilitate, et ſedula arborum irrigatione.
IIII. De Terra, plantationi malorum citrearum et aurantiarum apta.
V. Variae circa Aërem obſervationes, ut plantandis ille, transferendis hibernandisque malis aureis conferat.
VI. Vſum Ignis, et nonnullas de ſuccendendo foco obſervationes tradens.
VII. Mali Medicae Conſitio.
VIII. Transplantatio.
VIIII. Propagatio.
X. Putatio.
XI. Groſſorum, ſive pomorum crudorum defluvium.
XII. Agit de Quaeſtione: Num mala citrea et aurantia, quae in Italia gignuntur, ſucço ſint magis turgida, quam quae Germania nobis dat? et, num illa uſu praeſtantiora quam haec? item: Quodnam ſit tempus collectionis?
XIII. Malorum Medicarum morbi, horumque curatio.
Cap. XIIII. De Vermiculis et inſectis, aurearum malorum peſtibus, exterminandis.
XV. De Tempeſtate, ejusque in Malis Medicis effectu.
XVI. De Hortulanis.
XVII. De Hortulanorum vigiliis ſive excubiis.
XVIII. Deſcriptionem Lacus Benaci exhibens.
XVIIII. Montium memorabilium, et praecipue Montis Baldi deſcriptionem complectens.
XX. De Suburbio Genuenſi, *S. Pietra d' Arena* dicto; et de Pharo ibidem exſtructa, quam *Lanterna di Genoua* vocant: qua occaſione de aliis ſimilibus actum.
XXI. Deſcriptionem eminentiſſimi palatii Principis Andreae Auriae, Hortique egregii exhibens.
XXII. De Nervo, vico Genuenſium.
XXIII. Pomorum Aureorum Anatome.
XXIIII. Heſperidum arbores in Italiam et Germaniam primum translatae. Subjunctus eſt Catalogus ſpecierum potiorum, quae in Italia hodie florent.

LIBER II.

AEGLE.

Cap. I. De Malis Citreis univerſim.
II. Citri Vtilitas.
III. Mala Citrea Vulgaria, et ſpeciatim Citreum maximum Bondolotto. *Ital.* Cedro groſſo Bondolotto.

Cap. IIII. Malum Citreum Genuenſium vulgare. *Ital.* Cedro Genoueſe ordinario.

V. Malum Citreum Digitatum ſeu Multiforme. *Ital.* Cedro a Ditela.

VI. Malum Citreum flore pleno et fructu prolifero. *Ital.* Cedro di fior è ſugo doppio.

VII. Malum Citreum maximum Salodianum. *Ital.* Cedro groſſo Bondolotto.

VIII. Malum Citreum coniferum. *Ital.* Cedro col Pigolo.

VIIII. Malum Citreum Florentinum. *Ital.* Cedro di Fiorenza.

X. Malum Citreum vulgare parvum. *Ital.* Cedro picolo ordinario.

LIBER III.

ARETHVSA.

Caput I. De Limone generatim.

II. Limonum Vſus.

III. Limon Coſtatus major. *Ital.* Limon della coſta groſſo.

IIII. Limon Luſitanus dulci medulla. *Ital.* Limon da Portugal dolce.

V. Limon Luſitaniae Auguſtalis dulci medulla. *Ital.* Limon Agoſtarolo da Portugal dolce.

VI. Limon Saccharatus ſive dulciſſimus. *Ital.* Limon Zucherin dolce.

VII. Limon Canaliculatus. *Ital.* Limon incanellati.

VIII. Limon Bergamotto maximus. *Ital.* Limon Bergamotto della grand ſorte.

VIIII. Limonium cucurbitinum Imperiale. *Ital* Limon Zuccheta Imperiale.

X. Limonium cucurbitinum alterum et Lumia. *Ital.* Limon a Zucheta, è Lumia.

XI. Limon piri effigie, vulgo Peretta. *Ital.* Limon Peretto.

XII. Limon Peretta Perſonzina, et Limon Peretta canaliculatus. *Ital.* Limon Peretto Perſonzino, è Limon Peretto incanellato.

XIII. Limon piri effigie ſive Peretta ſpatafora. *Ital.* Limon Peretto ſpatafora.

XIIII. Limonium Romanum. *Ital.* Limon di Roma.

XV. Limonium Italice dictum Limon Cornagione.

XVI. Limon Calaber. *Ital.* Limon Calabreſe, ò Limon da Calabria.

XVII. Malum Roſeum. *Ital.* Mela Roſa.

XVIII. Limon digitatus aut multiformis. *Ital.* Limon Zattella.

XVIIII. Limones, qui vulgo Lumiae, itemque Limea Valentina. *Ital.* Limea da Valenza.

XX. Limea Galliciae. *Ital.* Limea di Gallitia.

XXI. Limea Longa.

XXII. Lumia Limonata.

XXIII. Lima Romana.

Caput XXIIII. Limon vulgaris.

XXV. Limon Salernitanus.

XXVI. Limon Bergamotta.

XXVII. Limon Perſonzina gentilitius ſive nobilis.

XXVIII. Limon dulcis vulgaris. *Ital.* Limon dolce ordinario.

XXVIIII. Limonium ſaccharatum coniferum. *Ital.* Limon Zucherin col pigolo.

XXX. Limon Irritator Appetentiae, et Ballotinus Hiſpanicus. *Ital.* Limon aguzza appetito è Ballotin di Spagnia.

XXXI. Limonium Citratum. *Ital.* Limon Cedrato.

XXXII. Limon Citratus alter et tertius.

XXXIII. Limea Aurantio congener. *Ital.* Limea Aranzata.

XXXIIII. Lima dulcis. *Ital.* Lima dolce.

XXXV. Pomum Adami vulgare. *Ital.* Pomo d'Adamo.

XXXVI. Pomum Adami Citratum. *Ital.* Pomo d'Adamo Cedrato.

XXXVII. Bizariae genus multiplex.

XXXVIII. Malum Citratum Mirabile, flore pleno et fructu prolifero. *Ital.* Cedrato con fior è ſugo doppio.

XXXVIIII. Malum Citratum Mirabile coniferum, fructu prolifero. *Ital.* Cedrato col pigolo è ſugo doppio.

LIBER IIII.

HESPERTHVSA.

Caput I. De Aurantiis generatim.

II. Mali Anerantii Vtilitas.

I.I. Malum Aurantium Indicum maximum vulgo Pompelmoes.

IIII. Aurantium maximum. *Ital.* Aranzo della grand ſorte.

V. Aurantium Auguſtale. *Ital.* Aranzo Agoſtarolo.

VI. Aurantium Citratum. *Ital.* Aranzo Cedrato.

VII. Aurantium Sinenſe. *Ital.* Aranzo da Sina.

VIII. Aurantium vulgare.

VIIII. Aurantium Indicum maximum, vulgo Pompelmoes.

X. Aurantium folio criſpo. *Ital.* Aranzo con foglia rizza.

XI. Aurantium Hermaphroditum ſeu corniculatum. *Ital.* Aranzo cornuto è Hermaphrodito.

XII. Aurantium corniculatum et canaliculatum. *Ital.* Aranzo Cornuto incanellato.

XIII. Aurantium canaliculatum. *Ital.* Aranzo incanellato.

XIIII. Aurantium Luſitanicum et Sinenſe. *Ital.* Pomo da Portugal, è Pomo da Sina.

XV. Aurantium ſtriis aureis diſtinctum. *Ital.* Aranzo fiamato.

XVI-

XVI. Aurantium ſtriis argenteis variegatum. *Ital.* Aranzo rigato con foglia ſtretta.
XVII. Aurantium ſtriatum cum foliis latioribus. *Ital.* Aranzo rigato con foglia larga.
XVIII. Aurantium Limonis effigie. *Ital.* Aranzo Limonato.
XVIIII. Aurantium flore pleno. *Ital.* Aranzo con fior doppio.
XX. Aurantium Citratum. *Ital.* Aranzo Cedrato.
XXI. Aurantium diſtortum aut monſtroſum. *Ital.* Aranzo diſtorto ò monſtroſo.
XXII. Aurantium Sinenſe pumilum. *Ital.* Aranzo Nanino da China.

FLORA NORIMBERGENSIS.

Praefatio.

Caput I. Enumeratio Auricularum urſi.
II. Primulae Veris.
III. Septem Ficoidum ſpecies.
1.) Ficus aizoides procumbens Portulacae Africanae ſemper virentis foliis, flore argenteo.
2.) Ficus aizoides teretifolia, foliis cryſtallino rore elegantiſſime conſperſis, floribus dilute roſeis.
3.) Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana teretifolia erecta, cryſtallinis micis adſperſa, flore amplo puniceo intus, extus ad ſolem aureo fulgore ſplendente.
4.) Ficus aizoides folio tereti in villos radiatos abeunte, flore rubro.
5.) Ficus aizoides Africana erecta folio triangulari breviuſculo fimbriato, floribus roſeis odoratis.
6.) Ficus aizoides Africana teretifolia erecta, caule piloſo, flore purpureo, copioſo.
7.) Ficoides ſeu Ficus aizoides Africana humilis triangulatis foliolis, flore extus purpuraſcente, intus aureo.
8.) Caryophyllus Chinenſis foliis laete viridibus, floribus ſimplicibus variis.
IIII. Apocynum Coraſſavicum ſeu Americanum, fibroſa radice, floribus aurantiis, Chamaenerii foliis latioribus.
V. Cotyledon Africana fruteſcens, folio longo et anguſto, flore flaveſcente.
VI. Phaſeolus Indicus cochleato flore.
VII. Datura Aegyptia flore triplici ſeu pleno.
VIII. Leonurus Capitis Bonae Spei.
VIIII. Cereus Americanus, ſerpens major articulatus, flore maximo, noctu ſeſe aperiente, et ſuaviſſimum odorem ſpirante.
X. Olea.
XI. Laurus.
XII. Arbutus.
XIII. Piſtacia.
XIIII. Mala inſana.
XV. Momordica Ceylanica.

Appendix.

I. De Horologii Solaris buxo in area adumbrandi ratione.
II. De Horto in charta ex Opticorum regulis delineando.
III. De Columnis Milliarium.
IIII. De Obeliſco, erecto ad exemplum Conſtantinopolitani, in ſuburbio Norico.

INDEX.

A.

A Litera hieroglyphica. 260. 267
Abietis ex minuto ſemine generatio, 39
Ablactationis modus duplex 42.43
Abſinthium verminans 64
Accipitris vivacitas, 56
ſymbolum, 261. 264
Acrumina in Germania nutriuntur et fructificant 6
ſed raro ſemine 54
Aculeis armantur mali Sinenſes, 41
Aegyptii Obeliſcorum auctores, 257.258
Eorum religio. 259
ex Aëris Gravitate et levitate cauſſae petuntur rerum naturalium. 3
Aëre animata et inanima omnia nutriuntur, 27
Aëris utilitas. 27
Aëre libero gaudent plantae, 28
Aër temperatiſſimus, 99
Aëris admittendi tempus, 23
artificium 28.29
Aetas arborum, vid. vita.
Aetna, 87
Aeſtu enecatae arbores irrigatione non reficiuntur, 31
Agreſtium circa urbem Noricam laus, 24
Agricultura prudentiae opus, 2
noſtram veteres ſtuperent. 4
Aizoidei ficoides, 221–224
Alpes glaciales, 88
in Ambulacris hypaethris ſtatutae arbores, an aeque feliciter vireant. 128
Anatomia citreorum, 103
Anguium generatio, 63
Animalium interitus, 56
Antipathia arborum. 12
Antiquitati laus debetur, ob inventionem rerum utilium et prudentiam, 1
praeluxit Aſtronomia, ibid.
ea imitanda, 2
Antlia pnevmatica. 27
Apocynum Curaſſavicum ſeu Americanum, 225
Apum generatio e cadaveribus, 63
Aqua fervida noxium contra formicas ſubſidium, 67
Aqua marina edulcatur, 3
origo rerum omnium, ibid.
tepida arboribus hieme affundenda, 23
fontana ad eas irrigandas minus commoda, 22
dat incrementa plantis, 25
Aquandae arbores recens plantatae, 35
Aquatio nimia malis Medicis noxia, 35
Aquilo, vid. Boreas,
contra Araneas remedium, 68
Araneae pomorum frugibus noxiae, 68
Arbores peregre advenientes ſervantur aliquandiu extra citretum, 12
in hibernaculo aqua conſperſae 50
an adultiores ex Italia comparandae? 33
vernae ſunt optimae, ibid.
recens poſitae aëri ſubducendae, 35
an jugi partu enecentur. 26
palis defixae ut curandae, 38
citretis inferendae, 12
tenellae infantibus comparantur, 32
Arborum coma, 45, vid. *Corona*.
laetificatio, 25
poſitio in terra, 38
profundior an cauſſa decorticationis, 34
in vaſcula, 33.35
peregrinarum lectio, 12
Arborum peregrinar. difficilis cultura apud nos 24
a lacu Benaco duratio, 11
ſcapi tortuoſi, ibid.
fecunditas non ſingulis annis eſt aequalis cur? 26
morbi, 55
ſympathia et Antipathia, 12
frigore confectarum cura, 38
Putatio, translatio, vid. ſuis locis,
Arbutus, 239
Arco, caſtellum, 86
Arethuſae hortus, 127
fabula, 105
Aſili origo, 63
Aſtronomiae augmenta, 1,
Aurantia immatura odorem non ſpirant, 60
Aurantiarum plantatio in Citretis 11
nomen, 178
durabilitas, ibid.
nota, 179
Aurantiorum recenſus Italicorum, 181–185
Indigenarum, 187–208
Vtilitas, 180
maturorum lectio, 54
Anatomia, 100
partes, 101
adventus in Italiam et Germaniam, 108.178
Auria princeps Melphitanus, 97, vid. *Doria*.
Auricula urſi, 4.211
Aurigo foliorum, 61
Autumnales venti in malos Medicas injurioſi, 28
Autumno arbores tranferendae, 37

B.

BAldi montis deſcriptio duplex, 88–93
Belli gerendi ratio hodierna et vetus, 1.3
Benaci Lacus deſcriptio. 86-88
inde miſſae acruminum mali an Genuenſibus praeſtent? 32.11
Bertae quaſillariae hiſtoria, 84
Bizariae genera, 171.173.
Boreae flatus obeſt citris, 70.28
Bos, ſymbolum ſolis, 261
agriculturae, 264. 265. 266
Botanices ſtudium per quos et quando excultum, 4.5

C.

CAeſaries mollioris animi ſignum, 45, vid. *crinis*.
Caloris in hibernaculo temperatura, 7
Candiotto, 130
Canes ex hortis excludendi, 62
hortorum cuſtodes, 82
Canna filicem enecat, 12
Carbunculus, vid. *Robigo*.
Carpio, piſcis. 84
Caryophyllos vermes depaſcunt, 70
Caryophyllus Chinenſis, 224

in Caſeo ut vermes generentur. 64
Catalogus acruminum, qui ad Benacum enutriuntur. 107
Catulli patria. 84
Caudex arborum evellendarum manibus non eſt comprehendendus. 37
Cedrus ex nuce minuta germinat. 39
Cereus Americanus. 233
Cervi vivacitas. 56
Chimaera, mons ignivomus. 87
Citrea eximiae magnitudinis. 98
Citreorum nota. 161
Citri a Limoniis differentia. 111
origo in Italia et Germania. ibid.
poma aliunde allata. 113-118
Norimbergae alta. 119-128
utilitas medica et vulgaris. 112.113
Citretum auctoris. 6
Salodienſe. 18.19
Ripenſe. 84
Citreti area altior, cur? 11
Citrus. 100
gummi exſudat. 57
non adeo bene cum limonia maritatur. 110
Clavus, vid. *patella*.
Cochenilla quid? 64
Columnae milliares. 253
Condaules. 45
Contactus hominum citris damnoſus. 60
contra hunc remedium. 61
Corona. 33
decorae arbores minori copia fructus edunt. 45
Coronalis inſitio. 41
Cortex arborum plantandarum irrigandus. 35
morbidus. 58.59.
in Corticem ut fiat inſitio. 41. Vid. *Decorticatio*.
Corticoſi fructus nota. 53
Cotoneum. vid. Cydonium.
Cotyledon Africana. 227
Creaturis ſemina ad conſervationem generis indita. 39
Crines tondentur. 45
denſi ſanitati obſunt. ibid.
praelongi, mollis animi indices. ibid.
cenſi. ibid.
Crocus. 71
Cultri vulgaris uſu in horticultura interdictum. 46
Cuſtodia Hortorum agenda. 81.82
in Cydonias inſitio olim incognita. 5
X litera quid ſignificet. 263

D.

Datura Aegyptia flore triplici. 231
Decorticata arbor an vivere poſſit? 57
Decorticationis cauſſa falſa. 34
vera. 35.38.57
remedium. 39
Defluvium groſſorum. 22.23.48.51.
Defluvii hujus cauſſae. 48.61.101
medela. 49.50
per Delibrationem inſitio. 41
Deos noctu inter homines verſari, credebant ethnici. 81
DEVS docet hominem modos plantarum multiplicandarum. 39
plantas in diluvio ſervavit. ibid.
Dierum inaequalitas. 99
Domicilium pro Citris alendis. vid. Citretum et Hibernaculum.
Domicilii altitudo. 10
materia. 11
apertura. 15. quando inſtituenda. 18
locus commodus. 10
exſtructio. 9. ſeqq.
excitandi et deſtruendi tempus. 15.ſqq.20
Doriae palatium et hortus. 96
divitiae. 98
Monumentum. 97

E.

Ἐκκεντριςμός. 41
ab Elementis plantae augmentum capiunt. 6.21
Errores errantium culpa ſaepe committuntur. 10
commiſſi circa plantationem. 37
calorem ſubſidiarium. 17
Eſſerich. 121
Euri flatus citris noxius. 70
Experimentum circa aquam. 21
Exſiccantur poma diutius ex arbore pendentia, cur? 53.54

F.

Sub Fabula Limacis et Bruchi hortulanorum nequitia vindicata. 77
Fames plantas enecat. 13
Faſtorum correctio. 3
Feneſtrae in citreti domicilio ut fieri debeant? 10
quando aperiendae? 18
Ficoides Aizoidei. 221.-224
Ficus oleae vicina, huius germinationi obeſt. 12.
exulet e citretis. 12.13
Indica. 64.65
Fictilia vaſa præſtant ligneis. 33
Filix canna enecatur. 12
Flora Norimbergenſis. 209
Flores ſuperflui ut demendi. 49
multiplices dant fructum proliferum. 117
Florum gemmae ut obſervandae. 17
colores mutantur. 4
frugiferorum nota. 49
examen. 103
Foci ſuccenſio. 16.ſeqq.31
nimia plantis noxia. 30.31
Foliorum examen. 103
Folia decidua laetamen praebent. 25
in hibernaculis arent, cur? 59
remedium. ibid.
denſa nocent. 45
Forbicinae. 44
Formicarum noxa. 67
ut cavenda. ibid.
Fornax. vid. Focus.
Fraga Imperialia. 239
Frigore confectae arbores calore ſubito non reficiuntur. 17
Frigus arboribus noxium. 69
Fructus diverſi eiusdem arboris. 5
copia arbor eſt levanda. 49
Frumenti Indici fecunditas. 39
Fullo, Heſperidum hoſtis. 68
Furti in agris et hortis poena. 81.82

G.

G.

GAllia feraciſſima rerum omnium. 24
Gemmae florum. 17
probae nota. 44
Geniorum hieroglyphicon maiorum 260
minorum ibid.
bonorum. 261. 262
Genuenſes arbuſculae an praeſtent illis, quae a lacu Benaco veniunt? 32
decorem arborum amant. 11
Genuenſis Pharus. 94
In Germania Acrumina raro ſemine turgent. 54
Germania olim inculta, hodie cultiſſima. 4
Germina prolectare intempeſtivum. 25
Glacies hieme non fovet aurantiarum radices. 23
Glaciales montes. 89
Globi hemiſphaeria quid ſignificent. 262
Globus alatus. 268
C. Gracchus inventor columnae milliarium. 253
Gramen malos Medicas ſuffocat. 62
Grana. vid. Semina.
limonum citius germinant quam aurantiarum. 40
ut ſeminanda. ibid.
rectius in area citreti quam in vaſa depanguntur. ibid.
à Grandine damna. 70
Groſſorum defluvium. vid. Defluvium.
Gummae fluxus, arborum morbus. 57

H.

HEcla, mons ignivomus. 87
Heſperidum fabula. 105
Hibernaculi commoditas in aëre admittendo. 28.29
Hibernaculum vid. Citretum et Domicilium pro citris alendis.
ne adeo multas plantas recipiat. 15
Hiematio arborum. 15
qualis apud Salodienſes. ibid.
Hippodromus Conſtantinop. 257
Hirundo veris et pluviarum nuntia. 18
Homo, naturae miraculum, interitui obnoxius. 55
Genii boni ſymbolum. 261.262
ἱερακέφαλος. 262
Horologium Sciothericum buxo deſcribendum. 245
Horti ſepes ex citris. 110
optica delineatio. 249
Cuſtodia. 81
Hortulani virtutes. 72
innocens vita. ibid.
vitia. 73.74.75
malitia in ſemine enecando. 74
poena ſub fabula limacis. 77
Hortulani an ſtipendio conducendi? 73
moroſi. ibid.
ſint diligentes et prudentes. 72
probi raro mutandi. 73
hoſpites in pomarium deducant. 62
Hortulanorum Noricorum laus. 24
Humorum exhalatio in hibernaculis noxia. 18
medela. ibid.
cauſſa. 70

I.

IAsminum Indicum Operi topiario ſervit. 13
Ἱέραξ ἀνθρωπόμορφος. 262
Ignis nimius in foco non ſuccendendus. 30.31
gradus ab artificibus augentur. 4
culinaris differt a ſolari. 30
coloratus. 4
Ignivomi montes. 88
Immortalitatis opinio tenet Sinenſes. 96
Immortale nomen ut acquiratur. 2
Inoculatione iterata poma mitiora fiunt. 40.161
Inoculationis modus duplex. 41
Inſcriptiones hortorum. 62
Inſecta mali Medicae peſtes. 63–66
Inſectorum ortus. 63.64
Metamorphoſis. ibid.
Inſitio duplex. 41
Inſtrumenta hortenſia ſemper in promptu ſint. 37
Inventores rerum novarum laude digni. 2
Inventa ſaepe inutilia. 9
non celanda. ibid.
Irrigatio arborum. vid. *Aqua*.
Iudæorum *Eſſerich*. 121

L.

LAbore Deus bona vendit. 71
Lacrimae arborum gummoſae. 57
Laetificationis modus et tempus. 25.26
Lanterna Genuenſis. 94
Laurus ornat Citreta. 13
parvi aeſtimatur. 85.91
Laurum aquila in Liviae Druſillae gremium demittit. 237
Leges veterum mutatae. 3
Legendorum pomorum tempus. 53. 54
Leonurus Capitis Bonae Spei. 232
Limae et Limeae diſcrimen. 151
Limea. 163
Limonum origo in Italia et Germania. 106
recenſus advenarum. 131-151
indigenarum. 153-175
utilitas. 129
dulcium et acidorum nota. 128
maturitas et lectio. 54
Limones in Germania nati ſucco turgent, aeque ac in Italia provenientes. 52.54
Limoniae citreaeque nota. 111
auram duriorem perferunt. 164
Lingua cervina. vid. Phyllitis.
Litis et contentionis origo. 81
Lolium abſit. 62
Lucii piſcis vivacitas. 56
Luna creſcente fiat translatio arborum. 37
decreſcente fiat putatio. 46

M.

M*Ackian*, mons ignivomus. 87
Maculae mucoſae, arborum morbus. 57.58.59
Mala inſana. 243
per Malleolos propagatio. 43
Malus Medica. vid. Citrus, Limon, Aurantia.
Punica juxta Myrtum plantanda. 12
Cotonea. vid. Cydonia.
Sinenſis ut ab Arantiis dignoſcenda. 40
Malva horaria. 56
Mantua. 84
Matura poma, niſi decerpantur, iterum exſucca fiunt 53
ex Medulla ſpinae an ſerpens naſcatur. 63
Melanzana. 243
Melitenſes campos ſtercore non laetificant. 25
Memaecylon. 239
Mercaturae laus et utilitas. 105
Meum et Tuum litium origo. 81

Metalla liquefacere, ingenioſi hominis inventum. 2
Metamorphoſis inſectorum. 64
Milliares Columnae. 253
Minerva oleam producit. 235
Minutiora non negligenda. 100
Momordica Ceylanica. 243
Mons aeſtatem hiememque eodem tempore referens. 89
Montes ignivomi. 87
nive perpetua tecti. 88
altiſſimi, caelum tangentes. 86
Morbis mille homo obnoxius. 55
Mucus intra corticem et lignum. 61
ſunt plantulae. 58
Multiplicatio plantarum DEI opus. 39
Mundi hieroglyphicon. 260
Muſcus limoſus, aurantiarum morbus. 62
Myrtus et Malus Punica in vicinia collocentur. 12
ornat citreta. 13
parvi aeſtimatur. 85

N.

NAnae arbores. 5
copioſos fructus edunt. 110
Natura multimammia. 32
Naturae ſymbolum. 260
Navigationis hodiernae augmenta. 3
Navolae fons frigidiſſimus. 91
Nauta primus audax. 1.2
Nebula quid? 69
Neptuni et Minervae litigium de nomine Athenarum. 235
Nervum vicus Genuenſium. 99
Nicotiana herba an formicae abigantur. 67
Nilometricae ſcalae. 267
Nix hibernis prodeſt, cur? 23
plantis exoticis noxia et regulae de eius uſu. ibid.
Noctua mali daemonis ſymbolum. 264.265
Nomen immortale ut acquirendum. 95
Nota, qui flores fructu turgeant. 49
pomi corticoſi et ſuccoſi. 52
ramalium. 46.47.59
limonis dulcis et acidi. 128
Citreorum. 161
Nuces juglandes hortis noxam afferunt. 12
Nux moſchata. 71

O.

OBeliſcorum erigendorum cauſſa. 258
Obeliſci Conſtantinop. aetas. 259
ſenſus politicus. 270
Officina chartaria 85
Oleae fabula. 235
augmentum impedit ficus vicina. 12
Olea moritur depacta in ſcrobem quercus. ibid.
Olei exprimendi ratio. 85
Oleum virgineum. ibid.
Olivarum conditura. ibid.
Oliveta. 85.86
Ophioneus. 260
Opus topiarium. 13
Oſiridis ſymbolum. 261

P.

PAlatium Auriae. 96
Palus ne nimis propinquus ſtirpi defigatur. 60
translatis eodem loco addatur. 38
Papilio naturae ſymbolum. 260.261.262
Patavium. 84
Patellae medela. 46.47
cauſſa. 11.17.18.46
Paſtinatio frequens an utilis? 28
Peregrinationis utilitas. 83
Peregrinantium incommoda et pericula. 16.92
Phari celebres. 95
Pharus Genuenſis. 94
Phaſeolus Indicus cochleatus. 229
Phyllitidis ſemen minutum. 39
S. Pietro d'arena. 94
Pini ſemina minuta. 39
ſativi interitus ex contactu. 61
Pinifer mons quatuor flumina navigabilia in quatuor mundi plagas emittit. 88
Piſcina ſacra. 267
Piſcoſi in lacus in montibus. 88
Piſtacium. 241
Plantatio arborum advenarum. 33
in citreto. 11
malorum aurearum. 12.32
Plantarum multiplicationem Deus docuit homines. 39
mater ſol eſt. 30
inſecta. 63.64
Plantae optimae in montibus naſcuntur. 89
rudimenta in ſemine. 39
fame enecantur. 13
Pluviae praenuntii. 18
Pomi corticoſi nota. 52
Pompelmoes. 181
Pomum Adami. 91.167
diſſectum. 102
Paradiſi, Iudaeorum *Eſſerich.* 121
Pori plantarum. 27
Porta Thauſti. 267
Mercurialis. ibid.
Praeiudicium fabularum mater. 52
eſt vel intellectus, vel voluntatis. ibid.
Primulae Veris. 217.ſeqq.
Propagatio duplex. 41
per circumpoſitionem. 42
eius modus praeſtantiſſimus. 43
Aurantiarum citrearumque. 39
Pruina malis noxam infert. 69
Pulveris pyrii inventio. 4
Putatio citri. 45
quando facienda. 46
de ea obſervationes. ibid.

Q.

QVercus in oleae ſcrobem depacta moritur. 12
Quies arborum. 26

R.

RAdices an alte demergendae? 33.34.60
Radicum tonſura. 33.36.50
Ramalia vere amputanda. 46. vid. *Putatio.*
Eorum nota. 59.46.47
Ranarum generatio ex limo reiicitur. 64
Regio fertiliſſima. 99
Remedium contra patellam. 46.47
araneas. 68
noxam ex contactu. 61
ex humoribus nimiis in hibernaculo collectis. 18
maculas mucoſas. 58.59
Gummae fluxum. 57
Corticis rimas. 58
decorticationem. 59.34

Ripen-

Ripenſium citreta. 84
Robigo arboribus vitium infert. 70.26
contra eam remedium. 67
ex Robigine vermes. 67
Robiginis cauſſa. 58.59.66
Rudimenta plantae in ſemine. 39

S.

SAcra tabula, Aegyptiorum amuletum. 263.267
Salodienſium Citreta. 84
Saporem pomi an aqua medicata mutare valeat. 67
Satio acruminum. 40
Scandulis citreta teguntur. 11
Scapus. vid. Caudex.
Scarabaei piſularii ortus. 63
Scopuli marini. 93
Scopus auctoris. 8
ex Semine omnia proveniunt. 63
Semina creaturis ad generis conſervationem indita. 39
per Semen propagatio citri. 33
ex Semine minuto procerae arbores. 39
Seminis ſtructura. ibid.
generatio. 103
ſerendi ratio. 40
enecandi malitia. 74
in Semine rudimenta plantae. ibid.
Seminibus fere carent Acrumina Germanica. 54
Serpentis e ſpinae medulla generatio rejicitur. 63
ſymbolum quid ſignificet. 261.262
Servandorum pomorum ratio. 54
Silphium. 262
Sinenſes immortalitatis ſtudioſi. 96
Sirmio, Catulli patria. 84.91
Solis aeſtus Acruminibus nunquam nimius. 7.30
natura et efficacia. 30
ſymbola, accipiter. 261
bos. ibid.
Specula. vid. *Pharus.*
Stercoratio. vid. Laetamen.
Sterilitatis cauſſa. 26
Stirpes quousque depangendae. 33.34
à Stolonibus arbores purgandae. 40
Stolones unde? 58
Succoſi pomi nota. 53
Succus limonum acrior ſericum tingit. 130
Succus nutritius in arbores adſcendens. 25.54
an ex fructibus maturis in arborem redeat? 54
Sudor in hibernaculis unde? 70
Surculi cura. 17
Sympathia arborum. 12

T.

Per TAleam propagatio. 42
Tectum citreti, bene obſtruendum. 11.59
Teleſcopiis multa deteguntur. 64.100.101
Tellus non omnis fert omnia. 71.24
Tempeſtatis variatio obſervanda. 6.69
Terra non omnibus plantis commoda. 24
pro Malis medicis ſerendis praeparanda. 25
in vaſculis paſtinatione rarefacienda. 28
in citreto ut praeparanda. 11
mater omnium. 32
Terrae qualitates diverſae. 24.32
guſtu et tactu noſcuntur. 25
circa Terram experimentum, an plantis ſerendis conveniat. 26.27
Teſtae. vid. Vaſcula.
Θ quid ſignificet. 259.260
Theodoſius Obeliſcum poſuit Conſtantinop. 257
Theologia Aegyptia in obeliſcis deſcripta. 258.259
Theut Aegyptiorum doctor. 259. ejus hieroglyphicon. ibid. & 260
Thermometra ut paranda. 16.17
Thermometrorum uſus in hibernaculis. 16
Timoris cauſſa ſunt praeiudicia. 52
Torbole. 87
Trabium ſignificatio hieroglyphica. 262
circa Translationem vitia. 37
Translatio arborum annoſarum. 36
impoſſibilis viſa. 5
in citretum. 12
in vaſa. 35
ex vaſis in aream. 36
quando fieri debeat. 37
facilius peragitur, quam olim. 12.36
Typhon. 265

V.

VAſcula anſis munienda. 37
teſtacea ligneis praeſtant. 33
lignea in quadrum arboribus circumdata. ibid. 57.58
Veneno reſiſtit Citreum. 112
Venti noxii Malis medicis. 70
autumnales in malos Medicas injurioſi. 28
Vermiculi. 165
num ex putredine, an ex ſemine oriantur. 63. ſeqq.
arboribus noxii. 67.70
quibusque ſui. 64
in caſeo nati. 63
in acruminum arboribus. 65
Veris prodromi. 18
Vere inſtituenda putatio. 46
ſtercoratio. 25
Veſuvius. 87
Vinum ſanctum. 84
Vitis prope braſſicam non plantanda. 12
Vita arborum an paſtinatione imminuatur? 28
Vredo arborum. 58. vid. *Robigo.*
Vulcanus, mons ignivomus. 87

Vti nullus ſine vitiis homo naſcitur aut vivit: ita nec liber ullus a mendis adeo repurgatus prodit, quin plura hinc inde corrigenda ſuperſint. Eam igitur Benevoli Lectoris humanitatem ſpondemus, enixe rogantes, ut extantiora, quae inter relegendum obſervata ſunt, παροράματα ſequentem in modum emendare haud gravetur, et ſi qua alia deprehenderit, pro ſua humanitate aequi bonique conſulat.

Pag. 8. lin. 16. pro grati leg. gratus. p. 18. lin. 5. pro ſint leg. ſunt. p. 34. lin. 22. poſt fructus inſeratur comma. p. 42. lin. ult. pro tede leg. pede. p. 45. lin. 19. pro retondi leg. retonderi. p. 52. lin. 30. pro eorum leg. aliorum. p. 54. lin. 13. pro Tenara leg. Tanara. p. 65. lin. 25. pro animata leg. animati. p. 69. lin. 25. pro autummitate leg. autumnitate. p. 75. lin. 11. pro Quid ſid? leg. Quid ſit? p. 76. lin. 13. pro aut propriam leg. ut propriam. p. 85. lin. 41. pro moeniorum leg. moenium. p. 88. lin. 11. pro Lacus habet leg. Garganus lacus habet. p. 88. lin. 12. pro cuius ambitus leg. illius ambitus. p. 93. lin. 23. pro in quae leg. in quas. p. 95. lin. 10. pro et Pharus leg. eſt Pharus. p. 99. lin. 2. pro videor leg. videar. p. 115. lin. antep. pro agri Flor. citreo leg. ab agri Flor. citreo. p. 119. lin. 10. pro ferrato leg. ſerrato. p. 123. lin. 18. pro maturuerint leg. maturuerit. p. 127. lin. 10. pro Aegle et Arethuſa leg. Aeglae et Arethuſae. p. 145. lin. penult. pro utpotae leg. utpote. p. 151. cap. 23. lin. 2. poſt Lodroni add. dignitate. p. 163. lin. antep. pro palmititibus leg. palmitibus. p. 164. lin. 28. pro aberraverim leg. aberraverimus. p. 165. lin. 19. pro Meus pomi arbos leg. Huius pomi arbos. p. 167. lin. 8. poſt reliqui addatur rami. p. 187. lin. 22. pro coro leg. corio. p. 195. lin. 19. pro diſtinguitur leg. diſtinguuntur. p. 207. lin. 11. pro ſoliis leg. ſolis. p. 250. lin. 42. pro ita icone, leg. et icone. p. 253. in Inſcriptione pro vindicem leg. indicem. p. 254. lin. penult. pro mappa leg. in mappa. p. 255. in. 5. ſublatam iri leg. ſublatum iri. p. 270. lin. 20. tandemque auſpicato partae, leg. ubi tandem auſpicato parta fuerit.

MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI

ARCHIATR. CAES. COM. PALAT. NOBIL.
ACAD. LEOPOLDINO-CAROLINAE NAT. CVRIOS.
EPHEMERIDVM DIRECTORIS,
MEDICI NORIMBERGENSIS

COMMENTATIO

DE

ANANASA

ſive

NVCE PINEA INDICA

vulgo

PINHAS.

Ad

NOBILISSIMVM ET SOLERTISSIMVM

HESPERIDVM NORIMBERGENSIVM SCRIPTOREM

NORIMBERGAE,
LITERIS ENDTERIANIS.

Mo. Bot. Garden,
1898

VIRO NOBILISSIMO

IOANNI CHRISTOPHORO VOLCAMERO

S. D.

M. F. LOCHNER.

PAgellas de ANANASA conſcriptas, nemini cuiquam potiori jure me conſecrare potuiſſe ac debuiſſe, quam TIBI, VOLCAMERE optime, quilibet aequiſſimus rerum aeſtimator facile judicabit, qui perpendet, TE easdem TIBI jam vindicaſſe. Cum enim, quae de Planta iſtac ejusque fructu ſapidiſſimo, perpetuis Praxeos impedimentis obrutus, ex Hiſtoriae naturalis fontibus hauſta collegeram, expeteres novo Heſperidum Tomo inſerenda; communicavi iſtaec, ſchedis excepta confuſaneis, non tantum lubentiſſime; ſed et cum placere levidenſe illud munuſculum intelligerem, in animum porro induxi, ſub incudem revocare eadem, atque addere, quae ſparſim de Fructuum hac Regina ab Exoticarum rerum Scriptoribus ſunt annotata. Vnde Schediasma praeſens eſt enatum, quod Heſperidum, Latiali toga indutarum Tomo acceſſionis loco ſubjungi queat. Eſt itaque labor hic meus RAMVS E LVCO Heſperidum Tuarum, quem in ſuburbio ab Avo Tuo IOANNE, viro candore Germano, Pietate ſeraque Senectute venerando, plantatum, et ab incomparabili Parente

TVO

TVO, IOANNE GEORGIO, τῷ μακαρίτῃ auctum, ipſe liberaliſſime alis, amplificas.

Ditavere locum ingreſſae ſplendentibus umbris
Heſperidum Citrus, Malusque Nerantia quondam
Gloria, perpetuis veſtitae frondibus ambae
Perpetuo flore ornatae, foetuque tumentes
Perpetuo.

Innata quippe VOLCAMERIS naturalium ſcrutandorum cupiditas, a Parente beatiſſimo, qui id omne propemodum complexus animo, quod naturalis ſcientiae ſibi humana acquirere mens poteſt, ad Filios transmiſſa eſt.

Quid de Fratre TVO, IOANNE GEORGIO, Botanicorum aevi noſtri Principe, dicam? cujus ſtupendam in hoc ſtudiorum genere notitiam

Auſonius ſtupet, Gallus veneratur, et Anglus
miratur, Teuto coelica ad aſtra vehit.

Fratris TVI alterius, FRIDERICI, viri dum viveret, candidi niveique pectoris, Muſeum praeſtantiſſimum omnibus haec ſtudia colentibus jam dudum innotuit; idque larga indies augmenta capit a Filio TVO, harum rerum amantiſſimo, utpote ad quem iſtud, fauſto omine haereditario jure eſt translatum.

Sed cum non id agam, ut laudes Veſtras canerem; aliis quidem hoc munus concedo. De Te autem non poſſum non, veritate ſuffragante, praedicare, quod aeterno TVO Heſperidum Opere exterorum quoque praeconia promerueris. Germaniam vero noſtram, cultiſſimis accenſendam regionibus, contra Taciti injurias dum ſtrenue aſſeruiſti, Patria haec noſtra TIBI in aeternum obſtricta erit, et

Quicquid reddidit illa Gratiarum,
debebit: neque enim Tuo labore
ſat dignas dederit puto Tibi unquam.

Vale.

CAPVT I.

Capvt I.

Nana fructuum Regina. Ex *America* primum allata. *Mart. Bohemus*, Freti Magellanici Inventor. *Braſiliam* agnoſcit Patriam, quam et *Parreira brava*. Ananaſae Mexicanae et Haytanenſes praeſtantiſſimae. Naſcuntur in Inſulis *Antilles* dictis, *Jamaica*, *Francia AEquinoctiali*, *Cajenne*. *Guajanenſium* praeſtantia. E Provincia *S. Crucis* in *Indiam orientalem* transplantatae. In *Java majori* et *Malabar* nunc ſponte proveniunt majores Americanis. Commelini Laus. In *Sinam* e Peru illatae. *Siamenſes*. *Bengalenſes*. *Ceylanenſes* Batavicis in Java majori potiores. In Africa alit *Guinea*, unde accepit Belgium. Cluſii Laus. In *capite B. Spei* plantavit Cleyerus. Germinant in Inſula *Bourbonia* et *S. Mauritii*. Belgae *Europam* hoc fructu bearunt. *Paludanus* ante hoc ſeculum coluit. Floret in Hortis Academiae *Lugdunenſis*, *Amſtelodamenſi*, *Muntingii*, *Pariſino*. In *Boſiano* pro *Ananaſa* culta *Anona*. Hujus deſcriptio, occaſio erroris, Synonyma. Philoponus Ananaſam et Bananaſam confundit. Haec deſcribitur. Plures Ananaſae deſcriptiones. In Svvebbertiano Horto copioſiſſima eſt. In Volkameriano. Saccharo incruſtata olim in Muſeo *Besleriano*. *Kircheri* vanus metus. Solum Norimbergenſe optimum colendis quibuscunque plantarum generibus.

EN Lector Benevole!

Fructum fructibus omnibus priorem,
Qui ſunt, qui fuerant, erunt, priorem,
NANAM fructibus eminentiorem;
Quantum ſunt teneris cedri ſalictis,
Pratis celſius aut jugum Pyrenes,
Aut convallibus infimis nivoſae
Alpes.

Haec jure merito Plantarum, quas orbis Terrarum complectitur, inque ſinu fovet, dici poteſt Regina, in quam omnes guſtus ſuavitates, omnes ſaporis illecebras παμμήτης contulit. Proinde quoque Rex Regum ac Vniverſi omnipotentiſſimus Plantam hanc foliacea corona exornavit, ceu luculento in reliquos fructus praepollentiae et dignitatis omine, in quo diademate herbaceo regiae ſubolis futurae primordia, plantaeque, e fatiſcente morienteque genetrice reviviſcentis, rudimenta deliteſcunt, a plaſtica terrae vi temporis ſucceſſu evolvenda et eruenda.

Non autem Europae noſtrae eſt indigena, ſed e remotiſſimis regionibus advena, et quidem ex India,

A Praeci-

Praecipites Phoebi qua rota mergit equos,

quae nunc vulgo quidem *America* dicta, rectius autem, ſecundum immortalis gloriae virum, quondam noſtrum Wagenſeilium, occidentalis Bohemia ideo nominanda, quod *Martinus Bohemus*, e familia hujus urbis Patricia, laete in hunc usque diem virente, et cum aeternitate, volente Deo, perennatura, oriundus, jam ante Chriſtophorum Columbum et Ferdinandum Magellanum, Oceani hactenus cogniti terminos ac fines, metasque hominum extremas et ultimam Thulen praetervectus, Azores Inſulas detexit, Fretumque Patagonicum, vel Magellanicum dictum, Luſitaniae Regi radio prius delineavit, quam Magellanus de Expeditione ſua cogitaſſet. Freto huic Patagonico, ſeu potius Boheimico, vicina *Braſilia*, has fructuum delitias primitus guſtandas advenis Europaeis obtulit, ut ſic eandem, quam *Parreira brava*, nuper demum a nobis deſcripta, agnoſcat patriam, et binae Plantae quaſi ſorores Cannibalum ſint natae

- - - - - - *ſub oris,*
Magajatasve inter duros et pingvia labra
Tappinaquûm, facili verſu quos dicere non eſt,
Patagonasque truces, et nudos membra Tapuyas.

Haec tot hominum monſtris infamis regio, e Cl. Breynii Plant. Exot. Cent. Cap. I. elogio, non ſolum propter mitem, ſanitatique humanae maxime ſalutarem caeli temperiem, atque alios humanae indigentiae ſubvenientes commoditates, ſed etiam ob varios, quibus beata eſt, fructus praeſtantiſſimos, (quos inter Ananaſae palma tribuenda,) imo propter ſalutiferos ac mirabiles plantas, quas Terrae gremium tam larga copia effundit, hanc aſſecuta eſt praeeminentiam, ut inde addubitent nonnulli, an ulla mundi habitati regio huic praeferenda? ac terreſtris quidem Americae Paradiſus hinc multis viſa: digniſſimum certe tali Patria fructum!

Mexicanum quoque regnum, ab urbe cognomine, orbis totius urbium ſpatioſiſſima, turribus tectisque plusquam ſeptuaginta quinque millibus ſuperbiente, celeberrimum, cum pleraque ſui parte propemodum ad luxuriem frugiferi ſoli, ſaluberrimi caeli, frugum tam ſponte ſua, quam cultu naſcentium feraciſſimum, Ananaſae etiam felicitate proventu tanto dives eſt, nusquam ut pene gentium fructuum delitiae Ananaſis Mexicanis, et in ſpecie quidem *Haytanenſibus*, certent, teſte Nard. Anton. Recch. Rerum Medic. Nov. Hiſpan. Libr. VIII. cap. 78. p. 311. & R. P. Nieremberg. Hiſtor. Natur. Libr. XV. cap. I. p. 335. Porro *Inſulae Antilles* vulgo dictae, quarum ingens in hemicycli figura numerus ab auſtrali maris Atlantici tractu jacet, et ſinu curvato in aeſtivum occidentem ſinuatur, fructum noſtrum porrigunt. Imprimis natas in earum cingulo, *S. Chriſtophori* Inſula, ab Anglis Gallisque ſimul habitata, Ananaſas prae reliquis extollit R. P. Thomas *Gage en de nieuwe ende ſeer naeukeurige Reyſe door de ſpaenſche VVeſt Indien* Lib. III. c. 22.

Inſula *Jamaica*, Mexicano implantata archipelago, ſub Anglorum nunc, olim Hiſpanorum dominio, rerum ad vitae affluentiam uſumque fertilitate nulli ſecunda, virore litorum et camporum aſſiduo gaudens, nec Ananaſa deſtituitur, cum Excell. Sloane teſtimonium ferente in Catal. Plantar.

in hac Inſula provenientium p. 79. in hortis agrisque pinguioribus Inſulae ubique plantetur, et ubique luxuriet.

Sic in *Francia* quoque *AEquinoctiali*, *Inſulaque Cajenne* dicta, laete proveniunt, ceu hoc refert dans la Voyage de France Equinoxiale en l'Isle de Cajenne le R. P. Biet Libr. III.

Imo *Guajenenſes* Braſilienſibus anteponit **Otto Kayen im kurtzen Entwurff von NeuNiederland und Guajanen** cap. XV. Haec cum ita ſint, nullus dubito aſſerere, reliquas itidem occidentalis Indiae plagas his palati lenociniis excolendis operam impendere.

Caeterum apud omnes Hiſtoriae naturalis Scriptores in confeſſo eſt, e Braſilienſi, et in ſpecie Sanctae Crucis provincia, in *orientalem Indiam* transplantatas fuiſſe has plantas, ſucceſſu equidem adeo felici, ut Braſilienſes mox vicerint, teſte avtopta Neuhofio *en de gedenkvvaerdige Zee en Lant Reizen van OſtIndien* p.239. *Java* certe major, quae prae ſoli felicitate nimia cultorem in pleriſque locis dedignatur, nunc ſponte Nanas promit, ſaporis gratia et vaſtitate Americanas ſuperantes, in gratiſſimam dulcedinem guſtu deſinente, foliis licet variantibus, et Americanis anguſtioribus: quod de *Malabarenſibus* quoque teſtatur eruditiſſimus Horti hujus, Regii certe operis, commentator, Comelinus, Senator Amſtelodamenſis,

Pater Florae
Geniusque florum, ſtirpiumque nutritor,
Florum peritus et peritus herbarum,
Quascunque Phoebus ſpectat, aut alit tellus,
non noſtra tantum, ſed cuncta,
quam Pontus ambit aut Olympus involvit.

In vaſtiſſimi *Sinenſis* Regni provinciis *Quantuum Chiamſi* et *Tokien* laete pullulare, et ex America Peruviana Chinae ſive Sinae illatas eſſe, communem famam ſecutus ἀθανάσιος ille Kircherus in Chin. illuſtr. p. 199. meminit, et ex illo Olferdus Dapper in Sina. *Siamenſes* Ananaſas Chriſtianiſſimi Monarchae ad Regem Siamenſem Ablegatus Dn. de Loubere, dans la deſcription du Royaume de Siam T. II. p. 71. *Bengalenſes* Dn. Thevenot Voyages des Indes orientales Libr. I. cap. 40. p. 204. *Ceylanenſes* iam citatus Neuhofius celebrant, et hic praeſertim Batavicis in Java maiori delicatiores pronuntiat, ſucculentiores quippe guſtuique maxime abblandientes. Et ſic de reliquis: has etenim fructus in regionibus Indiae utriusque ubique fere nunc plantari, nullum plane dubium Neuhofio.

- - - - *Vides, dites quas ſufficit utraque Gazas*
India.

Nec *Africa*, novarum ſemper rerum ferax, hoc vacat fructu. In *Guinea* (ubi tanto opulentiora montium ſunt viſcera, quanto paucioribus antehac penetrata, quae proinde auro non tantum ſimplici, ſed prorſus obryzo turgent, unde regioni quoque nomen auriferi littoris) hic fructus laetiſſime progerminat, teſte Boſmanno in regionis hujus accuratiſſima deſcriptione p. 314. Imo jam ante centum & quod excurrit annos a Guinea primum in *Bel-*

gium delatas Ananaſas, teſtatur Not. in Acoſtam latiali toga indutum, incomparabilis Cluſius, qui

- - quicquid tellus vel America, vel quae
India ſurgentem ad ſolem, vergenſue cadentem
Inviſum Europae et noſtris produxerat oris,
(quae variis alii ſcripſerunt ſingula linguis)
donarat Latio felicis munere pennae,
eximiis fulgens per totum laudibus orbem.

Neque e litore illo Africano extremo, a ſpe optima, quae ex amoeniſſimae hujus plagae ac refectionis loci inventione apud Luſitanos, in Indiam orientalem per Oceanum primum navigantes, oriebatur, non fruſtra ſe tantum laborem, tamque difficile iter ſuſcepiſſe, *Caput Bonae Spei* dicto, hic fructus amplius exulat. Licet enim littus hoc, montibus ad horrorem excelſis inſeſſum, leonum terribilium aliarumque beſtiarum crudelium, infinita pene multitudine ibi degentium, ſit ſuſtentaculum; ubi montes tamen deficiunt, et tractabilius in planitie ſolum, florum ſuaviſſimorum, herbarum ſaluberrimarum fructuumque delicioſiſſimorum praedives exiſtit hortus, teſte Cl. Breyn. Plantar. Exotic. Centur. Prim. Cap. I. p. 1. Tempore equidem Dn. Wilhelm. ten Rhyne, ampliſſ. Soc. Ind. orient. Medici et a Conſil. Juſtitiae, illic extitiſſe, dubito, cum in Schediaſmate, hoc de Promontorio ſcripto, Cap. VI. ubi de Plantis agit, nulla Ananaſarum fiat mentio: poſt ejus tamen abitum in Japoniam, per Dn. Cleyerum horto, ad Belgici Gubernatoris Caſtellum extructo, illatas fuiſſe, Meiſter in Hortulano Indic. orientali gloriatur p. 23. easque inibi nunc laete vireſcere, teſtantur Rev. PP. e Societ. Jeſu in Itiner. Siamenſ. Libr. 2. p. 61.

Ab Inſulis quoque Africanis non extorres eſſe Ananaſas, probat Franc. Legvat, qui in Inſula *Maſcurenhas*, alias *Bourbonia*, nunc a rerum omnium affluentia *Eden* dicta, ut et in Inſula *S. Mauritii*, hoc guſtus exquiſitiſſimum blandimentum reperit; ut alias Afras Inſulas hoc itidem fructu ſuperbientes ſileam.

Cum autem omnes has, quas peragravimus, mundi partes lucri cupida puppe Batavus aret, quid mirum has delitioſiſſimi fructus cupedias ab illis Belgio & hinc Europae noſtrae, regionum orbis beatiſſimae, fuiſſe allatos. Sic Cl. Paludanus Not. in Linſchotanum eruditiſſimis, principio prioris jam ſeculi ſe jactat, in ſuo horto domeſtico ex India miſſas Ananaſae extitiſſe plantulas, a frigore Belgici caeli climatisque inclementia deſtructas. Accedente tamen intimiori exoticarum, ſive in hoſpitium quaſi exceptarum Plantarum cultura, calorisque debiti regimine et exaltatione, in variis ſimul exculta eſt Batavorum Hortis. In Botanicorum Coryphaei, Excell. Hermanni, Horto Academ. Lugd. Batav. exhibente Plantas omnes, quibus ab Ann. 1681. ad Ann. 1686. hortus inſtructus fuit, Ananaſa quoque p. 37. comparet. In Amſtelodamenſi Horto Medico ſingulis Annis arte excultam fuiſſe, et ſat magnos et maturos protuliſſe fructus, teſtatur Excell. Commelinus in Hort. Medic. Amſterod. rarior. Plantar. Hiſtor. T. I. cap. 57. p. 109. Horto quoque ſuo vindicavit, tandemque operi immortali, *Nauwkeurige Beſchry-*

Beſchryving der Aardge-vvaſſen CLIX. Hooftſt. p. 494. inſeruit Excell. Muntingius, quo libro e Plantarum inſolentioribus

> - - *depinxit quicquid ſub cardine naſci*
> *ſciverat Eoo, viderat occiduo.*

Eodem pene temporis articulo in Pariſino culta fuit horto, ſi fides adhibenda ſcholae Botanicae Pariſinae Collectori.

Quis Germaniae Hortorum in ſinum ſuum primus receperit, incertum. Quod ſi Hortum Boſianum, quoad Exotica a Celeb. Paul. Ammann. Lipſ. jam Ann. 1686. deſcriptum, inſpiciamus, Ananaſam noſtram Catalogus quidem exhibet: at inſtar ſoricis ſe prodit vir caeteroquin βοτανικώτατος, inter reliquos, quos citat Auctores, Horti Malabar. T. III. p. 23. allegando, ubi non Ananaſa Oviedi ſed Anona Maram, ſeu forte Anona Oviedi comparet, quae Arboris Jakae ſive potius Atamaram, Tab. 29. p. 21. ejusdem Tom. deſcriptae, videtur ſpecies; ut ſic non Ananaſam noſtram; ſed Anonam vel ſylveſtris Nanae ſpeciem, tunc cultam fuiſſe, haud obſcure innuat. Quippe cum Nana in aliquibus convenire videtur; ſecundum Nard. Anton. Recchum enim in Plant. Nov. Hiſpan. cum Not. Terent. p. 348. et 454. ejus fructus *Abate de Panucho,* totus quaſi e glandulis conſtat, pineae nucis figura; ſecundum Hort. Malabaric. autem fructus conum exprimit, pineae pariter ſimilem, interius albicantem, nec non medulla ſucculenta ſaporis grati odorisque ſuavis refertum. Tantum autem Virum hallucinatum nemo miretur, cum nominis diverſitas facile quem in errorem inducere poſſit. Nec enim *Ananas, Ananaſa, Ananazes, Nana* et *Nanana* apud omnes audit. Cave ergo, ne vocis ſono deceptus, Ananaſam et Anonam confundas, quod a Cl. Ammanno factum: vel Ananaſam et Bananaſam eandem credas, quod Philopono Navig. in Nov. mund. ſive Americ. Rev. PP. Benedictin. p. 53. contigit: cum *Bananas* plane diverſa planta exiſtat, Muſa nempe caudice viridi, fructu longiore, foliato anguloſo; ſive Ficoides vel Ficus Indica longiſſimo latiſſimoque folio, Muſa Serapionis dicta Hort. Beaumont. E delineatione tamen fructus aeri inciſa apparet ſtatim, Ananaſam fructum eſſe; vocisque ſonum aemulum errori anſam ſuppeditaſſe. Vocatur autem a Braſiliae primis incolis *Panacous,* Lerio, *Hoyriri* autem, Theveto teſte, Sinenſibus *Vnglay,* Neuhofio, et *Fan-polo-mie* P. Kirchero ſic ſentiente; Siamenſibus ſecundum Dn. de Loubere *Saparot,* Malabarenſibus *Kapaltſiaka,* ut ex Horto Malabarico liquet. Nardus Ant. Recchus illam a Mexicanis *Mazatli,* Oviedus autem tres ſpecies diverſis nominibus vocari refert, nempe *Yajama*, *Boniama* et *Jajagva*, et quae ſunt alia

> *peregrina vocabula fructus*
> *pene timenda ſono guttur laeſura loquentis.*

Poſt obitum tamen Ammanni, et adhuc illo vivente, in inſtructiſſimo iſtoc Horto, hanc quoque adoleviſſe plantam, nemo ambigit, qui in illum ex omnibus mundi partibus plantarum migraſſe foetus rariores novit: multo tamen citius in Illuſtriſſ. L. B. de Munchhauſen Potentiſſ. Elector.

Luneburg. Conſil. intim. Horto Svvebbertiano, prope Hamelenſe Fortalitium extructo, cum aevi noſtri praeſtantiſſimis comparato, Ananaſam noſtram excultam fuiſſe, hoc certe evincere videtur, quod ibi aliquot centenae Ananaſarum laete progerminent, cum noſtris in oris vix ſingulae adhuc enaſcantur.

Hoc certiſſime affirmare auſim, in amiciſſimi Volkameri noſtri, Naturae myſtae latentis intimi, Horto domeſtico, tunc ſtatim cum de Ananaſae apud Europaeos cultu fama percrebuiſſet, illam apparuiſſe, caputque inter caeteros rariſſimae notae fructus extuliſſe; ut nunc vegetam, vigentem, floridulam intueri poſſimus, quam Saccharo incruſtatam tantum et immerſam, effoetam et elanguidam, ante ſeculum in urbe noſtra patria, in Beſleriano, nunc Engellandiano Muſeo, Θεοῦ διδόντος cum explicatione mox proditturo, conſpeximus et aeri inſculptam admirati ſumus. Adeoque metus R. P. Kircheri vanus extitit, credentis, Fructum hunc in aliud transplantatum clima μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Nullum enim ſupereſt dubium, accedentibus indefeſſis culturae curis, fore tandem, ut ſolo caeloque aſſueta familiarior nobis reddatur; ſic enim contigit, ut non tantum in hortis, ſed et in Agro noſtro Norimbergenſi, pro ſterili olim arenoſoque habito, nunc illae quoque plantae luxurient, quas nobis maximis ſuppeditarunt olim ſumptibus

alio ſub ſidere terrae
Trans Indos, extraque vias et ſolis et anni:

ut, quod de Gallia ſua omnium rerum feracisſima Rev. P. Rapinus cecinit, patriae noſtrae et orientali Franciae jure meritoque adaptare queamus:

Eſt tamen omne ſolum Francae Telluris alendis
Hortorum arboribus rurique inſigne colendo.

CAPVT II.

Ananaſae ſpecies. Verae et ſpuriae. Differunt (1) Fructuum α) figura. Ananaſa fructu ovato maximo; gingivam cruentat. Fructu conico maximo, nuci pineae ſimilis. Κῶνος. Auctor libri de Alimentorum Facultatibus quis? Κουκουνάριοι. Interpres Theophanis notatur. Oviedi Yayama. β) Mole. Nana fructu conico minore. Oviedi Jajagna. Haec Nana optima. (2) Foliorum colore et figura. (3) Aculeorum ſitu, frequentia. Nana Americana ſylveſtris ſpinoſiſſima. Colore et abſentia. Sinenſis. Heſſi Error circa hanc. (4) Corona, qua carent ſylveſtres. *Kaidae* ſpecies. ten Rhyne Horto Malabarico deſcriptionem virium addidit. Nanae ſylveſtris ſpecies. 1) Nana brava Acoſtae fuſe deſcribitur. 2) Nana brava Marggravii, 3) non aculeata *Pita*. *Metla* Coulejo deſcripta. 4) *Kerbita*. Species *Karaguatae* aquoſa admodum. An *Pinguin*? (5) Ananaſa *Chicariri* ſive Palma Braſilienſis. Auger. Clutii vita et ſcripta. Anona pro Ananaſa. Nana Pacoba.

IN tanta fructus hujus copia fieri aliter non potuit, quam ut in plures ac diverſas ſpecies abiret. Sunt autem vel verae, vel ſpuriae ſive ſylveſtres. De his poſtea. Illarum quoque multiplex differentia petitur *a fructibus*, foliis, aculeis, apice foliaceo aliisque accidentibus. Ratione *fructus* ſunt vel fructu ovato maximo carne albida, videturque haec Ananaſa, quam Roche-

chefortius et Pometus Gallice *Ananas blanc* nominant, quamque Oviedi *Boniamam* eſſe credit Meiſter im Orientaliſchen Kunſt- und Luſt-Gärtner p. 20. Fructum hunc ſaepius octo vel decem pollices habere in diametro, quindecim vel ſedecim vero in altitudine Rev. P. du Tertre meminit. Carne gaudet albicante, quae in minimas diſſolvitur fibras, cortex autem in flavedinem, tandem in aureum vergit colorem. Maturitati proxima ſuavem odorem exhalat, qualem cydonia, quem tamen ſuavitate ſuperat. Quantum autem elegantia moleque prae caeteris huic accedit, tantum guſtu pretioque decedit, quippe prae reliquis magis inviſa dentibus, ac gingivis cruentationem cauſando infenſior.

Vel ſunt fructu conico maximo, flaveſcente carne, hocque pacto nucibus pineis nominetenus comparandae. Pineas etenim nuces, teſte Pergameno noſtro Libr. VII. de Compoſ. Medic. ſec. Loc. c. 1. veteres κόνυς vocarunt, et Cedrenus κώνων καρπούς. Simeoni vero Setho, de Aliment. Facult. Lit. K. ʃʃ. VIII. edit. Pariſ. Bogd. vel potius Pſello, (hunc enim verum ſcripti Auctorem extitiſſe, et Sethum in Pſellianos labores inſaniiſſe, prodit Chiorum doctiſſimus Leo Allatius, inter ἰατρῶν παῖδας quoque referendus, Diatrib. de Simeon. Script. p. 182.) κυκυνάριοι nuces pineae dicuntur. Circa hanc denominationem ὁμοψήφυς habet Nonum de Morb. Curat. cap. 125. et Myrepſum ſect. I. cap. 97. quamvis ultimo non κυκυνάριοι ſed κυκυνάρια audiant. Continuator Theophanis Libr. 3. n. 43. mutilato nomine κυνάρια appellat, ubi interpres *poma eſui apta* minus apte vertit. Glycas in Chronico p. 302. κόναρα et Myrepſus quoque, κωνάρια nominat. Quale cognomen et huic Ananaſae fructu conico adaptari poterit; haec etenim eſſe videtur, quae ad ſimilitudinem Sacchari, in conicam formam effigiati, Gallis *Pain de Succre*, noſtratibus Zucker-Hut/ dicitur. Linſchotanus colo muliebri faſtigiato comparat; *hebben de fatſoen glyk het hooft van en Spinrokken.* Haec ſpecies priori praepollet guſtu, gingivas tamen earum uſui nimium indulgentium, aeque ac altera cruentat. In hac Ananaſa ſemina granulaque coloris, ſecundum Piſonem Hiſtor. Braſil. p. 87. ſubrufi, magis quam in reliquis conſpicua deprehendit Pometus; eamque Oviedi *Tayamam* exiſtimat Meiſterus, quae vocanda prae caeteris prolifera; cum corona bifida trifidaque ſaepius ſuperbiat.

Vt figura, ſic mole ac magnitudine differunt Ananaſae. Datur quippe Nana fructu conico minore carne aurea, et fructu ovato minore, quae guſtus et odoris gratia ad Poma, Gallice *Reinette* vel *Renette* dicta, accedit, quam ſaporis a reliquis differentiam, forte Linguae Gallicae ignorantia vel ψευδερμηνεία ſeductus, Meiſterus Rhenano Vino aſſimilat, et Oviedi *Jajagnam* credit. Haec omnibus aliis ſaporis odorisque lenocinio, e Rochefortii Pometique mente, praeſtat; et fibroſa licet carne, ori tamen ingeſta glaciei vel aquae inſtar diffluit, Nectaris Ambroſiaeque fundens delicias.

Sequitur foliorum diſcrimen: haec quippe ratione coloris vel glauca inque margine ſerrata, in Ananaſa praecoci; vel ſubrubentia, in Ananaſa fructu conico minore carne aurea; vel coloris viridis lucidioris, vulgo *Seladon*-Grün/ quibus maculae obſcure videſcentes inſperſae, marmoris inſtar variegati, marginesque foliorum linea rufeſcente quaſi cinctae, in Ananaſa Indiae vulgo Orientalis habita.

Ratione figurae folia alia lata, alia anguſta, alia in gladii ſpeciem mucronata, obtuſiora alia: ſunt quoque rigida alia et ſupra fructum in faſtigium excreſcentia, demiſſiora iterum alia. Imo novam heic Lectoris oculis *Fig. V.* delineatam Ananaſae ſpeciem ſiſtimus, ex inſtructiſſimo Generoſiſſ. Dn. Baronis de Munchhauſen Horto Cl. Dn. Joh. Chriſt. Volkamero miſſam, cujus folia ab omnibus hactenus recenſitis figura, ceu intuentibus apparebit, diſcrepant.

Aculeorum quoque ſitu, frequentia, colore et abſentia differunt. Verae Ananaſae folia pene omnia ſunt aculeata, ambitusque eorum ſerratus magis minusve, inſtar dentium lucii piſcis. Aculeorum alii incurvi, alii erecti. Datur etiam foliis ſpinoſiſſimis Ananaſa Americana, ſed ſylveſtris flore purpuraſcente, fructu albo lanuginoſo, pugni magnitudine, *Tekus* Americanis dicta, hujus quippe folia

ſpinis horrentia acutis,
reſpiciunt aliis haec ſurſum aliisque deorſum,
hiſpida tota ſuis hamis ſpinisque recurvis
horret.

Diſcernuntur et Aculeorum in foliis colore; vel enim ſunt albicantes, ſicuti in Ananaſa fructu ovato carne albida, vel purpuraſcentes, in Ananaſa carne aurea, foliis obſcure rubentibus. Sunt quoque, quae ſpinis nullis munitae; et quidem Sinenſis vulgo dicta Ananaſa foliis anguſtioribus, rigidioribus arrectis, ſubrubentibus, non ſerratis, marginibus aculeis ſpinisque plane deſtitutis. Heſſus in Horticulturae Libro, vernacula Lingua conſcripto, fingit et pingit Ananaſam Sinenſem; ſed in ejus forte cerebro prognatam; quippe ejus deſcriptionem, quam dedit, ſi figurae tantum delineatae comparaveris, refutationem ulterius non requires. Id tam certum eſt quam quod certiſſimum, quod talem Sinenſem nec Agynenſis Brabantiae, nec Ryſvvicenſis Hollandiae, unquam nutriverit, nec alibi fortaſſe talem quis inveniet. Proin, mi Heſſe,

- - Μακρῦ γε δεῖ σε καὶ σοφῦ λόγυ,
Οὕτω με πείσεις.

Diſtingui quoque poterunt Ananaſae foliaceo apice et corona. Verae hac nunquam deſtituuntur; at ſylveſtres pene omnes illis carent. Ad poſteriores omnino referendae Kaidae ſpecies, imprimis *Peni-Kaida-Taddi* Hort. Malab. T. II. Fig. 7. et *Kaida Tsjerria* Fig. 8. cujus fructum haud diſſimilem fructibus Tſiakae pronuntiat Auctor Illuſtriſſ. Florae Malabaricae. Suboluit hoc βοτανικωτάτῳ Commelino, qui in Not. eruditiſſimis ad *Kaidas* annectit: *Quod ad Kaidas attinet, folia Aloës Americanae non ſunt abſimilia, fructus vero fructibus Pinus.* Quid convenientius Ananaſis. Nec viribus multum differunt, quas huic aeterno operi Cl. ten Rhyne addidit; ſic enim ille in Carmine Tom. II. Horto Malab. praefixo canit:

Queîs ego (laus abſit) ſubjeci plurima, Vires
omnes adjunxi, queîs Medicina cluet.

Kaidae ad reliquas notharum ſive ſylveſtrium Ananaſarum ſpecies viam nobis ſternunt; et quidem ad *Nanam bravam* ſive ſylveſtrem Acoſtae, a Cluſio

ſio notis illuſtratam, et a Cl. Muntingio in opere Botanico aeri inciſam. Radix hujus Ananaſae noſtrae, craſſa, ad latera fibras ſpargens, coloris bruni pallidioris, ſucci turgida, e qua folia laete virentia, arcte cohaerentia, haud adeo craſſa, aloëticis ſimilia, illis vero, quae in Ananaſis veris repertu dantur, longiora latioraque, propullulant, eodem tamen modo in ambitu mollibus ſpinis crenata, ſpinoſisque cuſpidibus inſtructa. Ex his foliis prodit Truncus haſtae magnitudinis ſecundum Cluſium, vel ſecundum Muntingium altitudinis XXII. vel XXIV. pedum, laevis, admodum rotundus, intus ſucci plenus, mali aurei e Cluſii, vel ceraſi arboris, e Muntingii mente, craſſitiei. Singulae arbores ſecundum radices ſumma tellure, magnam foliorum comam fundunt, majorum quam quae in arbore ſunt. Rami foliorum ſimul glomeratorum capita proferunt, flaventium admodum et tenerorum, ſuaviſſimi odoris, quae nihil aliud ſunt quam flos ipſe; ex horum ſingulis ſpica prodit, Arundinis ſpicae non abſimilis, ſed craſſior, compactior et elegantior, odore Cedri in terram decidua. E ramis petiolo longiori dependent fructus Ananaſae ſylveſtris, qui cum veris et hortenſibus nonnullam habent ſimilitudinem, Melonis magnitudine, figurae elliptico-ſphaeroideae, coloris rubri elegantis, vel ſecundum Muntingium rubeo-flaveſcentis, oculos oblectantis, integri in partes diviſi, quemadmodum cupreſſini ſtrobili, ſeu nuces exſiccatae, ſed tuberculis foris obſiti, ut procul ſpectantibus magni pini ſtrobili appareant. Fructus (quem pauci deguſtant,) ſapore utcunque ſuavi praeditus eſt, adſtrictionis tamen auſterae et palato parum gratae particeps. Haec ſylveſtris Ananaſa adnatis ſe propagat, aliaeque ſtirpes ex aliis enaſcuntur, praeſertim in ſepibus et hortorum ambitu, quos egregie munit.

Succedat huic ſylveſtri Ananaſae, *Nana brava Marggravii* et Piſonis. Quid vocula *brava* denotet, cum ejus nomenclaturam jam in Parreira brava a nobis deſcripta dederimus, repetere nolumus; eadem nempe eſt ac ſylveſtris, et a Piſone in carduorum familiam, qui nunc humi, nunc altis arboribus ſupernaſcuntur, refertur. Ejus fructus eſt inſignis magnitudinis, ovalis, ad citrulli accedens, compoſitus e quadrangularibus cylindris in extremitate quadrate pyramidalibus, per maturitatem flaveſcentibus, qui ab invicem ſeparari poſſunt. Cavi hi ſunt inſtar oſſis in capite vitulorum, quod den Mit-Zahn (verius Milch-Zahn) vocamus; continentes granula ovalia innumera pallide flaveſcentia, papaveris majoris ſemine majora, ſuavia et dulciſſimo rore imbuta inſtar mellis. Quodlibet corpus cylindricum ſeparatum exprimitur digitis in os, ac granula illa rore melleo imbuta abſorbentur gratiſſimi ſaporis. Fructus etiam transverſim diſcinditur in taleas. Haec Marggravius, et ex illo ipſiſſimis verbis Piſo in Edit. Secund. Hiſt. Braſil. Anno 1658. edita, qui addit: plura qui volet de hac ſylveſtri Ananaſa ſive Nana brava, adeat Bellonium cap. 40. ſed apud hunc altum de ea ſilentium.

Nanis bravis in catalogo Plantarum Americanarum, novis Plantarum generibus annexo, R. P. Plumier accenſet Ananaſam non aculeatam, *Pita* dictam, id quod a Cl. Tournefortio quoque in Inſtit. Botanicis, in partes vocato Plumerio, factum. Cum autem plures Pitarum ſpecies dentur, Aloëticis accenſendae Plantis, foliis in filamenta reſolubilibus, byſſumque ſaepius

aemulantibus, e quibus fibris tenuioribus Ananaſae frequens incola, avicularum pulcherrima, (de qua mox pluribus) *Colybri* dicta, exteriora nidi compingit; quae proprie harum Pitarum Ananaſae nomen obtineat, non liquet. Si conjecturae locus, crederemus eſſe illam, cujus meminit in Antillarum Hiſtoria naturali R. P. du Tertre p. 105. *une des deux Pites, qui n'a point des petit picquans aux feuilles comme l'Ananas;* quae ſpecies forte erit *Pati* ſive *Metl* leniſſimum Hernandez, vel Pati ou Mangueis leniſſimo Ximenes; ſive Aloë Americana foliis anguſtioribus ac minoribus ſeu tenuioribus absque ſpinis Moriſonii, quam ſub nomine Aloës purpureae levis in Aloëdario Icone expreſſit, fuſiusque deſcripſit Cl. Muntingius p.15. Ejusdem accuratam omnino deſcriptionem debemus lepidiſſimo Anglorum Poëtae, Abrahamo Coulejo, quam e Poematum Latinorum ſeu Plantarum L. V. p. 302. huc integram exhibuiſſe ac legiſſe, non grave erit Lectori Benevolo. Ita autem de *Metla* canit:

Omnia ſi Dominus Cacais *edit, omnia pene*
poſſidet in Metla, *nec ſe facit illa monetam.*
Nec Mercaturam exercet: merx omnis in ipſa eſt.
Nec pueris fert illa Nuces, *nec dulcia* Poma
foemineo parit oblectamina vana palato:
Tota arbor ſuus eſt Fructus; *folium omne tenellum*
manditur, et victum in promtu dat ſuave ſalubrem;
quod ſimul ac vires aetate acquirit adulta,
texitur in veſtes; neve inſtrumenta deeſſent
artifici, ſummo ſtat Spina *cacumine frondis,*
et fit Acus *ſartori,* acus *et ſua* fila *cohaerent.*
Vritur immodico vicini lumine ſolis
terra ſiti damnata, hîc vivus cortice ſciſſo
fons liquidae prorumpit aquae, quae leniter arctis
percolata viis, longo Maeandria *flexu*
fibrarum, nulloque tamen vitiata colore,
jucundum virgo *trahit intemerata ſaporem.*
Hoc ſatis eſt Hominum naturae, *ſed* tibi *non eſt,*
prodiga Metla, *ſatis. Quaeruntur dulcia?* Mellis
inſtar habes; acris delectat guſtus? Acetum *es.*
Parva loquor, Vinum *es, generoſo pectora ſucco*
laetificas, quacunque ruis, curamque metumque
pauperiemque gravem pellens, velut aurifer amnis,
influis in venas; per te miſerabilis Indus
dives adhuc, liberque ſibi, dominusque videtur,
et Rege Hiſpano *ac aliquando beatior ipſo.*
Si dubitat quisquam, nec poſſit credere Vinum,
quam modo vidit Aquam, *pleno ſe proluat hauſtu:*
(*Nam quis aquae parcat?*) *factam de ſimplice Nympha*
ſentiet eſſe deam, et vim numinis ipſe probabit.
Delicias fundens tales, Medicamina ſudat.

Corti-

Cortice diſtillant unguenta potentia cocto,
et pretium eſt lacrymis, quantum non ulla mereri
gemma poteſt, oculo pulcrae nec blanda puellae
gutta tremens, cum ſe pavitantem dedit amanti:
Non illis rabidi praeſentior ulla veneni
Antidotus, *medicant medicatae cuſpidis ictum,*
et gemina exarmant armatas morte ſagittas.

Ananaſae quoque ſylveſtris nomine nota *Kerbita* dicta Cl. Hermanno Prodr. Parad. Batav. quae Caraguatae ſpecies eſt, quarum plures e Ximene recenſet Laët. Not. in Marggrav. Vocatur alio nomine *Karata* et *Karouta*, detorto forte a Karaguata nomine. Piſo mentionem injicit ſpeciei, quae ſaxis horridis et montibus adhaerere conſpicitur; fructu fatuo quidem, ſed purpurei coloris inſigni, quem *Ananaſam ſylveſtrem* quis dixerit, ſemine numeroſo turgentem, foliis vere craſſis denticulatis, amplis, et inſtar dipſaci incurvatis; quae aliquando medium ſextarium plus minusque aquae limpidiſſimae continent, maximo eorum ſolatio, qui per loca deſerta, nullisque fontibus irrigua iter facientes ad haſce Plantas confugiunt, et ſitim reſtinguunt. Sicut Piſoni haec ſcribenti non ſemel contigit, cum indigenis mediterranea loca perluſtranti. Videturque hujus eſſe ſpecies Ananaſa Americana ſylveſtris altera minor Jamaicae et Barbados Inſulae, colonis ibi degentibus *Pinguin* dicta, de qua Excell. Plukenet Phytogr. T. 258. f. 4.

Vocatur quoque *Anana chicariri*, Palmae quaedam ſpecies apud Marggravium Hiſt. Plant. cap. 3. p. 16. Piſoni de Facultat. Medicam. ſimpl. Libr. IV. cap. 10. p. 62. vocatur *Ana checariri*. Eſtque haec ſecundum Exc. Rajum Hiſt. Plant. p. 1318. Palma Braſilienſis prunifera folio plicatili ſeu flabelliformi, caudice ſquamato. Plura de hac Anana chicariri ſuppeterent, ni invida ſors opus de Palmarum ſpeciebus, ab Augerio Clutio in tractatu de Cocco Maldivenſi et Hemerobio promiſſum, nobis quod dolendum ſurripuiſſet. Praecipuis certe Hiſtoriae naturalis Scriptoribus et Botanicis annumerandus hic Auctor, qui jactis ſub Patre Theodoro Clutio, Horti Medici Lugd. Batav. Praefecto, in re herbaria fundamentis, Gallias percurrens in Monſpelienſi tandem Academia a Cl. viro, Richerio de Bellaval, duobus pene annis vicarius Botanici adoptatus eſt. Hinc Horti Regii Medici Monſpelienſis gratia in Africae interiora penetrans, ut quicquid ibi novum aut minus viſum naturae beneficio, pro ſoli et caeli diverſitate natum, in Europam redux referret; ſed obſtitit bonis his conatibus ſors inimica: ter quippe captivus inveſtigationis laudandae poenas luere coactus eſt. Regis equidem Mauritaniae diplomate ter in libertatem reſtitutus, excuſſus tamen omnibus iis, quae ſimplicium teſſellas floridiores reddere poterant. Belgio tandem Patriae redditus praeter jam citatas de Cocco Maldivenſi ſive Nuce medica, et Ephemero ſive Hemerobio diſſertationes, Theſaurum Exoticorum meditabatur, in quo ex Indiae orientalis occidentalisque armario melioris ſelectus ſimplicia conſarcinarat, Cl. Bontii Plantarum Indicarum orientalium deſcriptiones ulterius illuſtraturus et ditaturus. Habebat et ſub manibus Tractatum de Palmarum ſpeciebus: quae omnia in ſpongiam forte incubuere. Haec occaſio-

caſione Ananae Chicariri de Augerio Clutio, dicta ſunto, qui minime cum Cluſio confundendus, quod a Viro caeteroquin eruditiſſimo nuperrime factum memini.

Anona quoque Oviedi inter Ananaſas relata a Cl. Ammanno in Horto Boſiano: ſed cum hoc de errore alibi jam dictum, hîc non ulterius immoror.

Nana quoque, *Pacoba* vocatur a Moriſoto Bananas ſive Muſa: ſed haec, uti ſupra jam innuimus, toto caelo a noſtra Ananaſa differt.

CAPVT III.

Radicis externae conſideratio. Major primus Anatomen Plantarum tentavit. Radicis partes internae: Vtriculi, fibrae, tracheae. Caulis exterior. Ejus interiora Cinarae congruunt. Cinarae deſcriptio e Malpighio. Folia pro ſpecierum varietate variant. Deſcribuntur ex Horto Malabarico. Foliorum ordo, aculei, figura, color, gemma, quae Plantae mater. Structura interior, eadem quae in aliis craſſioribus e Malpighio deſcriptis. Fructus. Ejus capitulum Strobiliforme. Apex foliaceus omnes Plantae partes continet, ut et ſurculi laterales. Flores cui Claſſi inſerendi? Florum color, ſtamina, ſtilus. Seminum receptaculum, forma. Circa hanc Heſſi error. Illorum valvulae. Ananaſae in Inſula Bourbonia et Horto Volkameriano ſemine deſtituuntur. Fructuum Caro, corculum. Fructus transverſim diſſectus detegit plexus reticulares, tracheas, globulos, utriculos.

PLantam ipſam, quoad omnes rimari partes, acutiusque inſpicere, animus eſt. Firmatur igitur *radice* carnoſiori craſſiuſcula, quae non quidem leviter in ſummo terrae haeret, et ſuper illam fibras nudat, ſed deorſum deſcendit, multisque apricatur fibramentis; ceu ex icone apud Nard. Ant. Recch. Hiſtor. nov. Hiſp. Libr. VIII. c. 78. patet. Non nimis quidem longa eſt, coloris, ſecundum Exc. Muntingium, bruni pallidioris, (*bleekbruyn verbig*) undiquaque tamen longas, capillatas nonnihil nodulatas ſpargit fibrillas, ut Illuſtr. Horti Malabar. Auctori placuit Tom. XI. Cardui edulis radici per quam ſimilem pronuntiat Acoſt. Arom. Libr. c. 44.

Ad internam ſtructuram quod attinet, partibus continentibus, quae vaſa ſunt, et contentis ſive ſuccis, eas non deſtitui, nullus dubitabit, cui Malpighiana et Grevviana in eruenda Plantarum Anatome, ſtupenda diligentia, improbusque labor notus. Quamvis, ut verum fateamur, neque in Patriam noſtram nosmet ipſi ſimus injurii, inventionis gloria, non Anglis ſolum, non Italis, ſed Germanis noſtris, et quidem maximo *MAIORI*, Kilionenſium quondam Podalirio, ſit tribuenda, ceu ex ejus Planta monſtroſa Gottorpienſi omnibus clarum.

Gaudet itaque Ananaſae radix, veſiculis utriculisque, ceu parenchymate, plerumque ſphaericis, oblongioribus interdum, in ſe mutuo hiantibus, magnitudine tamen differentibus, liquore limpido, nonnunquam vapore roreque turgidis, qui per membranarum, ex quibus utriculi conſtant, poros ſe inſinuant, cum patentior janua, qua intrent, non detur, licet Excell. Malpighius, utriculos in ſe mutuo hiantes et pervios faciat. Praeter utriculos fibrae, ſive vaſa ſuccifera, radicis ingrediuntur compoſitionem, lym-

lympham ſeu ſuccum ſpecificum Plantae deferentia, cui fiſtulae aëri excipiendo et derivando deſtinatae, tracheae nempe Malpighianae, accedunt, quae omnia cum adeo parva ſint, ut ſine microſcopio aegre conſpiciantur, oculosque nudos, non tamen acumen mentis ingeniique fugiant, ab ulteriori examine deſiſto, quae in ſenſum incurrunt, in Horti Malabarici ſtupendo opere reperiunda, annectens. Media nempe pars obtortae radicis formam obtinet, primae radiciformes ſcaturigines externe trunci lamellae inſeruntur, foliaque inferiora perforant, et quidem illic loci, ubi folia decidua aliquantulum putrefacta maxime conſpicua, foliis vero vegeto virore expanſis, evaneſcunt; laterales radiculae triplicem nobis oſtendunt phaſin; prima ſubfuſca eſt et filamentoſa, altera lignea albicans muſcoſa, tertia ſive medullaris nervea, praedura et admodum firma.

Succedit radici pars proxima *caulis*, inter folia e radice exſurgens; nec enim quoad mediam partem ſub terra vegetat, quod nonnullis viſum, teſte et refutante hoc Bosmann. Voyage de Guinee Lettr. 16. p. 316. Numero is eſt unicus, rotundus, rectus, ſine ſtolonibus, duobus tribusve tamen foliolis ſecundum Excell. Comelinum in Hort. Amſterod. obſitus. Ipſe caudex eſt tripedalis, ſi fructum annumeres, pro climatis tamen ratione varians, craſſiolus pollicis ferme latitudinis, viridi nitente glabro cortice obductus, qui ſemiannulatis geniculis interdiſtinguitur. Quoad interiora, nec utriculis, vaſisque lymphaticis, nec tracheis, aeque ac radix, deſtituitur, humorque in vaſis contentus ſubdulceſcens pronuntiatur Ill. Hort. Malab. Collectori. Cumque ad Cinaram nonnullis accedere videatur haec planta, imprimis quoad internam lignoſam ſubſtantiam, teſte Dn. de Loubere dans le Voyag. de Siam, nil impedit, quin credam, caulem quoque, quoad ſtructuram internam cinarae congruere, quam indefeſſa Malpighii cura ſequentibus delineavit: Varii, inquit, fibrarum faſciculi in cinarae caule compaginantur. Interdum triplex fiſtularum lignearum collectio A geminos trachearum ordines B. intercipit et ambit, quandoque gemini trachearum faſciculi A. unicum fibrarum acervum B. amplexantur et urgent.

Circa *Folia* diſcrepant Auctores, cum et Ananaſae ſpecies varient, quod pluribus a nobis jam demonſtratum. Sic Thevetus junci foliis latis, Cluſius Aizoi aquatilis foliis, Oviedus cardui generi aſpero et ſpinoſo, Neuhofius vel ſempervivi vel Aloës foliis eadem ſimilia pronuntiant, conſentientibus duumviris Hiſtoriae Braſilienſis ſolertiſſimis, Marggravio Hiſtor. Plantar. Libr. I. cap. 16. p. 33. et Piſone Hiſt. natur. et Medic. Braſil. Libr. 4. p. 195. Edit. ſecund. A. 1658. In prima enim Anno 1648. omiſſa ſunt.

Secundum delineationem in Horto Malabarico conſpiciendam, qua nemo alius meliorem dabit, folia ex ſemiannulatis erumpunt geniculis alterno ordine, illorum bina totam trunci peripheriam arctiſſimis amplectuntur vinculis, inferiori parti confertim, ſuperiori laxius trunco adnectuntur; oblonga ſunt, ſupra fructus in faſtigium excreſcentia, ſinuoſa, ſenſim in cuſpidem aculeatum ſtricta; vel, ut Piſo loquitur, in gladii ſpeciem mucronata, interiori parte concava, fibris in utraque ſuperficie laxioribus et fungoſis pertexta, regularique nexu procedentibus, quarum interiores caeteris majores,

craſſiores ac valde durae ; ubi radiculas ejaculantur obliquo , ſecus recto ductu procedentes, candicantes : Interior ſinus ſubvirideſcit, illius latera ad unius circiter digiti craſſitiem fuſco virore nitent.

In laciniis *aculei* , congruo et quaſi artefacto ordine infiguntur , inſtar dentium lucii piſcis, ut Marggravius l.c. loqui amat. Vnumquodque folium in duas diſpeſcitur laminas,cujus convexa pars rarioris, concava autem denſioris ſtructurae eſt ; folium ordine ſextum, per univerſum hunc truncum, aliud recta e diametro oppoſitum habet , adeo ut totus truncus Hexagonus , ob circularem et cochleatam foliorum compaginem, dici queat; ſemilunares foliorum ungues concinna inſertione trunco firmiter adhaereſcunt , ſuperiori vero membranula , reliquae foliorum ſubſtantiae , virideſcentibus fibrillis agglutinantur.

In oris folia haec muniuntur ſpiculis, ceu aculeis denſis, rigidis, acutis ac incidentibus, verſus cuſpidem parumper incurvis, non tamen aduncis; inferior pars circa caulem ad duos tresve pollices ſine aculeis eſt ; textura illorum rigida, craſſa, denſa, ſpiſſa, venulis parallelis, ex unguiculis ad cuſpidem, quae durior paulo et rigidior ſtriata; quae ad inferiorem caulis partem prodeunt, oblongiora ſunt, in vetuſtiori planta ex viridi ſubflaveſcunt, ad oras ex flavo rufeſcunt, ut et in ſpiculis aculeatis, in parte ſuperiore, extra oras rubeſcunt, colore ſaturo roſaceo, in parte nempe ima ac interiori; in exteriori incarnate rubeſcunt, in ſuperiori flaveſcunt, vel, ſecundum Neuhofium, aurantii ſunt coloris; circa latera ſubincana pubeſcunt lanugine,farinaceo ac albicante rore conſperſa.

Superiora una cum inferioribus ejusdem ſunt figurae, circa caulis cacumen interius in una parte ſanguineo-ſaturo ac vivido nitente rubore ſuffuſa, albicantibus punctis interſperſa, roſam tulipamve marmoream diceres, verſus cuſpidem fuſco et nitente virore, vel etiam ſanguineo, ſi teneriora ſunt, in exteriori latere colore vivido incarnato, ſuperne virideſcentia, vel ejusdem incarnati coloris, farinacea quoque nive , qua color ille incarnatus, ceu viror in foliis obfuſcatur, conſperſa; nive hac remota,ipſe foliorum color plenius ſeſe conſpectui offert. Singulorum foliorum apices praeduris aculeis mucronantur: unumquodque folium gemmam continet, quae licet perexigua, integram tamen plantam perfectiſſime in ſe comprehendit, pedunculo trunci circuitui, exteriori nempe ejus lamellae, inſertam. Hoc tamen notandum, folia pro varietate ſpecierum Ananaſae, coloribus, aculeis, ſpinarumque ſitu differre.

Si interior ſtructura ad microſcopii normam exigitur, crederem, eam non aliter ſe habere in Ananaſae foliis, ac in aliis craſſioribus, utriculorum maxima copia feracibus, de quibus ſequentia ad majorem illuſtrationem immortalis gloriae Malpighius promit : Lacerata cuticula , dum ſenſim coſtulae evelluntur, appenſae utriculorum ſeries reticulariter implicitae reperiuntur, quibus tota folii latitudo et craſſities excitatur. Sunt autem utriculi ovalis figurae , et inaequalis etiam, invicem contigui, tunicaque in modum veſicae laxata componuntur, quae ligneam fibram et tracheam ſecundum longitu-

gitudinem ad centrum excurrentem, amplexatur ipſique haeret; unde laceratione utriculi frequenter manifeſtantur.

Sequitur nunc *fructus*, in quo *flores* quoque proveniunt. Excreſcit in caule unicus, cacumini ejus inſidens, veluti nodus, ſuperioribus foliis inferne ſuccinctus, Strobiliformis Pini Italici fructum referens, cinarae inſtar, foliis futurorum florum operculis eleganti ſpecie conſtructis, atque in modum cochleae (ſi nempe a laeva verſus dextram foliorum ordines inſequaris, alias rectius inſurgunt,) ipſum fructum obſequentibus, ita ut ſextum in ordine, ſemper e diametro aliud oppoſitum habeat, ubi bina ad latera paria circumſtant. Foliis hiſce rhomboidaeis, cuſpidatis, ſurrectis, rigidis, ad verticem ſenſim minoribus, etiam in oris, cuſpidibus ſeu aculeis parvis ac rigidis munitis, venis in longum, verſus cuſpidem ſtriatis, anterius ſanguinei ac nitentis coloris, ut et exterius, ubi albicante farina obfuſcatur, in unguiculis virideſcentibus.

E vertice Strobiliforme oblongum capitulum, vel pulchram potius roſam foliaceam emittit; in germinationis exordio, perinde ut caetera fructus folia, rubram, atque in accretione virideſcentem, ſed ubi lanuginoſa tunica obvelatur, purpuream; in ſui principio arcte, congruo tamen ordine compactam, ſenſimque magis expanſam, in apice ſplendide virentem. Integer fructus pyramidalibus conflatur capſulis, ab interiore caule ad extimum corticem decurrentibus.

Foliaceus apex, qui fructui inſidet, nonnunquam ſimplex, alias multifidus, radicum, facile hic ſeparabilium, ac lateralium ſurculorum primordia in ſe continet, quae radix non minus ac ſtylus, fructus medietatem permeans, partibus continentibus, vaſculis puta ſucciferis, et tracheis ſive aëriferis, idemque et contentis ſive ſuccis ſpecificis, gaudet, ut non mirum, ipſum verticem easdem, quae in tota planta ſunt, partes includere; idem etiam, ſi obtutum acuas, in lateralibus plantae ſurculis, propagationi ſicuti foliaceus apex deſtinatis, videre eſt.

Ad *Flores* tandem devolvimur, qui in fructus vertice e foliaceis tuberculis in Europa noſtra, Commelino teſte, Menſe Majo vel ineunte Junio prodeunt, e vertice oculorum ceu gemmularum exſilientes, quae per totum, cortice excepto, ad verticem fructus, ubi foliis denſioribus veſtitur, ad ipſorum foliorum unguiculos extuberant; ſuntque florum conceptacula, quarum pedunculi florum calices, in fundo rotundi primitus clauſi, poſtea transgreſſum floribus concedentes, deciduisque floribus ſemet conſtringentes concreſcentesque evadunt. Gemmulae de caetero follicoſae ſunt, et nonnihil ad latera compreſſae, conformatae ex tribus rotundiolis, craſſis, rigidiuſculis arcteque convolutis foliolis, quae ad ſe invicem ſunt conſtricta, coloris exterius ſanguinei et nitentis, albicante farina, quae ruborem obfuſcat, conſperſae, intus virides et aqueae. Flores ex hiſce gemmulis follicoſis exilientes tripetali ſunt, oblongi, ad verticem rotunde cuſpidati, ſuperiori parte ſtricti, inferiori convoluti, ubi arcto orificio, a gemma follicoſa, cujus fundo ſunt inſerti, tanquam a ſuo calice arripiuntur. Hinc factum reor, ut ab incomparabili Chriſtianiſſimi Monarchae quondam ArchiBotanico Tour-

 nefor-

nefortio, e mente quidem Rev. P. Plumerii floribus monopetalis, veluti infundibiliformibus tripartitis fuerit annumeratus, reclamantibus licet Illuſtr. Sloane in Catal. Plant. Inſul. Jamaic. et Comelino in Hort. Amſterod. qui tripetalorum Claſſi aſſeruere.

Colorem florum quod concernit, ad verticem ſunt caeruleo ſaturi, inferne albicantis, petalis marceſcentibus e rubro fuſceſcunt. Acu certe nil fingi, nil pingi poteſt penicillo nobilius admirabili floſculorum horum concinnitate, caeleſtem Thavmantiam ſeu Iridis arcum, ſi radii ſolares rore adhuc madentes colluſtrent, oculis exhibente, teſte autopta Rochefortio:

Sicut enim varios adverſo ſole colores
hic trahit, et viſu pulcherrimus aëra ſulcat:
ſic quoque veſtitur variorum flore colorum
Ananas, ac gremio late explicat alma virenti
purpureo, macula radiantem verſicolore.

Stamina floſculis inſunt ſex, flavis, ſurrectis et oblongis dotata apicibus, quorum tria foliorum interſtitiis, reliqua ſupra inciſis e lateribus infiguntur foliis, ac fundo gemmae follicatae ſe inſerunt. *Stylus* in illis eminet unicus, candidus, ſuperne bifidus, trifido apiculo, cujus quodlibet interſtitium biſecatur, et criſpatur inſtar lilii. Flores e gemmis cuſpide acuta purpurea prominent, quorum qui in inferioribus gemmulis ſunt concepti, citiores exiliunt, qui in ſuperioribus tardiores, etiam in ipſo vigore anguſtis oſculis hiantes.

E regione ſtaminum, quae non ipſis floribus, ſed florum interſtitiis inſeruntur, ſepulta jacent *ſemina*, in quovis nodulato tuberculo, floris retinaculo, terna ſingularibus cancellis, triangulari forma, qui trigona quoque infarcitur ac diſtinguitur membranula, ſecluſa, ubi affabre factis, nerveisque catenulis rotundiuſculis colligantur corollis, quarum fimbriae eleganti rotundarum gemmularum cingulo obveſtiuntur, binos inter colliculos, ſicuti pinealis glandula inter cerebri nates, recumbentibus. Quoad ſemina ipſa, parva ſunt, plana, pyriformia. Cl. Tournefortius e Plumerii mente reniformia pronuntiat, calyptra ſive involucro tenui, Gallice *Coiffe* dicto, obvoluta. Liquet hinc, quomodo Heſſus in Horticultura ſua, uti in plurimis, ſic quoque circa Ananaſae ſemina ineptiat, cum citri ſeminibus ſive granis aſſimilet. Vbi praecocia, albicant, matureſcentia apicibus fuſcis dotantur, plusquam matura, caſtaneas fuſcedine aemulantur, atque in valvulis ſeu cavernulis, quae intra carnem, proxime ad corticem, vel gemmulas floriferas conſitae ſunt, reperiuntur, rarius in una capſula bina. Ipſae *valvulae* oblongae ſunt, in longitudine verſus medium ſtylum fructus, utpote corculum, directae, atque in illa parte, quae magis ad ſtylum accedit, ſtrictiores ac veluti membrana nitente candida obductae, et plures ad ſingulas gemmas follicatas, exſtantes. Semina haec ſive Granula Ananaſis in Inſula Bourbonia ſive Maſcareigne abjudicat Dellon dans la Relat. des Ind. oriental. c. 3. Et certe in illis, quae amiciſſimi Volkameri noſtri Hortus producit, uti ſaepius mihi retulit, defuere, id quod in malis quoque aurantiis citriisque in climate noſtro prognatis, ſaepius fieri aſſolet.

Puta-

Putamine hactenus fracto, nucleum pulpamque fructus maturi tandem inſpiciamus. Caro ex albicante (pro varietate tamen fructus,) flaveſcit, ſucculenta, ſaporis prae caeteris fructibus gratiſſimi, acido dulcis et vinoſi. In Fructus meditullio ſtylus ſeu corculum eſt oblongum, rotundum, duriuſculum, ex albo flaveſcens, carne ſubdura, quae lignoſis intus eſt pertexta fibris, teſte Flora Malabarica.

Crederem, ſtylum hunc per fructus longitudinem ad coronam foliaceam usque pertingentem, nil aliud quam caudicis caulisque prolongationem e variis fibrarum faſciculis compaginatam, ubi mox triplex fiſtularum lignearum collectio, geminos trachearum ordines intercipit et ambit, mox gemini trachearum faſciculi unicum fibrarum acervum amplexantur et urgent, ceu ſuperius innuimus. Qua autem ratione ſtylus hic ſive corculum ad pinnam ſive faſtigium foliaceum fructus pertingat, e figura Turnefortiana, ubi fructus per longitudinem diſſectus exhibetur, pateſcit.

In fructu transverſim inciſo Lectorisque oculis exhibito, oblongae et radioſae ſtriae apparent, e corculo ſive ſtylo medio ſeu meditullio fructus egredientes et ad corticem excurrentes, quarum caro magis ſucculenta et flaveſcens; continet enim pulpa Ananaſae fibrarum reticulares plexus, una cum contentis tracheis; et globulis ſive nodis, acido dulcem ſive vinoſum ſuccum continentibus, firmatur; areae vero utriculis lympham aſſervantibus perbelle replentur, atque hi in meditullium hiant, veluti in corde accidit, carneis lacertis et fibris valvulas inibi firmantibus.

CAPVT IV.

Plures de Plantarum Charactere ſolliciti. Difficultas ab Anomalis. Plumier illam temperare inſtituit. De Ananaſa nihil determinat. Quidam ad Cinaras referunt. Harum Character e Columella et Hermanno. Alii ad Carduos. Kircherus notatus. Alii ad Aizoa, ad Melones, Braſſicam. Nonnulli Nuci Pineae ſimilem volunt. Nonnemo Palmae ſpeciem facit. Strobilus Indicus. Cur ab Hiſpanis Pinas vocetur? Rajus anomalis et pomiferis infert. Pinea nux inter Poma. Poma Fructus omnes *δενδρίτες*. Male a Paulo ICto excluduntur. Nux eſt Molluſca. Sloane herbis flore tripetalo, Turnefortius flore monepetalo annumerant. Volkamerus inter baccifera. Ejus methodus Plantarum.

INter feliciſſima ſeculi noſtri Inventa hoc quoque arti noſtrae acceſſit, ut poſt primos et imbecilles adhuc conatus Caeſalpini, Columnae, Gesneri, Zaluzanii a Zaluzaniis, Bauhinorum aliorumque, de vera Plantarum methodo, principes Botanici ſtudii viri Jungius, Moriſonius, Rajus, Hermannus, Rivinus, Tournefortius de plantarum certo characteriſmo, cogitare ſerius coeperint. Hoc a floribus et ſeminibus cum perianthiis et capſulis vel ſolis, vel junctis deſumpto, innumerum tandem Plantarum numerum certis claſſibus ordine et ex artis lege digeſtis inſerere, et quas exterae regiones primum viſui noſtro offerunt, diſcernere ſtatim certoque quaſi Lari aſſignare docuerunt; ut hoc ipſo carnificina illa memoriae, qua nuda olim Plantis impoſita nomina in

futuram oblivionem mandanda fuere, liberati ſimus. Licet vero tanta ipſis debeamus; harum tamen methodorum nulla tam infallibilis, tam congrua adhuc exſtitit, ad quam ad regulam quaſi Lesbiam, cunctae cognitae regulareſque plantae examinari, nedum irregulares illae, ſingulares et anomalae cogi poſſent, tanquam exceptiones a regulis generalibus, ad libertatis ſcilicet naturae nullis legibus obnoxiae, oſtentationem (ut Excell. Raji verba mutuemur.) Addit vir immortalis gloriae, Hiſt. Plant. T. I. *Si natura rei id pateretur, humanam tamen hoc non admittere conditionem. Cum enim Plantarum numerus ingens exiſtat, in his aetatis anguſtiis, memoriae imbecillitate, intellectus inadvertentia et caligine; quis adeo univerſalem ſpecierum omnium notitiam, adeoque claram et diſtinctam ſingularum, ſe unquam aſſequi poſſe ſperet, ut tali operi ſufficeret. Quis adeo circumſpectus eſſe poteſt, ut ad omnes omnium convenientias et differentias attendat, easque ſub uno quaſi intuitu comprehendat; quod tamen ad eas inter ſe conferendas neceſſarium eſt.*

His defectibus ſupplendis, cum praecipue tot incomperta adhuc nobis Europaeis plantarum Americanarum genera cerneret Rev. P. Carolus Plumier, (quem jam alibi laudavimus,) ordinis Minimorum in Provincia Franciae, et apud Inſulas Americanas Regius Botanicus, tribus peregrinationibus ab Anno 1689. ad Annum 1697. Americanas regiones perluſtrando, cunctarum Plantarum, cunctorumque Animantium Catalogum deſcripſit, delineavitque. Haec dum agit, nova ſimul Plantarum Americanarum genera cum orbe communicat erudito, plantasque incertas, certis generibus inſignit quando characterem generis e florum et fructuum conſtitutione; ac nomenclatura, partim ex Indicorum Botanicorum libris, partim e celebriorum Botanicorum aut Botanophilorum nominibus deſumit.

Non equidem comparet Ananaſa noſtra inter nova Plantarum Americanarum genera Pariſ. 1703. in 4to edita; in Catalogo tamen Plantarum Americanarum, huic opuſculo annexo, Ananaſae ſpecies recenſentur, cum Excellentiſſ. Tournefortius in Inſtit. Botanic. jam Plantas nonnullas, a Plumerio ſecum communicatas et depictas, quas inter Ananas, in Appendice ad novum Plantae genus revocaverit quidem, nil certi tamen determinaverit.

Quod ſi viri ad ſtudium hoc perficiendum penitus nati hic caecutiant, quid mirum, ad diverſa Plantarum genera a diverſis priorum temporum Botanicis Ananaſas fuiſſe relatas?

Et illi quidem, qui ex Hiſtoriae naturalis ſcriptoribus primitus Ananaſae fructum inſpexerunt,

> *atque caput cinarae compar, ſed acutius atque*
> *pulchrius;*

Cinaram Indicam pronuntiarunt, ſed pungentibus deſtitutam aculeis, quod inter plures alios Oviedo, Acoſtae et tandem Bontio aliisque placuit; Columellam, qui graphice Cinaram deſcripſit, in hypotheſeos patrocinium allegant, Libr. X. canentem

> *Hiſpida ponatur Cinara, quae dulcis Jaccho*
> *Potanti veniat, nec Phoebo grata canenti.*

Haec

Haec modo purpureo ſurgit glomerata corymbo,
Myrteolo modo crine viret, deflexaque collo;
Nunc adaperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc ſimilis calatho, ſpinisque minantibus horret.
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Apte haec omnia in Cinaras, hodie *Artichaut,* dictas, quadrant; in Ananaſas minime: nam licet Cinarae caput conum pineum aemuletur, in reliquis tamen tantum diſtant, quantum aera lupinis, cum inter plantas angioſpermas capitatas, pappeſcentes floribus fiſtuloſis referantur Celeb. Leidenſium quondam Botanico Hermanno, Cinarae, quae notae ad Ananaſas minime trahendae.

Oviedus et poſt illum Caſp. Bauhinus in Pinace, aliique Carduum Americanum foliis Aloës vocarunt. Hinc et Ambroſinus Phytograph. P. I. T. I. p. 2. *Aberam,* fructum exoticum Braſilienſem, (quo Ananaſam nomine intelligit,) cardui ſpeciem pronuntiat; quod a Joh. Bauhino in opere Botanico, ejusque Epitomatore Chabraeo factum, qui ad capitatas ſpinoſas ſive carduos referunt. Etiam Rev. P. Kircherus Chin. illuſtr. p. 189. huic Carduorum Claſſi inſerendam putat Ananaſam; annexa tamen hac ridicula epicriſi, cui nemo unquam applaudet, experientiae quippe e directo contraria; hanc nempe cardui inſtar, quam cartejofoli vocant, pullulaſcentem Plantam, in Europaeo Climate tandem conſitam, in carduum domeſticum degeneraturam.

Lobelius Aizoi majoris ortu perſimilem, Acoſtae autem doctiſſimus interpres in Notis, Aizoi aquatici facie exoticam plantam, eſſe aſſerunt. Hinc Boſmannus in Guineae deſcript. Gallicae Plantae *Joubarbe* dictae, (quo nomine et Sedum et Telephium intelligunt) aſſimilat. Neuhofius Meloni quoad fructum, alius Braſſicae Cypriae, ſimilem faciunt, quippe quae foliorum loco in caput conglomeratorum caulem in medio habet craſſum, albidum, mollem, palato gratiſſimum et florem referentem, unde Cauliflorae nomen.

Plurimi tamen, penes quos et regionis et fructuum prima inventionis laus, Nucis Pineae in Ananaſa ſimilitudinem ſe reperiſſe crediderunt. Audiamus Petrum Colonum, a quo vocatur: *certa frutta que parcan pigne verdi come le noſtre, benche aſſai maggiori et dentro piene di maſſicia polpa, come il melone et di molte piu ſoave odore et ſapore.* A Ximene vocatur *Pina de los Yndias, que los Yndias ilaman Mazatli.* Petrus Martyr ſcribit: eſſe fructum ſquamoſum, Pinus nucamentum, aſpectu, colore, forma aemulantem, cui pollicem premit Maffejus Hiſtor. Indic. Libr. II. p. 31. qui, cum cunctos Indiae fructus recenſuiſſet, tandem in haec erupit verba: *Verum ex omni genere palma tribuitur* (qui Indicem Maffejano operi adjunxit, e male conceptis et intellectis his verbis, Ananazam palmae ſpeciem in Braſilia finxit) *iis quos vulgo Ananazes appellant. Planta eſt humilis, cujus e ramis veluti pinea nucamenta dependent praemollia, haec ſuo tempore in fruſta diſſecta gratiſſimo ſapore ſimul et odore, non recenti tantum edulio ſunt, verum etiam in longum tempus adſervan-*

tur e Saccharo. Quae ipſiſſima Maffeji verba Caſp. Barlaeus Hiſtoriae rerum per octennium in Braſilia et alibi ſub praefectura Comitis Mauritii Naſſovii geſtarum, inſeruit. Quos hactenus citatos Auctores potiores veteres recentioresque Hodoeporicorum et naturalis Hiſtoriae ſcriptores ſequi deberent, quorum Catalogum poſt Illuſtr. Sloane Catal. Plantar. Inſul. Jamaic. congerere nolumus, quis enim poſt Homerum Iliada?

Hinc Monardi et J. Bauhino T. III. Libr. 25. p. 94. vocatur Strobilus Indicus ſive Nux Pinea Indica. Addidit tamen probe Oviedus, citante Dalechampio in Hiſtor. Plantar. Lugdunenſ. fructum, quem Hiſpani a Pineae nucis ſimilitudine *Pinas* appellant, non ideo nominari, quod ejusmodi ſquamas lignoſas habeat; ſed quod ejus cortex ſimili modo diſtinctus videatur, tametſi non ſquamatim, ſed Peponis modo cultello integer auferatur.

Recentiores Botanici, qui in Plantarum intimiori et accuratiori ſcrutinio omnem poſuerunt operam, cui generi apte accenſenda Nana, dicere muſſant. Excell. Rajus, Botanices totius fidiſſima Pharus, ad Anomalas Plantas refert, tandem ob convenientiam aliquam, Pomiferarum Claſſi ingerit Libr. XXIII. ſect. 3. cap. 6. p. 1332.

Scilicet et Pinea nux ad pomifera olim referebatur, quam diſertim Pomum vocat Ἐπιγραμματοποιὸς Bilbilitanus:

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede, Viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Id quod e Caſcellii Juriſconſulti joco forte Poëtam hauſiſſe credit Cl. Nonnus de re cib. Lib. I. c. 43. p. 140. de quo Macrobius Libr. II. Saturn. c. 6. *Caſcellius ICtus urbanitatis mirae libertatisque habebatur. Praecipue tamen is jocus ejus innotuit. Lapidatus a populo Vatinius cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent, ne quis in arenam, niſi pomum miſiſſe vellet. Forte iis diebus, Caſcellius conſultus a quodam, an Nux pinea pomum eſſet? reſpondit: ſi in Vatinium miſſurus es, Pomum eſt. Tanto enim odio Vatinium habuit populus Romanus, ut Vatinianum odium pro magno Catullus uſurparit.*

Sed et extra hunc Caſcellii jocum, inter Poma nux pinea relata. Sic enim Plinius, annotante maximo Salmaſio, cum titulum cap. 9. Libr. XV. dediſſet: *omnium pomorum genera et natura:* a nucibus pineis incipit, et ejusdem Libr. c. 22. ubi de nucibus, *ſolum hoc pomum natura compactili operimento clauſit.* Imo, quod hic ὡς ἐν παρόδῳ notandum, Pomi appellatione omnes arborum fructus δενδρίτας contineri, quorundam fuit opinio. Sic Heſychius: Μῆλον καρπὸς παντὸς δένδρου. Idem: Μῆλον πᾶς καρπὸς. At vero Pomi appellatione Nuces non contineri putabat Paulus L. 205. de Verb. ſignif. *Qui fundum vendidit, Pomum recepit. Nuces et ficos et uvas duntaxat Duracinas et purpureas et quae ejus generis eſſent, quas non vini cauſa haberemus, quas Graeci τρωξίμους appellarent, recepta videri.* Qua de re fuſius Gallorum πολυμαθέστατος Menagius in Jur. Civil. Amoenit. cap. VIII. Quodſi inter Nuces referenda Ananaſa, Molluſca nux erit, de qua Suevius in edulio, quod inſcribitur Moretum:

Molluſca haec nux eſt, ne quis forte inſcius erret.

Haec

Haec occaſione pomiferarum, quarum claſſi ab Exc. Rajo inſerta Ananaſa. Celeb. Hans Sloane Prodr. Hiſtor. natur. Jamaic. Part. I. herbis flore tripetalo annumerat ; diligentiſſimus Tournefortius tamen e Plumerii mente diſſentit, florem monopetalon veluti infundibiliformem tripartitum tuberculis embryonis innaſcentem Ananaſae tribuit.

Haec cum ita ſint, et Artis noſtrae Dictatores inque Botanico Studio Archidaduchi, quibus

haud ſimiles ſecla tulere viros,

diſſideant, nullius certe ſenſum, cui proprie Ananaſa claſſi accenſenda, adſtringere volumus, ſed liberum in eo cujusque judicium relinquimus.

In hac ſententiarum diſſidentia et divortio, cum Amiciſſimo Volkamero ſermones miſcens, ejusque in re tam ambigua, tam abſtruſa, mentem explorans, hoc tandem reſponſi tuli : cum nova foret Planta, cognitis hactenus Plantarum ordinibus eam inſeri commode non poſſe. Si quis tamen urgeat, *inter baccifera fructu compoſito referendam eſſe.*

Haec Vir βοτανοφίλτατος, de cujus laudibus nihil dicam, ne homini Amicoque conjunctiſſimo publice blandiri videar. Judicium hac in re provoco cujusque in hoc ſtudio docti, qui operis ſub Tit. Florae Norimbergenſis editi proſcenia legit : annon illa intimae in hoc ſtudiorum genere eruditionis gratiam ſpirent. Optant vero doctiores, ut porro Methodum Plantarum, omnium quotquot ſunt certe abſolutiſſimam , quae ultimam mox videbit manum, in plauſum literarium emittere velit, cum immortali nominis fama, et gratiſſimae poſteritatis magna admiratione, quippe

Solo hoc Sole viget Plantarum notio vera.

CAPVT V.

Cauſarum primarum notitia difficilis. Naturalis Ananaſae temperies. Guſtus ſenſum prae reliquis extollunt Caeſalpinus et Schelhammerus. Dulces Ananaſae particulae quales? Salinae quoque commixtae ad acidum accedentes. Elaſticae, ſulphureae. Saporis Ananaſae diverſitas. Aſſimilantur Praecocibus. Saporem et odorem non ſoli confundunt Noribergenſes, ſed et alii Germani, Galli, Latini. Ananaſae ſaporem ſimilem pronuntiant, fragis, pyris Bergomatiis, malis Perſicis, Armeniacis *Renette*, cydoniis, ceraſis, Vino Rhenano, Saccharo, Melli. Peculiaris ineſt ſapor odorque vix exprimendus.

CVm nimium anguſtis mens noſtra circa prima rerum conſtitutiva principia coërceatur terminis, ita ut a cognitione primarum cauſarum ferme excludatur , et eo res tantum redeat, ut quos unum in alterum corpus inferat, effectus, (actiones et reactiones corporum in ſcholis philoſophorum audiunt) explorare queamus, hosque non ex primis, utpote remotis, ſed ex propinquioribus et ſenſui obviis principiis ; huic quoque viae tritae nobis inſiſtendum erit et demonſtrandum, quid de Ananaſae naturali temperie guſtus nobis promat.

Huic enim ſenſui prae ceteris palmam defert Vir ſui ſeculi ſummus, Andr. Caeſalpinus de Facult. Medicam. Libr. I. c. 1. *Soli ſapores*, inquit, *certius et propinquius non ſolum temperamentum oſtendunt*, *ſed et reliquas faculta-*

tes longe efficaciores, tum ad morbos gignendos, tum ad ſanandos, et c. loc. c. 4. *A Saporibus certiſſima habentur facultatum indicia, non ſolum primarum, ſed et reliquarum omnium.*

Huic ſententiae applaudit, eamque illuſtrat ingenioſiſſimus Schelhammerus. *Quicquid concinna colorum varietas et ineffabilis ex eorum miſcela exſurgens pulchritudo oculis offert, vanum eſſe et merum prope ex rerum ſuperficie remeantis luminis ludibrium, Mathematici demonſtrant: Qui auditum demulcet, auresque titillat, ſuaviſſimus et caeleſtium choro aemulus putatus concentus, tremulae motus aurae eſt, et paulo plus quam nihil, in quod promte hinc etiam evaneſcit. At ſapores (quod cum odoribus habent commune) proximo corporum contactu ipſas, ex quibus conſtant, particulas offerunt: et cum tactus externa tantum ſentiat, intima et recondita naturae guſtus percipit et contemplatur.* Quae cum ita ſint, quid delitioſiſſimi fructus illecebrae guſtui communicent, inſpiciamus. Abblandiuntur linguae quam maxime, quatenus poros atque tubulos, papillasque nerveas, grata dulcedine laxant ac demulcent, et, ſicuti Lucretius l. 2. de rerum natur. v. 399. exprimit:

Jucundo ſenſu Linguae tractantur in ore,
ut facile agnoſcas, e laevibus atque rotundis
Eſſe ea, quae ſenſus jucunde tangere poſſunt.

Quae Poëtarum Philoſophus e Democriti Praeceptoris principiis hauſit, qui χυμὸν γλυκὸν τὸν στρογγύλον καὶ εὐμεγέθη, *ſaporem dulcem, rotundum amplumque*, pronuntiavit. Gaudent enim hae Nanam ſive Ananaſam conſtituentes particulae flexibilitate, mobilique mollitie, omnique pertinaci irregularitate ac figurarum aſperitate maturi fructus deſtituuntur. Involutae tamen ſunt his dulcibus roſcidisque et linguae et gulae blandimentis ſalinae particulae, πρώτως et primario nerveas papillas linguae molliuſcule lancinantes, quas ſi quis molles aculeos cum Williſio de Anim. Brut. c. 12. de guſtu, pronuntiari velit, licitum erit. Hae ſalinae particulae a roſcidis oleoſisque ac feroſis ſolvuntur et obtunduntur, ac quaſi involvuntur, ut linguam ne feriant, ſed titillent: aqueis enim ſeroſisque particulis abundat hic fructus, ut vere in illum Hippocratis iſtud quadret: γλυκὺ ἐς δύναμιν, οἷον ὕδωρ, γλυκὺ ἐς γεῦσιν οἷον μέλι, *dulce ad potentiam velut Aqua, dulce ad guſtum velut Mel.* Libr. 2. de Alim. c. 5. t. 13. Ad naturam vero acidorum has ſalinas fructus noſtri moleculas accedere, guſtus ſaepe dulcacidiuſculus, analyſisque probat chemica, quae efficit, ut omnia dulcia ſpiritum acidum magis ac minus corroſivum fundant.

Elaſticas, ſpirituoſas, ſulphureas particulas in gremio Ananaſae latere, et per internam fermentationem caloris ope evolvi, odor fragrantiſſimus innuit. Nec enim Theophraſto Plinioque fides habenda, qui dulcia raro odorata eſſe perhibent; quam opinionem alibi deſtruximus: tanta enim fructus hujus dulcedini conjuncta et commixta eſt fragrantia, ut ſecundum Acoſtam, odore dignoſci queant aedes, in quibus aſſerventur.

Ex hac particularum hactenus recenſitarum modificatione, i. e. figura, textura, partium fluidarum motu et combinatione, fluit fructus hujus efficacia virtusque, quae ex Idioſyncraſia ſubjectorum fructus comedentium variat;

ut

ut nihil adeo certi quoad vires et effectus decernere et definire quis queat, niſi ſemper facta relatione ad individuum. Quod cum varium ſit, varia pariter hujus fructus viſitur efficacia, operatio et ſaporis ſpecies. Licet enim negari haud queat, diverſas illius recenſitas ſpecies, ſaporis quoque atque odoris parere differentias, hoc tamen diffitendum non eſt, unum eundemque fructum, a diverſis comeſtum, diverſas impreſſiſſe papillis nerveis, ceu guſtus organo, ſaporis ideas. Hinc Auctorum in exprimendo vero et adaequato Ananaſae ſapore diſſidium.

Praecocibus, quae malorum Armeniacorum ſpecies, (unde Gallorum *Abricot* detortum,) ſapore aſſimilat cum plurimis aliis illuſtris Thevenotius, dum ſcribit, *il laiſſe a la bouche un odeur d'Abricot. Palato mali praecocis odorem relinquit.* Saporem hic cum odore confundit vir clariſſimus, aeque ac a Germanis noſtris interdum fieri aſſolet; nec enim quis ſolos Norimbergenſes noſtros ideo ſalſe ſugillet, quod in Lexico Germanico Serotini factum, tanquam non niſi quatuor ſenſibus ideo ſint praediti, cum non apud nos nata, aut unice recepta ſit iſta ſermonis ratio, qua uno eodemque vocabulo res, ad guſtus et odoratus ſenſum pertinentes, pronuntiantur et efferuntur, ſed et ab aliis id quoque fiat. De Dialecto Germanorum Auſtralium Helvetiorumque, ex Hiſtoria Concilii Conſtantienſis Vlrici de Reichenau, itemque germanae fidicinis lyrae, acutiſſimi Opitii, paraphraſi poetica Cantici Canticorum hoc fuſe probavit πολυμαθέστατος Wagenſeilius de Noriberg. Reb. notab. cap. 16. p. 110. Penes Gallos quoque hanc vim normamque loquendi eſſe, ea, quae e Thevenetio modo adduximus, probant; et apud Latine ſcribentes frequentiſſime legimus, aliquid Hyblam Atticosque flores ſapere, pro bene olere, et vice verſa. Sed ad ſaporis Ananaſae varietates redeundum nobis.

Fragis ſimilem pronuntiarunt plurimi, quos inter Neuhofius in Braſil. deſcript. p. 240. et in Itiner. Sinic. p. 346. Bontius Hiſt. Natur. et Med. L. 6. c. 50.

Qui legitis Cinaras atque Indica dulcia fraga.

Marggrav. Hiſt. Plantar. Braſil. Libr. I. cap. XVI. p. 33. aliique.

Pyris, a Bergamo Italiae urbe dictis Bergamatiis, ſucco ſaporeque egregiis, comparat Ananaſae ſaporem Cl. Muntingius, qui mox malis Perſicis, quod ad guſtum, aequiparat. Dn. de Loubere vero delicatiori malorum Armeniacorum ſpeciei, Gallis *Pavie* dictae. Malis, quae Gallis *Renette*, ſive renata, Anglis *Pippin* dicuntur, aſſimilant Rochefortius et Pometus, vel, ut Martialis verſu exprimam,

dulcibus aut certent quae Melimela favis.

Cydoniorum et Nucis moſchatae mixturam Ananaſam exprimere credit Hiſtoriae Mexicanae Auctor. Ceraſorum ſuavitates in fructu hoc ſe guſtaſſe Langhanſius; vini Rhenani vero delitias in Jajagna, Ananaſae ſpecie, Meiſterus exiſtimant.

Μέλι τὸ καλάμινον τὸ λεγόμενον σάκχαρι, ſive Mel arundineum, quod Saccharum dicitur Arriano in Peripl. Mar. Erythr. in fructu hoc ob dulcedinem, ſe reperiſſe teſtatur, Hyblaeum ſuperans Nectar Cl. Muntingius. Sed ut brevibus me expediam, illi denique, quibus intimius Indias perluſtrare, resque natura-

F 2 les

les accuratius noſſe datum, fateri coguntur,ineſſe fructui huic peculiarem plane ſaporem, qui ex innumeris ſuavitatum plurimarum conjunctionibus miſtus omnes, quas hactenus recenſuimus, delicias exhibeat,adeoque verbis vix exprimi queat. Vt major his, quae ſcribimus, habeatur fides, teſtes advoco autoptas,Rochefortium et Pometum,quorum ille in Hiſtoria naturali et morali Antillarum Inſularum Livr. I. chap. X. Artic. VI. p. 120. Edit. ult. in IVto. *Elle a un goût ſi releve, et qui lui eſt ſi particulier, que ceux qui l'ont voulu parfaitement décrire, ne pouvant le faire ſous une ſeule comparaiſon, ont emprunté tout ce qui ſe trouve de plus delicat, en l'auberge, en la fraiſe, au Muſcat, en la Rénette, et apres avoir dit tout cela, ils ont eſte contrains de confeſſer, qu'elle a encore un certain goût particulier, qui ne ſe peut pas aiſement exprimer.* i. e. Tam ſublimi,peculiari plane ac ſingulari ſapore gaudet,ut accuratius illum deſcripturis, cum ſub una comparatione id fieri nequeat, opus fuerit, omne illud trahere in ſubſidium, quicquid in malis Perſicis,fragis,uvis Apianis, malis renatis et melimelis ſuavitatum et deliciarum eſt. At poſtquam haec omnia dixerunt, fateri tandem coguntur, ineſſe huic fructui proprium et verbis vix exprimendum ſaporem. Pometus vero l'Hiſtoir. general. de Drogues haec de ſapore Ananaſarum habet : *Elle eſt ſi ſavoureuſe, que je ne la ſçauroit mieux exprimer, ſi non en diſant, qu'elle a le goût de la Pêche, de la Pomme, du Coing, et du Muſcat tout enſemble.* i. e. Tanta ſaporis excellentia,ut melius vix me expedire queam, quam dicendo quicquid delitiarum in Malis Perſicis,Appianis,Cydoniis, uvis Moſcatulis, in Ananaſae fructu ſimul commixtum eſſe.

Nec minor diverſitas odoris eſt, quam erat ſaporis. Alii Roſarum fragrantiae, alii vinoſae ſuaveolentiae, alii pomorum, ſolis calore ad maturitatem tendentium, halitui, alii illi Perſicorum generi, quod a malis et cotoneis nomen apud Italos et Hiſpanos invenit; iterum alii iſti, quem ipſa Cydonia fundunt, haud diſſimilem pronuntiant, fando haud accurate exprimendum, nec calamo circumſcribendum. Propius accedes,ſi vinoſum pronuntiaveris.

CAPVT VI.

Omnis Terra Ananaſae colendae apta. Montoſa, umbroſa, arenoſa et aquoſa loca. In Septentrione terra calidior fimo equino infecta eligitur. Irrigatio. Aër liberior. Boreas inimicus. Aedes feneſtris obductae. Rudbekii fornaces ſubterraneae. Primo vere Aeri non eſt exponenda. Propagatio ex apice ſive Corona, quae humidiſſima: ex germinibus caulis: ex ſemine dubia eſt: ex foliis. Per folia propagantur Opuntia, Ficoides, Citrus.

CVm Ananaſa non ſit ex illorum fructuum genere, quos originis ſuae genialis amor adeo delinivit, ut nullo labore, nulla induſtria, ingeniove et arte alibi, quam ubi primum nati, ad culturam diſponi poſſint; nullam enim terram, culturae officiis ſtudioque debito praeparatam, dedignatur, nunc, quale ſolum diligat fructus noſter,

Nec

Nec vero Terrae ferre omnes omnia poſſunt,
diſpiciendum. Variant exoticorum Auctores in ſolo huic plantae aſſignando. Nard. Anton. Recchus Mexicanas Ananaſas montoſis locis, Neuhofius in India orientali, in umbra, ſubeunte tamen humoris ſalubritate, felicius germinare aſſerit, additque, Terram ſeligendam, vulgo *ſoete en gulle*, dulcem et mollem dictam. Secundum Floram Malabaricam arenoſa et aquoſa loca amat, et

pullulat in campis ſiccis atque aequora juxta.

In regionibus noſtris Septentrioni proximioribus, ubi major adhuc in cultum plantarum exoticarum

labor eſt impendendus, et omnes
cogendae ad fructum, et multa mercede domandae,

eligitur terra mollis, pinguior, calidiorque, cujus nativa macies deciduis arborum foliis, vel ligni ſcobe, in putredinem reſolutis, fimoque equino recenti corrigatur et acuatur; et quoniam iteratis calefieri vicibus amat, aliquoties fimo recreetur equino, feneſtriſque ab omni inclementiori aëre deſuper muniatur, ne velut foetus in ipſo utero ante partum tabeſcat.

Cave, ne ſiccius tractentur Ananaſae: irrigandae ergo per foſſam, ne caulem attingat pluvialis humor. Hoc ut impediat ſedulus hortorum cultor, caulem arboreo cingat muſco, humiditatem longiuſcule conſervante vel arcente. Opera quoque danda, ne crebrioribus imbuantur imbribus, ac pluviales foliorum interſtitiis inhaerentes guttae, cauli damnum inferant in putredinem vergenti.

Aër eligatur aliquanto liberior, quippe cujus beneficio ſurſum eriguntur in germinatione, conſervantur in augmento et vitae proceſſu, ſuccorumque pariter circulus et fermentatio facilitatur. Ab omni Borea immunes ſint,

cum Boreas ſemper Nanae ſaevißimus hoſtis.

Hinc cum e calidiori climate in noſtrum transvecta planta, (quae nullum fere nunc caelum aut ſolum fugit,) in areolis fimo repletis et deſuper feneſtratis aedibus, quibus calor intendi, ſicque ad debitam maturitatem cogi, et a frigoris injuria defendi poſſunt, conſervandae, aediculae vero illae ingruente inclementiori ſtatim autumno claudendae.

Vel ſi aedes e vitris confectae aliaque commodiora deſint hibernacula, ad ductum Cl. Rudbekii ſubterraneae fornaces in uſum trahantur, quarum beneficio vegetantes orientis calores aemulatione quadam, ad nivoſos borealis climatis horrores retrahere liceat, et germinationem exoticarum ſtirpium, (etiam ex ipſis ſeminibus) deſperatam huc usque promovere; de quibus maximus naturae myſtes, Major, in Gen. errant. cap. 11. Plura itidem de fornacibus his ſubterraneis Heſſus.

Mollem igitur ne laedant frigora Plantam,
haec contra duros hiemis ſervanda rigores,
donec agat zephyros annus ſolemque reducat.

Cave tamen, ne vere ineunte ſtatim aëri exponatur, priusquam aeſtas

appropinquaverit,et plurimum jam deflagraverit; amat quippe aeſtum, in fervida producta regione, qua calor maxime viget,

quaque dies medius flagrantibus aeſtuat horis.

Ad Propagationem plantae quod attinet, diverſo fieri amat modo. Commodiſſimus eſt per plantulam novam e fructus cacumine reſurgentem, foliaceum apicem ſive coronam vulgo nominatam; quippe quae decerpta, ſoloque convenienti impacta, facile propagari poteſt. Tanta foliaceam hanc coronam humiditate ſcatere aſſerit *Fr. Pyrard diſcours du Voyage des François aux Indes orientales, et Traité des Animaux et fruits des Indes obſervées par Autheur* chap. 9. p. 332. ut quindecim pene dies extra terram relicta non corrumpatur, ſed ad Ananaſae propagationem apta remaneat; quod propria experientia confirmavit toties nobis laudatus Volkamerus. Ex Illuſtr. Commelini mente, fructu abſciſſo planta relinquitur, donec nova germina producat, quae anno inſequente divulſa, et ſolo eidem, modo praedicto impacta, ſecundo poſthac anno ad frugem rurſus perducantur.

De Ananaſae per ſemen productione altum apud plures exoticorum ſcriptores ſilentium. Si fides habenda foret Henrico Heſſo in Hortulan. German. vernacula lingua conſcripto et edito, res eſſet facillima. Sic enim ille: E ſeminibus, qualia non quidem in fructibus apud nos coacte matureſcentibus, ſed ex India allatis, reperiuntur, propaganda Ananaſa, id quod ſequenti contingit modo: Semen, citri ſemini ſimile, coloris tamen magis bruni, vere ingruente per diei unius ſpatium aquae committitur, exemtumque iterum ſiccatur, et ſatis profunde in ſolum pingue optimo fimo equino praeparatum, atque in vaſe vel ciſta enutritioni plantarum deſtinata, aſſervatum deponitur, probe irrigatur, et ab omni frigoris pruinaeque arcetur acceſſu. Vas, cui committitur, ſit ſatis amplum, ut diutius in illo conſervari poſſit, cum non ſine evidenti periculo transferatur. Interdiu quoque ſemper obtegenda planta, ad concentrandos ſolis calores. Menſe ſecundo plantulam videbis ſeminalem, cinarae inſtar prodeuntem, foliolis anguſtioribus, indies tamen in majorem molem tendentibus, usque dum ad debitam magnitudinem pervenerint. Haec Heſſus, penes quem ſit fides, quae pluribus vacillare creditur.

Omnem fidem et experientiam primo intuitu ſuperare videtur, quae ἀθανάσιος alias Kircherus de hac Ananaſae propagatione per folia tradit. Refero ejus ipſiſſima verba Chin. illuſtrat. p. 189. *In Ananaſa*, inquit, *admiratione dignum occurrit, quod non ſemina ſolum in terram projecta, ſed et ſurculi, quin et folia ipſa terrae implantata, novas ſimilesque plantas fructusque producant, quod et multis aliis plantis contigit.*

Mira haec per folia propago, non tamen impoſſibilis, modo curioſitatis amans φρεσὶ πευκαλίμῃσι νοήσει. Sed ſi per analogiſmum Opuntiae quis propagem per folium perpendat, Kirchero omnem non abjudicabit fidem. Sic φίλτατον κάρα, Cl. Volkamerus retulit, in ſuo horto foliola Ficoidum nonnullarum in terram decidua, laete vegetaſſe, ficoidemque produxiſſe; id quod de Aloë Africana breviſſimo craſſiſſimoque folio, flore ſubviridi, quoque annotavit Exc. Commelinus Hort. Amſterod. P. II. p. 11. Citri nova per folia productio certe habet, quod in admirationem rapiat curioſos. Quis unquam credidiſſet fieri poſſe,

poſſe, ut exſucca pene folia terrae mandata, radices agant, e fibrillis protrudant folia in ramuſculos ſe expandentia, dorſalisque folii nervus caulis truncique tandem vicem ſuppleat. Conjunctiſſimi Fratris, Paſtoris Furthenſium vigilantiſſimi, citretum centenis experimentis hoc artificium commonſtravit, indeque Summorum Imperii Procerum promeruit gratiam, qui rem mirandam clementiſſimo dignati ſunt aſpectu. Hancque novam, a Mirandola olim jam indigitatam, foliaceam citri productionem, Heſperidum Noribergenſium Tomo ſecundo ſolertiſſimus operis hujus laudatiſſimi Auctor, Vir nobiliſſimus et integerrimus J. C. Volkamerus uberius declaravit.

CAPVT VII.

Vſus Medicus. Succus roborans eſt: in malo *Esfalvados* dicto. Vis cordialis in Electuariis analepticis. Siti medetur. Sanctorii Inſtrumentum. Melones Aquaticae praeſtant in ſiti reſtinguenda Ananaſae. Num in Febribus exhibenda? Petroſelinum, Noribergenſium deliciae, ulceroſis fere letale. Ananaſae vis diuretica unde? quomodo temperanda. Folia diuretica in hydrope. Ab Ananaſa ὀργασμός. Vſus in Gonorrhoea. Vis alexiteria. AquaAnanaſae ſpirituoſa.

Licet apud nos, ob fructus adhuc raritatem, indeque fluentem caritatem, in officinas Pharmaceuticas uſumque medicum nondum fuerit introducta Ananaſa recens; utraque tamen

India ſurgentem ad ſolem, vergensve cadentem

virium Medicarum notitiam habet. Jam enim illis in oris, hujus remedio atque uſu

foeda malorum

Peſtiferum dat terga cohors, praenuntia leti

Victa jacet legio, debellatique dolores.

Succus Ananaſae in optimorum roborantium numero eſt, quatenus portionibus aethereis, elaſticis, ſulphureis, motus ſanguinis turbatos impeditosque, ad circulum rite peragendum revocat et invitat, ſive, ut nonnullis placet, ſpirituum e ſanguine ortum atque vigorem, promovet, inſtar Vini generoſi. Hinc in malo, *Esfalvados* dicto, quod eſt debilitas e nimio Veneris oeſtro proveniens, (de quo Dellon *Traité des maladies des Pays orientaux* chap. 8.) mira praeſtat, ideoque laudibus extollitur a Rochefortio, Piſone, Marggravio aliisque.

Eodem modo magnifice animum languidum recreare, ſpiritus ſopitos excitare, amaraque curarum (ut Vini laudes a Lyrico mutuemur) efficaciter eluere, Muntingius teſtatur. Vim ejus cordialem celebrat Rochefortius, hocque titulo in Electuariis analepticis Ananaſa in Indiis condita locum invenit; quippe ſanguinem nimia ebullitione attenuatum, adeoque in cordis thalamos majori, quam par erat, impetu irruentem, particulis dulc-acidiuſculis placat et compeſcit.

Siti intenſiſſima ardentibus propinandam Nanam ſuadet Hiſtoria Mexicana: roſcida nempe humiditate, qua glaciei inſtar in ore ſe reſolvit, linguam ſiccam et exſuccam uberrime irrigat. Carere igitur poſſunt Indi

 ele-

elegantiſſimo Inſtrumento, quod pro ſiti ſedanda a Statices illo ingenioſiſſimo Statore, Sanctorio, Comment. in I. Fen. Avic. quaeſt. 87. excogitatum eſt ac deſcriptum. Quod ſi tamen et hoc inſuper expeteretur, Ananaſae impleri ſucco ſuaderem, quo per foraminula ſenſim exſtillante, omnis ſcabrities linguae ariditasque, quae aeſtus febriles comitari ſolet, fugatur. Quamvis ad extinguendam febrilem ſitim, tanquam meliores et ſecuriores Nanis, citrullo affines Melones aquaticas Braſilienſes, vulgo *Melons d'eau*, Germ. Waſſer-Melonen dictas, ſubſtituat Bosmann. *dans la deſcript. de Guinee :* quem fructum poſt Marggravium et Piſonem, vivis quaſi coloribus exhibuerunt, Rochefort, du Tertre, Purchas aliique Hiſtoriae Indicae ſcriptores, quos pagina non capit; omnium tamen optime nuperrimus Virginiae Encomiaſtes *dans la deſcription de la Virginie.*

At circa uſum Ananaſae in febribus in diverſum tendunt Auctorum ſententiae. Hiſtoria Mexicana tanquam febrium refrigerium commendat; Piſo autem febricitantibus, vulneribus et ulceribus infeſtatis, (febres forte innuit ſymptomaticas, iſtis plerumque connexas) abſtinendum ab hoc fructu monet. Adeo enim humores accendere ait, (forte illo Hippocratico Libr. 2. de diaet. c. 33. motus, τὰ γλυκέα θερμαίνειν πέφυκε, *dulcia calefacere ſolent*,) ut non ſolum aegrorum impediat reſtitutionem, ſed et in pejus eos diſponat: quem infelicem ſucceſſum cum Celeb. Wormio, a fructibus crudis, et ad maturitatem debitam nondum evectis, acidoque adhuc corroſivo ſcatentibus, provenire reor.

Negandum certe non eſt, diuretica, (quorum claſſi hunc fructum inſerendum eſſe, latius mox probabimus,) effectum hunc, Ananaſae a Piſone adſcriptum, ſaepius in caſibus ſimilibus prodidiſſe. Sic Petroſelinum, ſive Apium hortenſe, quotidianum civium noſtrorum alimentum, quod non, ut alibi fieri conſuevit, carnibus pro grato ſapore conciliando incoquunt, ſive, ut Plinianis me expediam, *inter oblectamenta magis*, *quam cibum recipiunt;* ſed plenis buccis ingerunt, ut reliquae culinares herbae hujus reſpectu ipſis pro nautea, nullum quidem benevalentibus incommodum parit: at vulneribus et ulceribus afflictos inflammationes ex σελινοκρεοφαγία ſenſiſſe non leves, ſed eryſipelaceas, aeſtu ſubſequente febrili incredibili, recordor. Idque malum toties recruduit, quoties herbam hanc comedere repeterent, ut et ipſis ferme letalis fuerit planta, apud Romanos epulis dicata feralibus. Cauſa quaerenda eſt in particulis acribus, plantae huic inhaerentibus: unde vis diuretica πρώτως dependet, quibus ſeroſae ſunt immixtae, ut guſtu ſtatim diſcerni nequeant. Quis hic non cum philoſopho Poëta exclamat:

Nec ratio remedi communis certa dabatur :
Nam quod alis dederat vitaleis aëris auras,
Volvere in ore licere, et caeli templa tueri,
Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.

Eodem ſe modo res cum Ananaſa habet, cujus vis diuretica reliquis omnibus praepollet, Neuhofio, Piſone, Rochefortio teſtibus, qui in urinae ſuppreſſionibus pellendoque calculo Nanam, incantamenti inſtar, ſolatium afferre conten-

contendunt : quali ratione autem vim diureticam exſerat , facile colliget, ὅςις κατὰ θυμὸν ἐπιφράσσαντο νοῆσαι, ut Homeri verbis in Hymn. Apoll. utar. Cum enim fructus hi comeſti copioſam materiem aqueam , glaciei inſtar in ore diffluentem, ſuppeditent, quae ad renes poſtea propulſa , et in ureteres per carunculas papillares anguſtiſſime perforatas transcolata , in veſicam denique, veluti corporis matulam, derivatur ; nemo non videt fructum hunc merito inter diuretica reputari. Etenim ſub tenaculis ſuis mollibus, dulcibus, viſcidis, junctum habet characterem ſalinum , qui viſcidum tenaxque coagulum in renibus attenuat, liquat, abſtergit, fundit, ſerumque a ſanguine ſecernit. Sunt hae particulae ſalinae in Nanis immaturis adeo conſpicuae et acres, et calculum tanta vi protrudunt in urethram, ut, exitu ipſi denegato, vitae diſcrimen nonnullis attulerint, referente hoc Ampliſſ. Cleyero, Protomedico et Conſiliario ſupremo Judicii in Batavia Inſulae Javae majoris ſplendidiſſimo, Dec. II. Ann. IV. Obſ. V. Ephem. N. C. qui proin modum, quo tutius exhiberi queat, praeſcribit ſequentem : Sumitur integer ad maturitatem redactus fructus, inque taleolas ſectus Mariae balneo immittitur, ut ſuccus exſudet, et accedente calore , vis aliqualis cauſtica fructus in maturam dulcedinem convertatur ; qui poſtea ſuccus blandiſſimo balnei calore correctus, jucundius tutiusque remedium exiſtit.

Folia quoque diuretica non deſtituuntur facultate : haec enim in Aqua Oryzae (quae teſte Dellon *Traité des maladies des Pays orientaux* chap. 5. p. 24. Ptiſanae noſtrae vices ſupplet,) cocta et pulvere Baliari mixta, in potu aſſumta, hydropicorum ventres purgant , teſte Hort. Malab. loc. cit.

Eſt et Ananaſa remedium,

Venerem quod roborat aegram,

dum ſanguinis motum auctiorem reddit, cum dulcia plurimum ὑσιεποιῦ γλισχρῦ corpori foenerent, ſeroque ὀργασμὸν, partim et vis illa diuretica, genitalia majori cum impetu extendit, vaſaque ſpermatica turgidiora efficit. Sed plane diverſas hunc fructum in gonorrhoea vires promere, Muntingius aſſerit ; niſi gonorrhoeam benigniorem , a ſuperflua ſeminis generatione ejusque turgeſcentia ſubortam, intelligat.

Abdominis ex flatibus intumeſcentiae immaturos fructus mederi, Hortus Malabaricus loc. cit. annotavit.

Alexiteriam huic ineſſe vim , Cl. Piſo Hiſt. Nat. et Med. Libr. IV. Edit. ſec. probat , dum Ananaſae ſuccum venenis , imprimis ſucco Mandihocae , *Manipura* dicto, largius et crebrius hauſto, adverſari refert ; qui, Rochefortio ſubſcribente, porro memorat , Ananaſae radicem idem praeſtare.

Ex eodem fructu fermentationis via, ut Chymicis loqui fas eſt, humida tractato, aequaliter ſic attenuatis per motum inteſtinum particulis ſulphureis aethereisque ac ſubtiliſatis, et excuſſis viſciditatis vinculis, ſpirituoſa ardensque obtinetur aqua , in qua concentratum , quod in fructu maxime activum ; adeoque parva doſis majorem fructu effectum praebet ; ſi tamen largius ſumatur, Piſone et Rochefortio hanc cautelam ſuggerentibus , vias urinarias

 corro-

corrodit. Hinc Auctores ſuaſoresque ſunt omnibus, ne illam, niſi a prudente medico, qui acrimoniam corrigere novit, exhibitam, quis aſſumat.

CAPVT VIII.

Poma mitia. Ananaſa in conclavi matureſcit. *Nanae cacabae.* Cibi inde parandi ratio. Vino, aquae, muriae immerguntur. Crudae cum aromatibus comeduntur. Fructus horaeus eſt. Mycaleſiae Cereris fructus. Conditae in Europam afferuntur, Succus cum aqua miſtus. Vinum inde paratum. *Nanaja.*

PRaeclaras Ananaſae virtutes, et quot quantaeque in genus humanum, ſingulari DEI optimi beneficio, inde manent utilitates, vidimus. At jucunditate, qua hominis palatum demulcet, non minore pollet, utpote deliciis omnibus longe praeferenda. Expetitur autem Nana adulta maturaque. Maturitatem in pomis Virgilius per vocem *mitia*, interpres autem ejus, Servius Maurus, melius adhuc expreſſit, definiens, mitia poma eſſe, *quae non remordent, cum mordentur.* Hoc pariter in Ananaſa evenit, cujus mitis maturitatis dulcedo, non immaturae immitis cruditas deſideratur.

At vero quae vi ſolis matureſcunt, minoris fiunt apud Indos, ſecundum Piſonem, quam illae, quae in conclavi vel oporotheca aliquandiu ſuſpenſae ſunt, ad imitationem Martialis in ſuſpendendis pyris,

quae lentae pendent religata geniſtae.

Vocantur autem Nanae ad maturitatem eductae, et ſuo tempore adultae, Marggravio teſte, *Nanae cacabae*, quibus tamen, ſi deguſtandae, externa prius cutis auferenda.

Decorticatam Nanam, inque taleolas ſectam, Vino madefacere ſolent lautiores Hiſpanico; ſic enim tolli illius noxam, non fruſtra exiſtimant, modo tantum temporis in vino haereat, usque dum hoc prorſus imbiberit, ſupereturque eo modo ſucci pravitas. Impraegnatas ſic vino taleolas, cinamomo ſaccharoque inſpergunt Africani litoris auriferi incolae, teſte Bosm. in deſcript. Guineae.

Quibus vinum non ſuppetit, aquae immittunt fructus diſſecti fruſtula, ut acrimonia extrahatur, teſte Neuhofio in Itin. Indiae oriental. p. 209. Muriae quoque immitti, Hiſtoria Mexicana his verbis meminit, p. 311. *Recentia ſecantur in fruſta, ac muria permittuntur immadeſcere, ut pars in bilem apta nata converti exſiccetur, ac veluti evaneſcat.*

Nanas autem plerumque in menſis exponunt ſecundis, quarum oblectamentum et ornamentum ſunt. Crudae comeduntur, nunquam tamen ſine aromatibus nec citra vini irrorationem. Eſtur quoque cruda cum pipere.

Si diutule aſſervetur, putredini, inſtar aliorum horaeorum fructuum, obnoxia: nec enim per annum durat, ſicuti fructus Mycaleſiae Cereris in Boeotia, qui ad ſimulacri pedes expoſiti, integri vegetique per anni fere totum ſpatium perdurabant, ſi Graecorum narrationibus habenda fides. Vt a corruptione igitur conſerventur, Saccharo condiuntur in univerſum annum,

quae

quae partim aegris ſitientibus magnifice auxiliantur, partim, ut Plinii verbis rem eloquar, *condiendis cibis miram conciliant ſuavitatem.* Atque hos conditos, omnium ex Indiis allatorum fructuum delicatiſſimos pronuntiant Rochefortius, Acoſta, Neuhofius, Muntingius aliique, eosque Lutetiae Pariſiorum venales ſemper proſtare, Pometus teſtatur.

Fructus per longum diſſectos, via ſicca cum teneris foliolis condiunt, et poſtea ſecundum artem iterum conjungunt, glacieque incruſtant ſaccharina, ut hoc ipſo figura fructus foliorumque integra conſervetur, et Rochefortio ſcribente: *Fait voir en ces heureuſes contrées, non obſtant les chaleurs de la zone torride, une douce image de triſte productions de l'hyver.* i. e. *In felicibus hiſce regionibus,* (de Antillarum Inſulis loquitur,) *non obſtante zonae torridae aeſtu, dulcis funeſtorum hyemis effectuum imago exhibetur.*

Amplius ſuccus Nanae exprimitur et pluviali fontanaeque aquae, hydromelis inſtar, commiſcetur, teſte Marggravio.

Nanajam, Vinum ex Ananaſis paratum, nominant, eodem Marggravio annotante, quod Malvaſino comparant Rochefortius et Pometus, generoſiusque cunctis aliis Vinis pronuntiant. Nanaja haec tribus ſeptimanis ſepoſita, in fermentationem abit, corruptioni proximam. Quod ſi quis totidem adhuc expectet hebdomadas, in integrum reſtituitur hocce vinum, generoſius longe priori evadit, voluptatumque lenocinium exiſtit, ſi modice quis eo utatur mediceque. Spiritus etenim recreat animales, languenti opitulatur cordi, ſtomachique medetur nauſeae; urinae ſuppreſſiones tollit, omnibus malis averruncandis, quibus et fructus, inſervit, de quibus jam pluribus actum eſt.

CAPVT IX.

Fructus immaturi exitiales; maturus an ferrum arrodat? Foetum abigit. Slyptonge. Bilem auget, ut dulcia omnia. Anginam efficit et inflammationes, haemoptyſin, ventris tormina. Luxuria Indorum immoderata.

CVm *nil proſit, quod non laedere poſſit idem:* Ananaſae quoque, aut intempeſtivus aut intemperatus Vſus plus Aloës quam mellis habet.

Intempeſtive comeduntur immaturae, quas ſumme exitiabiles funeſtasque pronuntiant Indicarum rerum ſcriptores. Quod ſi, ex Acoſtae et Linſchotani fide, cultellus maturae inſertus Ananaſae, per aliquod temporis ſpatium, quoad partem vulneri inhaerentem fere conſumatur: (hinc Dureto fructus ferrum comedens, *Fruit qui mange le Fer:*) quid de immatura expectandum? et quae turbae ex ejus eſu metuendae? Diſſimulandum vero hic non eſt, cultri Ananaſae infixi eroſionem erroris redargui a Cl. Bosmanno in deſcriptione. Guineae Epiſt. 7. p. 316. et Terentio Not. in Hiſt. Mexican. qui hoc merito fabulis accenſeri anilibus, contendunt: cultrum enim, non per horae dimidium, ſed per dimidium anni, huic fructui infixum non corrodi, licet acies ejus obtundatur, quod ab omnibus acidis, malis citriis, aurantiis, limonibus aliisque fieri ſolet.

 Intem-

Intempeſtive etiam hunc fructum praegnantes ſumunt, ob nimiam aquas et calculum pellendi vim: quid mirum igitur, ſi utero gerentibus exhibitae, et ab illis comeſtae, foetus abigant, inſtar fructus *Caraguatae-acangae*, quae non ſecus atque Ananaſae immaturae, acidulo ſapore dentium ſtuporem non tantum inducit, ſed et linguam atque fauces ſauciat, palatumque excoriat, ut non immerito *Slyptonge* a nautica pube nominetur.

Hujus facultatis non ignarae meretrices Indicae, ut viris tuto ſe proſtituant, ſceleratum infanticidium eſu Ananaſae immaturae et Caraguatae exercere memorat Piſo Hiſtor. natur. Braſil. Libr. IV. cap. 82. p. 111.

Blioſis hunc fructum minime conducere, Hiſtoria Mexicana annotavit, cum balſamicum bilis liquorem nimium quantum adaugeat; quod ab omnibus dulcibus fieri vulgo creditur. Et ex effato Hippocratico Libr. 3. de Morb. c. 29. t. 10. οὐ γὰρ τὰ γλυκέα πᾶσι ξυμφέρει. Venuſinus vates inſuper rationem et cauſas ſuppeditat Lib. 2. Serm. ſat. 2.

Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
lenta feret pituita;

quatenus nempe particulis viſcidioribus glutinoſis facile obſtructiones pariunt, bilemque adaugent.

Quos dirae febris aeſtus excruciat, fauceſque jam paululum eroſae, illis Nanae

inflammat liquor fervore furenti

gulam, letaleſque inducit anginas, Neuhofio teſte. Alias inſuper produci hujus uſu inflammationes, velut Duriones Malacenſes, teſtis eſt Acoſta p. 285. qui de Durionibus plurima habet Hiſtor. Aromat. p. 231.

Pulmones labe jam aliquali infectos, ulterius erodit, atque haemoptyſin efficit, ut queritur Bosm. deſcript. Guin. p. 316.

Qui in ventris tormina proni, Ananaſis abſtineant: haec enim excitant,

ventrisque fluore fatigant.

Hinc Cl. Bontius Hiſtor. natural. et Med. Ind. orient. Libr. VI. cap. 50. p. 145. de Ananaſa canit:

Qui legitis cinaras, atque Indica dulcia fraga,
Ne nimis haec comedas, fugite hinc, latet anguis in herba.
Ne tibi letifero ſaper impleat ilia ſucco.

Quod ſi nonnulli luxuria immoderatiſſima allecti, fructui huic inhient, plures quippe in India

vix vivere poſſunt
His ſine, tanta illis eſt gratia, tanta voluptas:

illas quoque luent poenas, quas

tot pabula luxus
et recte gladio plures occidere dictae
ſcitamenta gulae

corpori humano intemperato uſu accerſere ſolent.

Sic Ananaſae optimae, intempeſtive et intemperate ſumptae nocent, ut cum Plinio tardum dictu, pluribus proſint, an noceant; neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus pernicioſius.

CAPVT

CAPVT X.

Ananaſa animalibus, volucribus, inſectis, grata. *Guinambi* Avicula minima cur *Tomineo* dicta. Ejus roſtellum. Lingua. *Colybri* illius ſpecies. Caput, pedes, alae, volatus velociſſimus. Anglis *Hummingbird*, Germanis Blumen-Specht / Sinenſibus *Tunchonſung* unde dicantur? Plumarum venuſtas, unde varia nomina. Ex his Icones pingunt, inaures faciunt. Bene olent. Paſſer moſchitus. Niduli, ova: utraque in Muſeis viſuntur. Num ex Erucis generentur? an hyeme moriantur? Renatae. Captae vix per diem vivunt. Cantus ut paſſerum, non luſciniae. *Hoitzitzlin.* Vſus Medicus. Hoſtis *Nhamdu Guacu*, a quo dentiſcalpia, deſcribitur. Hoſtis Ananaſae, Inſectum *Kakkerlakke*, quale; a Meriana depictum. Neuhofii circa hoc Inſectum obſervatio.

ANtequam coronidem huic opuſculo imponamus, paucis juvat annectere, non homines tantum allici delitioſiſſimarum Plantarum praecipua hac Ananaſa; ſed et animalia, v. g. ſimias, Kirchero in Chin. illuſtrata teſte, volucres et inſecta, quorum catalogum recenſere longum nimis foret. Seligimus ante omnia verum naturae miraculum, eo quod prae caeteris fructus hujus mellea in floribus latitante dulcedine delectetur, ac e Nanae bravae ſive ſylveſtris, Pita dictae, filamentis exteriora nidi componat.

Avicula eſt e minimis quidem, magnum tamen ſtupendumque DEI, ludere geſtientis in rebus productis, opificium, ut vere dixerit Plinius, naturam nunquam magis, quam in minimis totam eſſe. Pro varietate gentium, ſpecierum, (quippe novem deſcribit Marggravius) et qualitatum, varia quoque ſortitur nomina, e quibus *Guinambi* vel *Guainumbi* generale credit Piſo Hiſtor. Braſil. Lib. V. p. 319. Edit. 1658.

Magnitudo molesque itidem varia ſecundum diverſas ſpecies, cum aliquae cicadae, crabronis vel bombylii, aut muſcae majoris (hinc Illuſtr. Dionyſio in Hiſtor. natural. Americ. Septentr. c. X. p. 152. *mouche* dictae,) vix excedant. Mirum ergo non eſt, ſi tantae levitatis, ut unum duntaxat Tomino Hiſpanicum, ſive XII. grana pendat, unde quoque nomen *Tominejo* fluxit, quo aviculam hanc Joſeph a Coſta Hiſtor. natur. et moral. Ind. occid. L. 4. c. 37. et Nieremberg. Hiſt. Natur. Libr. X. c. 88. p. 239. deſignant. Minima harum ſpecies in Aruba dominii Belgicae Coloniae, in Curaçao Inſula commorantis, repertu dari, Rochefortius teſtis eſt. Neque minor in capite pro ſpecierum diverſitate varietas, utplurimum cum pennis ceraſi dulcis mediocris magnitudinem vix aequat. Roſtellum ſubrotundum, aequale, tenue, et valde acuminatum, rectum, paululum tamen verſus extremitatem deorſum vergens. Color hujus niger, excepta inferiore parte prope exortum, ubi rufeſcit. Linguam habet duplicatam ſive biſectam tenuiſſimam, in nonnullis inſtar acus, qua veſtes ſarciuntur, ſecundum Oviedum; in aliis inſtar ſutorii fili cerei, (*as a Schoomakers waxed Thread*) ſecundum Nehem. Grevv in Muſ. Reg. p. 61. in aliis denique inſtar ſerici fili tenuiſſimi, ſecundum Piſonem et Marggravium. Hanc extra roſtellum longe exſerunt, ut florum melleum rorem extrahant et lambant.

Ex avicularum harum numero quandam *Colybri* dictam, Rochefortius in Antill. Hiſtor. natural. et moral. cap. XV. Art. XVII. p. m. 176. et poſt illum Richard Blome dans l'Amerique Angloiſe dans la deſcription de l'Isle de St. Chriſtofle, deſcribunt, quod plumeam in ſummitate capitis coronam gerat, quam in criſtam pro lubitu erigere valet, eamque ſolis illuſtratam radiis, pretioſiſſimis lapidibus diſtinctam et coruſcantem e Rochefortii mente quis judicet; qui inſuper oculos parvulos, par Adamantum chalybi politiſſimo caeruleſcenti infixum, adaequare credit.

Crura et pedes aviculae huic minimi brevesque, cum Ebeni ligni nigredine certantes; in pedibus quatuor digiti, tres anterius, unum poſterius verſus longis ſemilunaribus, acutiſſimisque unguiculis praediti. Alarum „ remigium optime a Marggravio ſequentibus deſcriptum: Alarum pen„ nae ſingulari arte a natura ſunt compoſitae. Ab exortu enim alarum „ ad tres quartas partes digiti circiter duplex ordo pennarum eſt, unus lon„ gior altero, et ſuperpoſitae ſunt ibi invicem pennae, quaſi alae breves ſu„ per longas; hinc poſt has pennas alae pennae (quarum circiter decem „ ſunt) ſequens interior ſemper longior fit antecedente exteriore, ita ut inti„ ma ſit omnium longiſſima finem alae definiens.

Ex hac alarum ſtructura volantes velociter alas movent, et tanta quidem pernicitate, ut, ſecundum Illuſtr. Rajum in Willugbejano de Avibus opere, viſu percipi motus minime poſſit, avicula vero alis potius carere videatur. Inter volandum ſtrepitum quendam edunt, ſic ſentiente Marggravio inſtar Bruchi, ſeu rectius *Hur*, *hur*, *hur*, inſtar rotae linteariorum, quae circumvolvitur, vel ſecundum Excell. Rajum inſtar apiculae; ut qui praetervolantes viderit, apiculas, vel crabrones potius, quam aves eſſe exiſtimet. Inde Anglis *Hummingbird* dicitur, quippe *the Humming of bees*, bombiſationem, ſive bombum et ſonitum apicularum denotat.

Librant ſe quoque alarum ope per ſat longum temporis ſpatium in aëre velut quietae, transparentibus pennis alarum expanſarum, adeoque flores, quorum ſucco, rore et melle victitant, roſis tantummodo exceptis, roſtellis ſuis inter volandum carpunt, floribus minime inſidentes. A victu hoc, e florum rore parato, Belgis Germanisque Blumen-Specht audiunt. Hinc fabula quoque fluxit, apud Sinenſes in Provincia Suchven hoc elegantiſſimorum volucrum genus e flore *Tunchon* naſci, quae proinde *Tunchonſung* Sinice appelletur, tanta velocitate a natura dotata, ut alarum remigio aërem tranans, florem expanſis foliis pulchre exprimat. Vid. Kircher. Chin. illuſtrat. P. IV. c. VIII. p. 192. ſqq.

Plumarum, caput, collum ſuperius et ad latera, dorſum totum, et alarum initium inveſtientium, tanta eſt varietas, tanta venuſtas, tantus ſplendor, ut calamo exprimi haud queat. Hinc ipſi nomen *Ouriſſiae* ſive radii ſolis, *Guarigcoba*, capillorum ſolis *Guaracaiba* radiorum apud Americanos fluxit, cum

mille trahant varios adverſo ſole colores.

Expediam me ab abſolutiſſimi, quo gaudet avicula, pennarum ac plumularum veſtitus deſcriptione, verbis diſertiſſimi Patris Joh. Biſſelii e Soc. Jeſ.

in

in Argonautico Americano, ſive Hiſtoria periculorum Petri de Victoria ac ſociorum ejus, Libr. XIV. p. 428. *Pennularum nidor*, ſcribit, *verſicolor lucet, ſic ut ſmaragdinum virorem ſplendor ſapphirinus, purpuram vero luteus auri fulgor provocet. Denique quicquid oculus trahit colorum, id omne ſupra Pavonum et Iridis, Admirationis filiae a veteribus dictae, varietatem, in illo volucris breviario natura miſcet, miſtumque denuo ſecernit, haud ineleganti compoſitae venuſtatis diſcordia. Pictorum tormentum invidiamque dixeris, aut profecto manus Apelleae ſolers compendium.* Graphice certe haec Biſſelius.

Hinc eſt, quod a Phrygionibus, teſte Gomara in Hiſtoria, quam de Mexicanae Vrbis expugnatione ſcripſit, admodum expetantur plumulae hae verſicolores, ut aureis intertexant ſtaminibus. Imo Laëtius Not. in Marggravii Hiſt. Braſil. teſtatur, ſe vidiſſe plures Icones, artificioſiſſime ex hujus aviculae plumis concinnatas, ut colore pictae viderentur: ſi enim ſoli obvertas, mirabiliter ſplendent. Cui aſſentit Illuſtriſſ. Willugby, qui apud harum rerum curioſos plures ſe deprehendiſſe ſcribit.

Rochefortius inſuper annotavit, licet mors aviculae plurimum plumularum venuſtati detrahat; a foeminis tamen loco inaurium geſtari eas, cum pretioſiſſimis certantes.

Nec viſus tantum, ſed et odoris illecebras illam provocare, autumat modo laudatus Rochefortius, quippe quae Ambram moſchumque redolere ſoleat, indeque forte ab Oviedo ſummar. c. 48. *Paſſer moſchitus* dicatur.

Nidulum pro corporis exilitate minutum, poſt Piſonem, Dionyſium, et Neuhofium, nemo eodem Antillarum ſcriptore accuratius prodidit. Goſſypini vel aurantii arboris ramuſculis agglutinatum, tam apte, tam concinne ſub foliis abſcondit, ut ab aëris aliisve injuriis immunis ſit. Architectonices quaſi peritiſſima nunquam Auſtro et Boreae, creberrime in regione illius patria flantibus, exponit. Externa domunculae pars e tenuiſſimis Ananaſae, Pitae dictae, fibris filamentisque contexta eſt. Has tam affabre, tam arcte et concinne roſtello nectere, ramoque curvo pro ſexus propagatione implicare novit, ut intuentes laborem ſtupeant ac admirentur; et Dn. Edoard Graeves *dans la Relation de tous l'Etats et Pays des Apalachites*, in haec erumpat verba: *le Colybri fait un nid, d'un ſi merveilleus artifice, qu' il eſt a craindre, que l'Arabie heureuſe n'oublie deſormais celuy de ſon Phoenix, pour celebrer celuy la.* i. e. *Tam mirandi artificii nidum componit, ut metuendum, Arabiam felicem impoſterum nidi phoenicis oblivisci, quo hunc celebrare queat.* Contextam ſic externe, et corticellis tenuiſſimis, herbuliſque firmatam, aediculam xyli floccis plumuliſque, ſericum ipſum ſuperantibus, implet. Nidulis ita paratis foemellae ovula albiſſima, utplurimum duo, ſecundum Piſonem piſa minora, ſecundum Rochefortium vero majores margaritas aequantia, imponunt. Niduli hi artificioſiſſime fabricati, pro Muſeis cum arefactis aviculis ovuliſque expetuntur, quorum plurima Dn. de Montel ex Indiis Europae intuliſſe, Rochefortius teſtatur. Sic Hiſtoriae naturalis exoticorumque rariſſimorum interpres ſolertiſſimus, Excell. Ruyſchius in Theſaur. Animal. Tom. I. p. 6. nidulum Americanae Ouriſſiae cum ovulis et avicula etiam exhi-

exhibet. Miror, virum in Hiſtoria naturali perſpicaciſſimum, Piſonem, errore haud condonando ſecundam Hiſtoriae Braſilienſis Editionem, circa hanc avicularum geneſin inquinaſſe. Poſtquam enim de nido ovisque a foemella illic pro pullorum excluſione verba fecit, ad generationem, aequivocam in ſcholis olim dictam, dilabitur, et aviculas has ex Erucis Braſilienſibus (*Lagartas dos Vergas* Luſitanis dictis) transmutari credit. Adſcribam ipſiſſima Piſonis Hiſtor. natural. et Medic. L. V. cap. XXI. p. 319. verba, fictam hanc avicularum metamorphoſin exprimentia, ne quis injuriam me feciſſe viro alias ſolertiſſimo credat. *Cum enarratae Erucae*, ſcribit, *in has aviculas incipiunt transmutari, elegantiſſimae plumae cum alis primo apparent, ita ut tunc manifeſte conſpici detur forma erucae, quoad corporis partem inferiorem jam in aviculam transmutatae. Idem de Papilionibus dictum volo, qui ſubinde in easdem aviculas eodemque convertuntur modo; atque durante illa converſione naſcentis avis et denaſcentis inſecti utriusque medietas eodem tempore liquido apparet.* At mi Piſo: Εὖ δὲ ταῦτ' ἀνεμώλια βάζεις. Producit equidem hujus metamorphoſeos teſtes, Theologum Luſitanum monachosque nonnullos, aequivocae generationis, jam a ſanioribus philoſophis exploſae, forte patronos: cum tamen univocam generationem per ovula jam ipſe deſcripſerit Piſo, cur illorum narrationibus tam temere fidem habuerit, non video.

Ejusdem farinae commentum eſſe videtur, quod hyeme hae aviculae moriantur, ſeu potius obdormiſcant, pedibus nempe e ramo aliquo appenſis aprico loco, ſecundum Fr. Lopez, vel roſtellis pinuum aliarumve arborum truncis affixis ſecundum Hernandez et Nard. Ant. Recchum; vere vero reviviſcant, ſeu expergiſcantur, unde et *Renatae* Antillarum Inſulis vocantur. Tamdiu ſcilicet ſuperſtites eſſe ajunt, quamdiu melligerarum herbarum fructuumque, ut Ananaſae noſtrae, flores, e quibus aluntur, perdurent: quibus decidentibus integro ſemeſtri ſpatio obtorpeſcant, immotaeque maneant, donec flores denuo renaſcantur. *Nec nugae ſunt*, inquit Hernandez, *aut cuiquam debet eſſe dubium: obſervata quippe eſt non ſemel avicula ſtipiti intra cubiculum affixa, et cum ſex menſes exanimis pependiſſet, quo tempore ſibi a natura comparatum eſt, revixit, et demiſſa in vicinos agros avolavit.*

Αὐτὰρ ὄπισθεν
Οὐκ ἀναχωρήσω, μάλ' ἀληθείῃσι πεποιθώς.

Credat qui velit, ego non ſum credulus illis; ut cum Excell. Rajo in opere Willugbejano de Avibus loquar et ſentiam: ſcribit enim vir in Hiſtoria naturali accuratiſſimus, τὸ τῆς φύσεως θαῦμα, Marggravius, eas magno numero in ſylvis inveniri per totum annum. Rochefortius quoque, fidus naturae interpres, fabulis accenſendum putat, *mais nous n'avons garde de meler ce conte, a la veritable l'Hiſtoire de notre Colybri. Sed abſtinuimus hanc fabuloſam narrationem verae aviculae noſtrae, Colybri dictae, immiſcere hiſtoriae.* Illuſtriſſ. Dionyſius ejus educationi et conſervationi omnem impendit operam, vano tamen conamine, cum aviculae captae vix diem ſupervivant: id quod in Hiſtor. Natur. Americ. ſeptentr. c. X. p. 152. teſtatur.

De

De cantu earum dubius Rochefortius, cicadarum ſuſurrum aemulari putat, ſibique conſentientes habet Marggravium et Piſonem, qui aviculas has magnum ſtrepitum excitare ſentiunt, non quidem canendo, ut nonnulli prodiderunt, ſed paſſerum more ſibilando *ſcrep*, *ſcrep*, *ſcrep*. Quem igitur ſublimem et ſuavem, luſciniae non cedentem, cantum aviculae huic cum Lerio et Theveto affingunt, non Guinambi eſt, ſed Gonambuchae, avicularum harum forte ſpeciei, quae nivei candoris plumis alisque lucet, nulla colorum caeterorum tinctura. Maizii ſive cujuscunque frumenti, caulisque " paulo celſioris, (uti Ananaſae quoque noſtrae) cacumina diligit. Eam " ſedem et quietem affectat occupatque, nec inglorio tamen otio, ſegnive " deſidia. Cantillat enim perpetuo vocis ac ſpiritus fluxu. Quodque prae- " cipue ſtupeas, cum corpuſculi menſura veſpam tabanumve ſylveſtrem non " excedat: carminis tamen volubilem ſubtilitatem cum ſonitus altitudine, pe- " netranteque claritate, ſic conjungit, ut Gonambucham te videre, ſed lu- " ſciniam audire putes. Haec Billelius Soc. Jeſ. Pater eloquentiſſimus, loc. ſupr. citat.

Saepius laudatus Nard. Anton. Recchus, qui ſub nomine *Hoitzitzlin* aviculas noſtras deſcripſit, ejus pulverem ſeu potius cinerem epilepſiae mederi tradidit. De Guinambi illud porro addo, naturae hoc prodigium in gulae oblectamentum a guloſo appeti Apicio. Sacrificulos enim Surinamenſes his aviculis in cibis delectari, teſtatur civis olim noſtra, celeberrimi Pictoris et Calcographi Graefii marita, nata Meriana, in ſplendido Metamorphoſeos Inſectorum Surinamenſium opere.

Annotavit praeterea haec foeminarum curioſiſſima, aviculas has vernacula lingua *Colybritgens* (quippe diminutivum a colybri) infenſiſſimos experiri hoſtes, in Braſilienſium Aranearum maximo genere, *Nhamdu Guacu* dicto, a Marggravio Hiſt. Braſil. Libr. VII. de Inſect. cap. 3. p. 248. et Richard Blome dans l'Amerique Angloiſe p. 69. 70. deſcripto. Totum Aranei hujus, ſeu potius phalangii maximi, corpus tres et ſemis digitos longum eſt et biſectum. Anterior pars major eſt, et pene duos digitos longa, ſesquidigitum lata, ſubrotunda et compreſſa; poſterior magis orbicularis, nucis moſchatae majoris magnitudine et figura, ſesquidigitum longa. In dorſo medio verſus poſteriora foramen habet umbilicale. Capite caret ſpeciali, ſed ſupra os in anteriori parte corporis ocellos habet minimos, ſplendentes, inſtar punctulorum. Ordinem oculorum aranei hujus exhibet Cl. Blancardus in de Schovvbourg der Rupſen, Wormen, Maden en vliegende Dierkens cap. XXXIII. Ad utrumque oris latus habet prominentiam unguiformem, ſemilunarem, ſemidigitum longam, in extremitate dentatam, dente ſemilunari nigerrimo ſplendente, ſemidigitum longo, quibus pro dentiſcalpiis utuntur auro incluſis: hinc in Muſeo Regio Anglico, ab Excell. Grevv edito, reperitur *the Thooth of the Nhamdu Guacu or Bahama-ſpider*. Crura habet decem, utrinque quinque, et praeter duplicem articulationem, qua corpori junguntur, quatuor internodia: omnia autem crura in extremitate duo habent exilia cornicula, nigra et biſecta inſtar cancri. Prope anum ſunt bini proceſſus ſemidigitum longi, juxta ſe poſiti, fili craſſioris craſſitie, quibus

nere ſolet totus araneus. Veſtitur cute piloſa,brevibus pilis nigris ad viſum tactumque inſtar holoſerici. Sed in hujus deſcriptione, parciori mihi eſſe licet,cum paſſim in Muſeis aranei hi Surinamenſes, inque Volkameriano quoque Gazophylacio conſpiciantur. Illud tamen moneri non ab re erit, innocentiſſimae Colybriculae inſidiari,non tantum dum in nidulo ovis incubat, Nhamdu-Guacu, ſed et illam, ceu figura exhibet, ungulis arreptam jugulare.

Guinambi addimus Ananaſae hoſtem Inſectum Indicum, quod inter Metamorphoſes Inſectorum Surinamenſium Merianae,pictoriae artis peritiſſimae, hincque veterum Ariſtaretes, Timaretes, Glyceras, Helenasque, (ſed quanta haec apud antiquos nomina?) longe ſuperantis,depingitur. Cl. Svvammerdammius in Hiſtor. Inſectorum generali p.84. Edit.Hennin. hoc Scarabaeis aemulum eſſe vult, et inter Inſecta quae ad ſecundum Mutationis naturalis ordinem, cui Nymphae-Vermiculo nomen fecit, refert.

Vocatur Belgis *Kakkerlakkie*, detorto, ut Nobiliſſ. Neuhofius opinatur, a Luſitanico *Kakkalakkas* nomine. Impoſitum ideo huic Inſecto, quod ovula copioſiſſima,et aranearum more excluſa et coacervata, colore Gummi Laccam aemulentur. Ex his ovulis ad maturitatem redactis, animalcula ſibi exitum parant, formicularum magnitudinis hinc inde ſtatim celerrime poſt excluſionem diſcurrentia, et per intimas rimulas arcarum, ciſtarum, ſcriniorum loculorumque et ſerarum aperturas aditum quaerentia; dumque indies corporis mole augentur, eam tandem aſſequantur molem, quam ſcita Meriana expreſſit. Coloris hoc inſectum eſt bruni, flaveſcentibus lineolis interſectum, caput antennis longioribus inſtructum, cum ad juſtam magnitudinem pervenit, illius dorſum rumpit, avolatque Nympha,relictis integris Inſecti exuviis. Vix nocentius in Indicis plagis animalculum, cum alimentis omnibus, aliisque e linteis, lanis ſericisque confectis rebus, operoſiſſime licet reconditis, exitio ſit, dum illos diſcindit, et arrodit. Neuhofius hoc de illis peculiare annotat, quod in navibus etiam noviter fabricatis naſcantur, et quidem tum maxime, cum ſub linea verſantur, ubi pediculis pereuntibus haec propullulat peſtis. Patriam vero reſalutantibus navibus, et linea praetervecta, pediculi iterum his inſectis ſuccedunt. Dulcibus imprimis inhiant, ideoque infenſiſſimi Ananaſae noſtrae hoſtes, fructus ut tandem finem imponam,

- - - quo vix major in ullo
Nobilitas apparet, odos generoſior exit
Ambroſiusque ſapor, perfundens ora liqueſcit
et rubet aſperſo leniter color aureus oſtro.
- - - - - Caro turgida nectare multo
Eſtur potaturque ſimul. Properate fugaci
Maturaeque dapi, quid parcitis?

Mo. Bot. Garden.
1893

LEONHARD DAVID HERMANNS,

PFARRERS IN MASSEL, OELS - BERNSTAEDTISCHEN FÜRSTENTHUMS,

WIE AUCH

DER KOENIGLICHEN PREUSISCHEN SOCIETÆT DER WISSENSCHAFFTEN

MIT - GLIEDES

ZUFÄLLIGE GEDANCKEN

ÜBER

Tit.

HERRN

D. FRANC. ERNEST. BRÜCKMANNS,

MEDIC. PRACTIC. IN WOLFFENBÜTTEL &c.

OCYMASTRUM FLORE VIRIDI PLENO

WELCHEN

EINIGE MASSLISCHE OBSERVATIONES EX REGNO VEGETABILI

UND

ANIMALI

BEYGEFÜGET WORDEN.

MASSEL, MDCC XXXIII.

TIt. Hr. *D. Franc. Ern. Brückmann*, Med. Pract. Wolfenb. wie auch der Königl. Preuſiſchen Societæt der Wiſſenſchafften hochberühmtes Mittglied, hat A. 1732. eine Obſervationem botanicam de Ocymaſtro flore viridi pleno cum fig. in Druck gegeben, welches Ocymaſtrum oder Walcken-Kraut, in dem hochberühmten Wolffenbüttel-Saltzthaliſchen Luſtgarten gewöhnlicher Weiſe Purpur-Farben, dieſes 1732. Iahr aber grüne geblühet hat. Gedencket auch, wie eben dieſes Iahr dergleichen Gewächſe einfach grün-blühende von jemanden anders ſoll ſeyn geſehen worden. Sonſten aber auch Er ſelbſt andre Bluhmen, als Primulam veris, und die Violam matronalem in obgedachten Luſtgarten grün-blühende geſehen hat. Proponiret dieſe Obſervation denen Naturæ curioſis in ihre Inquiſition, Cum externæ plerumque cauſæ lateant, An forſan æſtas præter modum humida, ante ſufficientem humorum in Tubulis & venis plantæ coctionem, immaturos crudos virides pro foliis alias deſtinatos, humores juſto citius in florum petala protruſerit. Dieſes geſtochene und illuminirte Ocymaſtrum flore viridi pleno und die darüber elaborirte Obſervation hat mich ſehr vergnüget und beweget meine Gedancken davon zu entwerffen, welche aber, da ich meine Schwachheit gerne erkenne, bitte den geneigten Leſer zu pardoniren. Ich glaube und bin überzeuget, daſs dergleichen Dinge in Regno vegetabili öffters mögen fürgehen, wenn wir beſſer Acht drauf haben wolten; Unterdeſſen iſt die Obſervation gar löblich, und an ſich ſelbſt eine ſolche metamorphoſis angenehm. Unterſtehe mich anbey, dem geneigten Leſer eine Anzahl der Naturalien, welche mir zu Geſichte gekommen, und ich ſie in meinen Händen habe, gütigen Anſehens und Obſervation zu communiciren, mit dieſer Bibliſchen Beyſchrifft Davids: *Groſs ſind die Wercke des Herrn, und wer ihr achtet, hat eitel Luſt daran.*

Des *Herrn D. Brückmanns* unermüdeter Fleiſs, iſt wie in andern bisher gezeigten u. inquirirten Phiſicalibus, alſo auch hier in der Botaniſchen Obſervation de Ocymaſtro billig zu rühmen. Wir können zwar nicht bald von denen Dingen, die GOtt und die Natur thut, ihre Rationes phyſicas apodictice anzeigen, warum z. E. ein Gewächſe, daſs ſonſt ſeine Proprietæt im Gewächſe ſelbſt, in den Blättern in der Blüthe und derer Couleur, ja in der Frucht ordnair obſerviret, zuweilen wunderbarlicher Weiſe changiret? Doch wenn der Fleiſs die Natur eine Zeit lang inquiriret, ja der Natur durch Kunſt geholffen wird, kommt man durch lange Erfahrung zu einer ſolchen Cogniſance, daſs man doch näher ad cauſam proximam gelanget, und nicht allemahl als bey einer Occultam qualitatem acquieſciren darff. Dieſes mercket *unſer Curieuſe Botanicus* gar wohl, denn da Er das Ocymaſtrum ſiehet, und höret, bald hohl, bald gefüllet, bald weiſs, bald roth und grüne blühen, iſt Er nicht mehr als billig occupiret, dieſer Veränderung an der Couleur gründlich nachzuſinnen, einige Rationes phyſicas beyzufügen, und von erfahrnen Phyſicis nähre Umſtände einzuhohlen. Ich bin der Geringſte unter denen Naturæ Cultoribus, und der gewürdiget worden, obgedachte Obſervationem Botanicam de Ocymaſtro flore viridi pleno *von Tit. des Hrn. Autoris* gütigen Händen zu empfangen, will mich aber nicht übereilen, andern etwas zu præjudiciren, die in hoc ſcibili eine vollkommene Experientz haben, ſondern derer Urtheil lieber erwarten.

Nur etwas beyzuſetzen, was ich dabey obſerviret habe. So beſchreibet mir der alte Pfältziſche Botanicus Tabernæmontanus Lib. II. c. III. p. 679. fig. I. & II. edit. Baſel. 1664. dieſes Gewächſe alſo: Ocymaſtrum oder Wiederſtoſs, Walcken-Kraut iſt eine Art wie Bölſen-Kraut oder Margen-Röſel mit einem weiten Bauche, engen Halſe (wie Krügel oben Zinchichſt gebildet, der Stengel eine Elle hoch, die Blumen weiſs (auch roth Priſilchen, der Saame ſchwartz wie Curiander. Fig. III. Ocymaſtrum multiflorum der gefüllte Wiederſtoſs iſt dem vorigen Gewächſe gleich, nur gröſſer und ſtärcker am Stengel, Blumen und Hulſen. Diele hat man weiſs, Roſinfarb, neben einer *andern Art*, welche grüne Blüthen bringet, und offtmahls zwo Bluhmen auseinander wachſende hat. loc. cit. p. m. 679. NB. Waſs das vor eine andre Art ſeyn ſoll, wäre gut, eine nähere Erklährung drüber zu haben, ſo würde man hören, ob dieſes Gewächſe beſtändig, oder nur zufälliger Weiſe grüne Blüthen bringe.

Hernach iſt bekandt, daſs es Blumen hat, die an Couleur wunderlich untereinander changiren, als die Nelcken, Primula veris, Viola matronalis. Amaranthus Tricolor, der an Blättern roth, grün und gelbe ſpielet, und die Regenbogen Farbe præſentiret, Viola Peruviana, Balſamina, Tulipanen, Levcojum, Holländiſcher Moſu &c. Unter dieſen præſentiret ſich auch zuweilen die grüne Couleur, wie Tabern. Mont. loc. cit. fig. VI. VII. pag. m. 101. eine Primulam veris grüner Couleur anführet. Und wie lange iſts, daſs grüne Tulipanen oder die Roth und Grüne meliren, in unſern Landen ſind bekandt worden, und ih-

re Urſache haben werden. Ich habe auch ehemahls grün unter einander ſpielende rothe Roſen, auch grün geranderte Negeln gehabet, und niemand weiſs, cauſam naturalem zu geben.

Endlich hab ich meine Gedancken über der Gärtnerey, die durch Kunſt und Wiſſenſchafft den Blumen allerhand Farben geben kan. Wer viel davon leſen will, der leſe des berühmten Hr. Abts von Vallemont Merckwürdigkeiten der Natur und der Kunſt in Zeugung, Fortpflantzung und Vermehrung der Gewächſe Cap. XI. Von Kunſt-Stücken, die Pflantzen, Blumen und Früchte gröſſer und ſchöner zu machen, in ſpecie §. XVIII. XXV. Wie man den Blumen allerhand Farben geben kan. pag. m. 282. 297. 307. conf. den Curieuſen Künſtler P. II. lib. III. vom Baum-Blumen-und Küchen-Garten n. 16. p. m. 280. Von Blumen, denen ſchöne Farben zu geben. n. XI. XXI. p. m. 282. Schöne grüne Roſen zu machen. Theodorus Phythologus im Garten-Buche von Farben-Verändrung der Bluhmen. Cap. IV. p. 113. 355. In ſpecie ein Blumen-Buchel R. P. Thimothei von Roll Capuciner-Ordens gedrucket A. 1669. zu Conſtanz in Drodez. Dieſes hat am Ende p. 167. einige Arcana oder Geheimniſſe von den Blumen wie man ihnen unterſchiedene Farben geben ſoll, und zwar in Lateiniſcher Sprache, die von Liebhabers ſollen approbiret gefunden worden ſeyn. Ob man nun wohl der Natur durch Kunſt helffen, oder wie viel man helffen könne? daſs uberlaſſe ich andern zu probiren. Das Wichtigſte hier iſt zu unterſuchen. Ob die Erde, oder die Mineræ Terræ worinn die Blume ſtehet, dieſer ihrer Wurtzel etwas participiret? Oder aus der Witterung, Lufft, Wärme oder Kälte, Feuchtigkeit, oder Trockenheit, Regen, Thau, oder Nebel einige Einfluſſe geſchehen? -- Daſs dieſes Ocymaſtrum da es ſonſt roth gebluhet, nun einen errorem Naturæ erlitten und grüne bliihen müſſen. Einen kleinen Anlaſs giebet die Herbſt-Zeit, da ſich Blumen und inſonderheit die Blätter der Bäume die ſonſt grüne ſind, gelbe, roth, braun und ſonſt meliret werden. Ich gebe nach meinem wenigem Verſtande dem Hrn. Autori Beyfall, welcher deme dieſes Iahr 1732. gehabten naſſen, oder feuchten Sommer Urſache geben will, davon dieſes Gewächſe nicht hat vollkommen reiff werden, und zu ſeiner Vollkommenheit gelangen können, ſondern unzeitig und unreiff geblieben iſt, und die Couleur eines grünen Mooſes behalten hat.

Von dem A. 1724. ſo häuffig gewachſenem Centaurio minore flore albo referiret Hr. D. Muller Hochfurſtl. Weymariſcher Rath und Leib-Medicus, daſs die Kräuter-Weiber, die es in andern Iahren ſo häuffig nicht haben wachſen ſehen, geſaget: es komme ſolches von dem Sud-und Weſt-Winde her, ſo faſt den gantzen Sommer gewehet, wie denn auch andre rothe und blaue Blumen alle blaſſer als ſonſten ausgeſehen vid. D. Kanolds Breſl. Sammlungen An. 1724. mens Aug. Claſ. 4. Art. 2. p. 180.

Folgen etliche Maſsliſche Obſervationes.

So viel mir in Regno Vegetabili auf das 1732. Iahr von allerhand Schauwürdigkeiten in Naturalibus Curioſis fürgekommen ſind, habe ich auf dieſes Blat vermercket, und iſt unter dieſen:

I. Culmus Secalis ſpecialis, Ein beſonders hochgewachſener Korn-Halm, der mit der Korn-Aehre 4. Ellen weniger ein halb Viertel lang gewachſen. Er iſt aber nicht der einige allein, ſondern es ſind ihrer bey dem ohndas Luxurieuſen und gewächſigen Iahre, mehr gewachſen. Ordinair hat es lang Stroh gegeben, weil alles andre Getreyde ziemlich ausgewachſen, und bey Menſchen Gedencken nicht ſo hoch geſehen worden.

II. Spica Secalina prolifera. Eine Wunder-Korn-Aehre, die aus 24. aneinander geſetzten Aehren beſtehet, mitten iſt die Haupt-Aehre bey nahe ein gut Viertel lang, und zu beyden Seiten ſtehen lauter Neben-Aehren, wie die Finger an der Hand übereinander ſtehen, und volle reiffe Körner hatten. Dergleichen Wunder-Aehren An. 1709. ſehr viel in meinem Garten und andern gewachſen, davon ich eine ins Kupffer ſtechen, und meiner Maſlographie einverleiben laſſen. Vid. Maſlogr. P. II. cap. XIII. Tab. XIV. 10. Es ſind auch etliche abgebildete Figuren zu ſehen in Ephemer. Phyſico-Medicar. Decad. III. An. III. Obſerv. 76. p. 110. Fig. V. Ich dachte wohl diſs Iahr, weil ſonſt ſo ein gar reichlicher Zuwachs am Getreyde war, es würden ſich viel ſolche Wunder-Aehren zeigen, wie Anno 1709. Da ich derſelben gantze Hand voll geſammlet, und zuweilen 2. 6. 9. 12. bis 20. Aehren ſtarck auf einem Halme, und in einer Ahre zehlen konte; ſo aber habe ich auſſer dieſer extra ſchönen und groſſen Korn-Aehre, keine mehr antreffen können. Man kan ſich daran recht eigentlich fürſtellen, die im Traum von Joſeph geſehene 7. volle und dicke Aehren auf einem Halm, welche von den 7. magern und dürſtigen Aehren ſind verſchlungen worden. Geneſ. XLI. v. 22. 24. Jene, ſo die 7. wohlfeile und fruchtbahre, dieſe aber die 7. unfruchtbahre und theure Iahre in Egypten bedeutet haben.

III. Frutex Avenæ. Eine ſtarcke Haber Staude, da aus einem Körnel, und aus einem Stiehl 17. ſtarcke und dem Rohr ähnliche Halme ausgeſchoſſen, und meiſtens 3. Ellen hoch geworden ſind, auch völligen Haber getragen haben. Der Haber hat ohn daſs heuer ein gewächſiges fruchtbahres Iahr gehabt, weil er im Anfange an ſeinem Wachsthum weder durch Kälte noch Hitze, noch durch ermanglende Regen gehindert worden, und daher ordinair an Stroh auf 2. Ellen hoch gewachſen iſt. Sonſt was die Höhe und Länge anbetrifft, hat mir ein hoher Patron von Anno 1725. einen gemahlden Haber-Halm ſo auf den Militiſchen Hammer-Teiche gewachſen, verehret, der auch 3. Ellen hoch, und mit meinem Anno 1725. in meinen Garten aufgewachſenen Haber zu vergleichen iſt.

IV. Monſtreuſe gewachſene Aepffel unterſchiedlicher Art, von Suſs-Aepffeln, oder ſo genandten Metzner-Aepffeln dergleichen Miſsgeburthen viel gerathen ſind.

V. Monſtreuſe Korn-Birne, die gewiſs was Curieuſes iſt, dergleichen aberrantes Naturæ ſonderlich an einer Birne nicht ſo leicht, als wie auf den Aepffeln fürkommen. Die unterſte Birne iſt mit ihrem Stengel vollkommen ausgewachſen, hat aber oben aus dem Gribſch wieder neue Blüthen, Blätter und einen dicken calloſen Stengel getrieben, der mit einigen Tuberculis beſetzet war, aus dem Stengel aber kam wieder eine formale Birne herfür die ob ihren Gribſch angeſetzet, ſie muſs doch aus dem

Kern

Kern der unterſten Birne ausgeſchoſſen ſeyn. Die Birne hebe ich ſo lange ſie dauren will, auf, und habe ſie laſſen einen Bildhauer ad vivum ſchnitzen und den Mahler mahlen, ſolche als was Extraordinaires zu conſerviren. Anno 1728. fand ich wilde Birn-Bäume auf dem Felde, welche, da ſie volle Früchte hatten, hatten nicht alle doch viele Birnen vollkommne Bluthen um den Gribſch ſtehen, es iſt aber keine Birne draus worden, ſondern der Herbſt-Reiff hatte ſie zunichte gemachet. Davon hab ich was in meiner Maſslographie. P. II. c. 12. §. 8. p. 243. gedacht und die blühende Frucht im Kupffer gezeiget. n. 9. Von ſolcher Extraordinair Efformation der Aepffel und Birnen iſt zu leſen D. Kanold Werck von den Breſsl. Sammlungen An. 1724. Menſ. Aug. Claſ. 4. Act. 5. p. 182.

VI. Haſelnuſſe von einem Strauche, die mehrentheils gedoppelt, drey-oder vierfach ſind, und probiret werden ſoll, ob ſie gleiche verdoppelte Fruchte bringen werden. Doch entſinne mich eines Haſelnuſs-Strauchs in meines Vaters Garten. der alle Nüſſe monſtreus brachte, aber der Strauch verdorben iſt.

VII. Miſsgeburthen an Kraut, Ruben, Möhren, Erdäpffeln, und andren Knollen-Gewächſen ſind ohne Zahl zu ſehen geweſt, von wunderlichen Geſtalten.

VIII. Mohn-Häupter, die an ſich ſelbſt ſehr groſs worden, und unten aus dem Boden oder Knoten eine groſſe Anzahl ſehr kleiner, nur wie Erbſen groſſe formale Mohn-Häuptgen biſs 40. 10. an der Zahl getrieben, ordentlich umher geſetzet, und ſolche anzuſchauen eine ungemeine Augenluſt giebet.

IX. Kürbs-Rancke, die bis 12. Ellen ausgewachſen, und breit gezogen, als hatte ſie ſich zwiſchen zwey Steinen durcharbeiten müſſen. Vornen an der Spitze haben ſich nach der Breite lauter Augen angeſetzet, aus welchen Blätter, Bluthe und kleine Kurbſen zu wachſen anfingen, aber verderben muſten.

X. Spargel-Stengel oder Rancke. Da ſonſt der Stengel rund iſt, einer Ellen hoch, iſt er auch breit gezogen, als hätte er ſich wodurch gezwenget, die Stigmata oder Augen, und das daraus entſproſſene Graſs oder Laub iſt ordinair wie ſonſt an der Spargel-Staude zu ſehen. Und weil ſich das Gewächſe in die Runde, wie eine Wendel-Treppe, gezogen, hab ich mir einen Caduceum oder Mercurial-Stab daraus gebildet.

XI. Türckiſcher Bund, von welchem gleichfalls zu remarquiren iſt, daſs das Gewächſe, welcher Stengel ſonſt rund in die Höhe wächſet, hier ebenfalls breit ausgebreitet iſt, und vornen ein groſſer Knutſch von vielen Türckiſchen bunten Blumen bey einander hanget, und ohne Abfall der Blätter abgetrocknet bleibet.

XII. Ferula Incubi, Alp-Ruthe, oder ſo genanter Schleſiſcher Palm-Zweig von einer Satz-Weide, die Ruthe hat zwey Zwieln, und da ſie ſolte rund ſeyn, wie die Weiden-Ruthen, ſo iſt ſie auch breit gepletſcht ausgewachſen, gleichſam als wären mehr denn eine Weiden-Ruthe aneinander geleimet, daran man die Stigmata oder die Augen ſiehet, ordentlich auf-und niedergehen, und vorne aneinander geſetzet. Der Aberglaube davon iſt, es hätte der Alp, oder die Hexen und Unholden dieſe Ruthe alſo pletſchicht gedrucket. Ich habe zwar noch zwey aber nicht ſo ſchön und vollkommen wie die Obige iſt.

XIII. Roſæ Proliferæ. Auseinander gewachſene gedoppelte oder dreyfache Roſen, dieſe ſind manches Iahr ſehr Luxurieus, denn wenn ſie viel Safft haben ſchieſſet aus der unterſten Roſe noch eine, und aus dieſer wieder eine andre, und ferner noch mehre Roſen.

OBSERVATIO
Aus dem Regno Animali.

Ich habe im 1732. Iahre meine Obſervation mit unſern gemeinen Waſſer-Schnecken ziemlich glücklich fortgeſetzet, und werde nun bald apodicticè, und nicht mehr dubitative behaupten können, daſs wir in Schleſien 1) auch tragende Perlen-Muſcheln haben. 2) Wo, ob im Fleiſche der Schnecke, oder in der Schale der Locus natalis generationis Margaritarum ſey? Heuer wo ich lebe habe ich noch einen Umſtand zu perſcrutiren, derjenigen ihre Opinion zu wiederlegen, welche ſagen, die Perlen generirten ſich erſt braun und würden hernach immer klährer. Da ich aber die kleinſten Perlgen gantz helle, weiſs und klahr antreffe, glaube ich, daſs die braun erſcheinen ſchon abgeſtorben ſeyn, die Probe will ich machen mit tragenden Perlen-Muſcheln, wo ich ihr würcklich finde will ich ſie in Loco natali laſſen, wenn aber die Schnecke abgeſtanden iſt, hernach obſerviren, ob ich die Perle weiſs oder braun finden werde. Es ſoll meine letzte Arbeit ſeyn, wo Gott will und ich lebe, dieſe curieuſe Materien ex autopſia zu tractiren.

Dabey denn die Frage vorkommen wird: Ob die Perlen ad Regnum Animale oder ad Regnum Minerale gehören?

Maſſel den 20. *Mart.* 1733.

FRANC. ERN. BRVCKMANNI,
MED. DOCT.

OBSERVATIO BOTANICA
DE
OCYMASTRO FLORE VIRIDI PLENO.
CVM FIG.

RAriores plantas, vegetabilium monſtra, aberrationes naturæ à recto & conſueto tramite in Regno vegetabili curioſas, mutationes florum & fructuum ſingulares ratione magnitudinis, coloris & ſic porro Botanophili nunquam non accurate obſervarunt & annotarunt; his non immerito annumeranda venit peculiaris iſta coloris purpurei florum integræ plantæ in elegantem viridem mutatorum obſervatio, quos flores oculis luſtrare non ſine animi hilaritate nuperrime nobis contigit, dum die feſto aſcenſionis Chriſti, delectationis ergo, amœniſſimum, cultiſſimumque principale viridarium Saltzdahlenſe viſitaremus. Vocatur hæc planta Floræ cultoribus, nomine Botanicis recepto, Ocymaſtrum, quod ſequenti notâ characteriſtica ab iisdem ſignatum, quod ſit nempe plantæ genus flore regulari pentapetalo, ſeminibus tectis capſula ſimplici, cujus ſequentes potiſſimum apud ipſos recenſentur ſpecies: 1) Lychnis ſylveſtris alba ſimplex C. B. Pinac. p. 204. quæ à Matthiolo, Geſnero, Joh. Bauhino, Tabern. icon. 299. quoque Ocimoides, album, Baſilicum ſylveſtre, Ocimaſtrum, Struthio ſimilis, Walckenkraut vocatur. 2) Lychnis alba multiplex C. B. l. c. pag. 204. quæ Botanicis audit Ocimoides album flore pleno, Ocymaſtrum multiflorum, Lychnis multiflora Anglica. 3) Lychnis ſylveſtris ſ. aquatica purpurea ſimplex C. B. l. c. p. 204. quæ & Ocimoides purpureum, Ocimaſtrum rubrum, Melandryum Plinii genuinum; &c. vocatur. 4) eadem & flore pleno ſ. multiplici in hortis Floræ

ræ cultorum ſæpenumero occurrit, & hanc ſpeciem die aſcenſionis Chriſti in jam laudato viridario Saltzdahlenſi flore viridi pleno, eleganti, magno ſuperbientem obſervavimus. Integra planta, quæ æſtate præterita 1731. & antecedentibus annis flores purpureos plenos elegantiſſimos majores nunquam non emiſerat, hoc anno omnes ſuos flores viriditate eleganti conſpicuos admodum magnos, extremo florum margine obſcurioris quaſi brunni coloris, in appoſitâ fig. videndos, protruderat. Peritiſſimum rei herbariæ Floræque cultorem, inſpectoremque hujus principalis viridarii vigilantiſſimum, Dom. Knüttel, interrogavimus, an ipſi forſan de cauſa quâdam externâ, quæ immutare potuiſſet ſolitum purpureum hujus vegetabilis colorem in gratam oculis viriditatem, conſtaret, quæ vero ipſum plane latebat, cum planta jam aliquot annos immota, nec transplantata, ſibi relicta in terrâ iſtâ, in qua ipſam videremus, poſita fuiſſet, quotannis quoque omni æſtate ſuos purpureos protuliſſet flores, quales etiam in eâdem plantæ ſpecie, è regione huic poſitâ, non immutatos, quod ad colorem, ſed rubros purpureosque conſpicere liceret. Jam citatus C. Bauhinus Pinac. Sect. I. L. VI. pag. 204. Lychnidem proliferam flore viridi, quam & Lychnidem agreſtem abortivam multiplici viridi flore, Lobel. icon. ſ. Ocimaſtrum flore pleno viridi Cam. ep. Matth. vocat, adducit, quam, niſi prolifera fuiſſet, eandem plane cum noſtra judicaremus. Primulam veris interdum juxta ac Violam matronalem in integra planta floribus viridibus in hortis Wolffenbüttelenſibus & aliis obſervavimus; ex amici relatione habemus, ſe vidiſſe hoc anno Ocimaſtrum flore ſimplici viridi, forſan & alii Botanici alia vegetabilia non conſuetis naturalibus aliquando annotarunt & invenerunt coloribus, cujus mutationis cauſam inquirendam phyſicis acutiſſimis, cum externæ plerumque cauſæ lateant, relinquimus. An forſan æſtas præter modum humida, ante ſufficientem humorum in tabulis & venis plantæ coctionem, immaturos crudos virides, pro foliis alias deſtinatos, humores juſto citius in florum petala protruſerit?

Wolffenbüttelæ MDCCXXXII.



JOANNIS GEORGII HENRICI KRAMER
Philoſoph. & Medicinæ Doctoris

TENTAMEN BOTANICUM
EMENDATUM, & AUCTUM:
SIVE

METHODUS
RIVINO-TOURNEFORTIANA
EMENDATA, & AUCTA,

COGNOSCENDI

Omnes Plantas facillime, easque proprio ſuo nomine appellandi abſque ulla antegreſſa alia informatione ex flore & fructu, florisque ſitu, figura primaria & ſecundaria, florendique & fructificandi modo & loco natali, omiſſo etiam florendi tempore, a Botanicis Septentrionalibus in ſuo climate ſerotino, deinde vero præcoce, minus probato, idque etiam abſque omni memoriæ gravamine, appellationum, apud Botanicos tantæ æſtimationis, mutatione &c. ut pateat ad Plantarum cognitionem, hanc ſolam ſufficere, eſſeque Univerſalem a condito mundo uſque ad interitum ſuum conſtantem, & ideo naturalem, longeque faciliorem, & clariorem, quam ulla alia hucuſque ab aliis clariſſimis viris inventa Methodus:

ITA

Ut quilibet totius Botanicæ ignarus ex primo intuitu cujuslibet Plantæ florentis ſive ruris, ſive in hortis obviæ illam ex hac Methodo ſtatim nomine ſuo proprio nominare ſciat, illiusque virtutes Phyſico-Medicas, aut Oeconomicas hucuſque notas in Rajo vel Bauhinis aliisque Botanicis domi, vel ſtante pede ex Manuſcripto portatili in Præfatione docendo & eodem cum hac methodo vel melius Alphabetico ordine digeſto, una cum totius plantæ pleniore deſcriptione & confirmatione perſpicere valeat; quibus in hac editione acceſſerunt plures obſervationes neo-inventæ & ab Authore undique conquiſitæ plantarum novæ vires, quæ alibi non extant, ut etiam Scepticorum quorumdam criſi, in Præfatione ſingulariter allegatæ, ſatisfactum ſit: Addita etiam Tabula nova de Vitis ſpeciebus apud omnes Botanicos adhuc confuſis & obſcuris & inde diſſertatione brevi de Vinorum differentiis generalibus & ſpecialibus.

DIGESTA

Secundum Petalorum Floris æqualitatem & inæqualitatem in ſitu, magnitudine, numero, figura, ſecundum floris ipſius in eadem planta ſitum, numerum in caule, ramis, ſcapo, fructificationisque modum, imo etiam ultimo, ubi in nimiis claſſibus opus eſt, locum natalem, indigenatum, exoticitatem, foliorum, radicumque & florum figuram, fugacitatem, & durationem, magnitudinem, colorem, ſaporem, odorem &c. in Tabulis ita exhibita, ut mox primo intuitu plantarum congenerum ſubalterna differentia ultima cum ipſius plantæ nomine proprio pateat.

CUM PRÆFATIONE,

Sive Introductione Generali ad Botanicam, qua Regulæ hujus Methodi, ejusque uſus, terminique technici breviſſime, attamen perſpicue, explicantur, cum tribus tabulis æneis, omnia Methodo Tabulari, qua intellectui humano, teſte Doctiſſimo & acutiſſimi ingenii viro Linnæo, nulla clarior & acceptior eſt, & quæ in Botanica a magno Rivino primo omnium ſub Schemate Generali, non vero particulari, aut ſpeciali, ortum duxit.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
Apud LEOPOLDUM JOANNEM KALIWODA, Univerſitatis Typographum. M.DCC.XLIV.

1893

QUÆSTIO

AD

PHYSICOS & BOTANICOS:

Quare pratorum ad Tſchaccovam in Bannatu Ungariæ ſitorum gramen boves reliquosque greges longe citius quam aliorum locorum gramina impinguat? quod idem obſervatur Fiſchamentæ in Auſtriæ oppido & pago, cum ſuis paſcuis propriis a ſolo amne ſeparatis, cujus prioris lac bubulum altero tanto copioſiorem cremorem, ideoque butyrum præbet, quam pagi?

ILLUSTRISSIMO,
EXCELLENTISSIMO,
Ac
GRATIOSISSIMO
DOMINO, DOMINO
PHILIPPO JOSEPHO
S. R. I.
COMITI
DE
KYNSKY
ET
TETTAVIA,
HÆREDITARIO
DOMINIORUM
CAMNIZÆ, SCHLONIZÆ, & POSTOVIZÆ &c.
SACRÆ REGIÆ SUÆ MAJESTATIS
HUNGARIÆ & BOHEMIÆ &c.
ACTUALI CONSILIARIO INTIMO,
ET
A SECRETISSIMIS DELIBERATIONIBUS,
NEC NON
CAMERARIO,
ET
PER REGNUM BOHEMIÆ
ARCHI-CANCELLARIO,
AUREI VELLERIS EQUITI,
Et Reliqua.
DOMINO DOMINO SUO
GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIME,
ET
EXCELLENTISSIME
DOMINE,
DOMINE GRATIOSISSIME.

Poſtquam ultra Sæculum in Auſtria primordia utiliſſimæ & jucundiſſimæ generi humano Botanicæ, ubi & in qua primo omnium in tota Europa a Carolo Cluſio ſub clementiſſimis auſpiciis MAXIMILIANI *Secundi Romanorum glorioſiſſimi Imperatoris ante ſex luſtra fuerant jacta, hisce temporibus plane iterum conceſſerant,* TUA *vero ſumma, qua uſque in Angliam ſplendes, Sapientia & Scientia ſola hujus utilitatem & neceſſitatem pro genere humano, fidelibus præcipue ſubditis Sacræ & Glorioſiſſimæ noſtræ* REGINÆ, *perſpectam habet, & æſtimat, huicque in patria ſua reſtaurandæ velut alter*

MAXIMILIANUS Secundus, *etiam inter maximos Martis tumultus intrepide*, *clementiſſimeque allaborat*, *facile ignoſcet* EXCELLENTIA TUA, *& concedet*, *quod in æternam hujus operæ* TUÆ *ter optimæ memoram præſens parvum monumentum*, *per* TUAM EXCELLENTIAM *reſuſcitatæ in Auſtria* FLORÆ *ſpecimen*, ILLUSTRISSIMO *&* EXCELLENTISSIMO TUO NOMINI *erigam*, *idque veluti phytopinaci publice in rei hujus laudabiliſſime & gratioſiſſime a* TE *geſtæ memoriam æternam inſculpam*, *& cum tota Flora*, *omnibusque Botanophilis Auſtriæ* TUÆ EXCELLENTIÆ *conſecrem*, *cum mille votis publicis maximæ & feliciſſimæ longævitatis*, *perennaturus*

ILLUSTRISSIMI

ET

EXCELLENTISSIMI

NOMINIS TUI

Viennæ Auſtriæ, 15. Decembris, 1743.

Humillimus & devotiſſimus Servus

AUTHOR.

INTRODUCTIO

Ad Methodum præſentem, totamque Botanicam uti- utiliſſimam & humano Generi maxime neceſſariam Phyſices partem.

1. EX Hiſtoria Botanices, qua excellunt, & a me omnibus laudibus merito commendantur Linnæus & Stolle, quorum hic idiomate germanico ſcripſit, Einlei-tung zur Hiſtorie der Mediciniſchen Gelehrtheit / alter vero latinam edidit, qui ambo omnes Authores Botanicos ad noſtra uſque tempora recenſent, cum ſuo decremento & incremento, aliisque fatis Botanicæ, patet, quod jam ante multa ſæcula multi viri, imo etiam ſummi Principes ultra plebem ſapientes, omnes nervos intenderint ſuos, ut Plantarum cognitio, cum illarum viribus Phyſico-Medicis & œconomicis magis magisque illuſtraretur, excoleretur, & facilior acceptiorque fieret: inter hos fuit omnium primus in tota Europa, in noſtra Auſtria Maximilianus II. Romanorum Imperator, Carolo Cluſio in hac ſua opera 1571. circiter utens, poſt hunc Galliarum Rex Ludovicus XIV. poſt hunc meo tempore Fridericus Auguſtus I. Poloniarum Rex, quorum ille opera Tournefortii, hic opera Excellentiſſimi viri Hebenſtreit Profeſſoris Lipſienſis in ſuis auſibus, utebantur præcipue: neque fas eſſet ſilentio præterire Principem Doctrina omnis generis clariſſimum ultimo defunctum ex eodem ſtemmate Auſtriaco ortum, Durlaco-Baadenſem Carolum, de quo cum D. D. Hebenſtreit atteſtari authopta poſſum, quod hortum botanicum omnibus plantarum generibus refertiſſimum, nullique in Europa ſecundum coluerit, atque D. D. Hebenſtreit Hortulanum comitem in Africam pro hoc ſuo deſiderio dederit. In Anglia idem tentabant Robertus Boyle, per Rajum vero Dux Willugbejus, his vero citius & ſtatim poſt Imperatorem Maximilianum II. Romanorum per Carolum Cluſium Potentiſſimi Status Belgii fœderati, in quorum ditionibus ab eo tempore Flora continuo adeo exculta, & tantum adepta eſt incrementum, ut dubitem, an parem & æmulam in Europa habeat, hoc autem certo conſtat, quod illam alia in Europa non excellat.

2. His magnis Principibus Regentibusque anteſignanis mox ſeſe aſſociarunt & quidem omnium primus Illuſtriſſimus Comes Bathiani hodiernorum Excellentiſſimorum DD. Comitum Bathiani Avus vel Atavus, Maximiliano ſcilicet II. Romanorum Imperatori, cujus magnanimitatem, ſapientiam, doctrinam, gratiasque, quibus labores botanicos Cluſii promovebat, juvabat, imo etiam comitabatur, ſatis laudare nequit Cluſius: Secundus huic fuit ex Serenſſima & Illuſtriſſima familia ortus Fabius Columna in Regno Neapolitano, qui ſuo ævo, teſtibus ſuis doctiſſimis operibus, Botanicorum Princeps doctrina & nativitate fuit, coævum & juvantem habuit, majoribus tamen auſibus clarum pariter virum ex nobiliſſima proſapia Romana ortum Petrum della Valle, itineribus Orientalibus & ſtudio Hiſtoriæ naturalis clariſſimum: in Gallia Medicorum comes Fagon ſui Regis labores valde juvabat.

3. Ab his incitati ſunt varii alii viri clariſſimi, quos ſupra dictæ hiſtoriæ accurate recenſent, quo aliter fieri non potuit, quam quod varii fuerint excogitati modi, non tantum omnes plantas congeneres & cognatas reducendi in ſuas ordinatas claſſes, ſed etiam ſingulatim quamvis plantam facile cognoſcendi, ut tandem etiam illarum vires adhuc ignotæ, qualibet arte & ſtudio, inveniendi veritates, erui poſſent.

4. Anti-

4. Antiquiſſimi Botanici nullum ſervabant ordinem, neque certas dabant plantarum deſcriptiones & ſigna, unde factum eſt, de quo adhuc totum humanum genus dolet & luget, quod Dioſcoridis & ſuorum anteceſſorum plantæ, & omnia ſic dicta ſimplicia medicamenta fuerint perdita, & vix plura, quam ſolum Rhabarbarum, utilia nobis tradita adhuc ſuperſint, non obſtantibus & contranitentibus multis choris & cohortibus Medicorum in Dioſcoridem commentantium, & inter ſe ad mortem uſque diſputantium, & litigantium publice & private, de die & nocte & omni tempore.

5. Geſnerus 1505. in Helvetia natus, Hiſtoriæ naturalis ſtudioſiſſimus, & ſuo tempore clariſſimus, primus modum invenit, quo plantarum nomina & ſpecies recte detegi, & ſuo ordini reſtitui, illarum conſtantes & infallibiles notæ & characteres dari poſſent, ſcilicet ex fructu & flore illarum: ſed charus & clarus hic Germanus tanto oneri impar ſolus, negotium hoc non abſolvit; ſed Caſalpino Italo, 1603. nato, tanquam anſam reliquit, & clavem, Botanicam aperiendi, qui ſpecimina quædam multarum plantarum ſecundum fructificationis modum in certas claſſes digeſta typo evulgavit, ſed non abſolvit.

6. His 1560. acceſſerunt duo alia aſtra Botanica, 2. fratres, in Helvetia, antiquæ & nobilis etiam proſapiæ Gallicæ Bauhini, ſine quibus tota Botanica adhuc manca eſſet, & quos præter Rajum pauci juvarunt aut ſuppleverunt, ſicut decuiſſet, ſcilicet in hiſtoria & plantarum deſcriptione accurata, qua Joannes Bauhinus fratrem & reliquos omnes, excepto Rajo, excelluit, ſi plantarum faciem ſive habitum deſideras, Joanne Caſparus autem accuratior fuit, veſtigiaque melius fructificationis ſingulæ plantæ preſſit: neuter vero fontem Botanicum exhauſit, & licet Joannes Bauhinus 30. annos impendiſſe dicatur ſuæ Hiſtoriæ Botanicæ, eam tamen non abſolvere potuit, ſed morte præventus ſuo genero Joanni Cherlero eam imperfectam reliquit, qui eam etiam qualitercunque abſolvit: accuratior fratre Caſparus, ſtans firmo principio fructificationis in recenſione plantarum, abſque earum deſcriptione, ulterius profecit, Phytopinacemque edidit, in quo plurimas plantas, & longe plures, quam omnes alii Botanici ante eum, in ordinatas ſecundum fructificationis ſuæ modum claſſes digeſſit, opus a Tournefortio aliiſque excellentiſſimum dictum, quo tunc perfectius non dabatur, ſucceſſu tamen majoris incrementi Botanicæ mire limatum & defæcatum, depuratumque per Hermannum, Tournefortium; præ his vero per Rivinum, virum quidem civem, & nativitate non nobilem, ſed ſcientia, amore in Botanicam, & facultate intelligendi, indefeſſis laboribus, expenſis pro Botanica habitis 90000. florenorum Rhenanorum Principibus(1) & Magnatibus(2) ſi non major, certe par; omnes enim vires ſuas morales & phyſicas diu noctuque contulit, & ita exhauſit pro Botanica, ut poſt finitas plantas fl. perfecto ſimpl. Irregul. Pentapetalo ipſi ex illis nihil reſtes manſerit quam Profeſſoratus in celeberrima Univerſitate Lipſienſi, ſui libri & unicus filius magnæ ſpei, ſed vita & ſpe ad vacantem tunc per mortem maximi patris ſummo ſenio confecti profeſſuram præcocius, ſummo cum dolore omnium Botanicorum & hiſtoriæ naturalis ſtudioſorum deceſſit; inter quos ego ſpecialiter adhuc lugeo & doleo de Rivini Patris magna collectione, omnium terrarum ſigillatarum totius mundi, quotquot ſaltem haberi poſſunt, & hucuſque notæ ſunt, ſi ea perdita eſſet, aut ſaltem ex docta Miſnia fuiſſet in locum incognitum translata. Vir itaque hic multa & longiore vita digniſſimus, exceſſit ex hoc mundo abſque hærede naturali ſuæ maximæ ſcientiæ, morales tamen reliquit, ſcilicet multos & maximæ doctrinæ & famæ diſcipulos: inter quos primarius eſt, & adhuc cum ſequentibus vivit, ſalvo Titulo, Illuſtris Heucherus, S. M. R. Poloniarum Archiater, Vir, cui parem in ſcientia ſolida medica & tota hiſtoria naturali in Europa neſcio, cæteri ſunt Excell. D. D. Vater, Profeſſor Wittembergenſis, Excell. D. D. Quelmalz & Hebenſtreit, cum D. D. Excell. Pezold, Viri eruditiſſimi, ſcriptis ſapientiſſimis clari, ſed neſcio, quare, a multo tempore jam ſilentes, & Rivinianam gloriam negligentes, neque Rivinianorum induſtriam, quantum ſcio, hucuſque amplius proſequentes.

7. Statim itaque Caſparus Bauhinus habuit ſuos æmulos, & primo quidem fratrem in hiſtoria ſive deſcriptione plantarum externa abſque accurata fructificatione Caſparo perfectiorem; deinde paulo ſerius in Anglia Rajum, in Gallia Tournefortium, in Germania Rivinum. Johannes Bauhinus diviſit ſuas plantas in areolas hortorum, eaſque vernales, æſtivas &c. bulboſas, graminifolias &c. quæ methodus tanquam incompta ſtatim ſubſidit, nulloſque habuit aſſeclas.

8. Rajus vero coævus Rivini & Tournefortii, Rivinum noſtrum ſibi amicitia junxit, & commercium literarium de eligenda plantarum methodo recte & utiliter ad cognitionem earum inſtituenda & ducente, habuit, a Rivino tamen non plane ad ſuam duci potuit, quin non mediam inter Bauhinianam & Rivinianam amplexus fuiſſet, neglecto tamen accurato petalorum numero potiſſimum ad fructum & faciem plantarum externam ſimul reſpexit, ſuaſque claſſes ordinavit ex

Aſpe-

Aſperifoliis, ſtellatis, verticillatis, bulboſis, ſiliquoſis, ſiliculoſis, graminifoliis, umbelliferis &c. quæ methodus ſi accurata in petalorum numero & conſtans, non hæteroclita eſſet, parum a mea differret, & ideo a Cl. Dillenio nunc Profeſſore Regni Angliæ adeo laudatur, magis vero laudatur ab hoc huic ſimillima fere methodus Hermanniana Profeſſoris Leydenſis & Rajo fere coævi, ſed in floris figura, æqualitate vel inæqualitate, ſicut etiam in petalorum numero adhuc valde manca, facilis tamen correctu, & dum correcta eſt, a methodo Rajana & mea præſente vix diverſa. Rajo tamen ea manet laus & gloria immortalis, quod veſtigia Joannis Bauhini hiſtoriæ plantarum preſſerit, & continuaverit, omniumque plantarum deſcriptiones ab aliis veluti Columna, Cluſio &c. cum Bauhinianis in tres tomos digeſſerit, necdum vero abſolverit, ſed plurimas præcipue in tertio tomo ſolo nomine & patria tantum indicaverit, imo plurimas deſcriptiones ſpecialiter Hieraciorum & Sonchorum adhuc imperfectas reliquerit, quas nullus adhuc hodie continuavit, nec alius facile audebit, forte ut ſolus Rajus ſuperiorem non habeat.

9. Tournefortius in methodo ſua magis ad florem & fructum ſimul, & tantum reſpexit, & quidem magis quam anteceſſores ſui omnes, multumque correxit C. B. Phytopinacem, neſcio tamen quare, & an multitudine plantarum tunc valde confuſa obrutus, aut an regulis botanicis non ſatis ſemper perſpectis & interdum earum oblitus, in methodo ſua ſæpe ceciderit, ita, ut nemo, cui fructus & flores ſuorum Ranunculorum, & Helleborórum noti ſunt, ſatis mirari virum poſſit, quod flores tripetalos, pentapetalos cum polypetalis, & tubuloſos in Helleboris cum planis ſive ipſi roſaceis mere confundat, ſicut ſemina etiam habentes in capitulis convexis aculeata & plano convexa, cum foliaceis utrinque compreſſis in capitulum vel ſimpliciter planum vel præterea etiam in trigonum congeſtis: taceo, quod multos flores ipſi rotatos, mihi ſtellatos, cum ſuis roſaceis confundat, ipſius claſſes etiam non infringat, ſive capſula ſeminalis fuerit 3partita, 4partita, aut 5partita, eaque vel nuda vel veſica tecta, ut tabula ſua Ketmiarum clare probat: de reliquis teſtantur paſſim præſentes tabulæ, quæ ex reſpectu debito erga virum, tantos labores paſſum, lubens prætereo, ipſumque excuſo, quod magnus hic vir eandem cum recentiſſimis ſequentibus Botanicis forte habuerit intentionem, ſcilicet genera plantarum præſcindendi, abbreviandi, & in pauciorem numerum redigendi, de qua inferius plura.

10. Omnium accuratiſſimus eſt ſupra 6. laudatus Rivinus in ſua methodo, quæ directius & immediate in claram & diſtinctam cognitionem & diagnoſin plantarum congenerum, & diverſarum ducit primo per cognitionem floris, & deinde fructus; nam

11. Omnis planta ipſi & mihi (ſicut etiam omnibus Botanicis, licet aperte & tam clare, ut Rivinus, non dicant) eſt reſpective vel *Completa*, vel *Incompleta*: *Completa* eſt, quæ omnibus plantæ partibus aut ſaltem plurimis, veluti radice, ſcapo vel caule vel caudice, foliis, cum, vel ſine flore & fructu gaudet, quæ in tabulis ſequentibus ſemper præcedit, & in ſuas claſſes eſt ordinata. *Incompleta* eſt, quæ dictis partibus caret vel omnibus, vel aliquibus, vel pluribus: omnibus fere carent v. g. *Pezizæ*, *Boviſtæ*, *Agarici* fungi, uti etiam *Conſervæ arboreæ*, ſive *Uſneæ*: aliquibus tantum partibus plantarum gaudent *Muſci*, quorum plurimi radices, caules, folia, loco floris vero capitula florida, & in his pollinem quemdam loco ſeminis ferunt, ſicut etiam *Ophioglöſſum*, *Equiſetum* &c. pluribus imo plurimis plantæ partibus carent cæteri *fungi cauliferi* & *Tubera ſubterranea* tam eſculenta, quam pernitioſa; & hæ plantæ *incompletæ* in fine hujus methodi poſt *herbas completas* omnium ultimæ in ſpecialibus tabulis ſui generis proſtant, & in ſuas claſſes ſunt digeſtæ, & quidem, quod repetere ex priore Tentamine non pudet, Muſci ex aurea hiſtoria Muſcorum Cl. Dill. Fungi ex illius catalogo Giſſenſi non ſimpliciter excepti & deſcripti, ſed in Tabulas methodicas, methodo meæ congruas, & intellectui ſubtiliori claras ſtatim prima fronte digeſti multo labore & difficultate, & plurimum novorum generum, ſpecierum & obſervationum additione.

12. *Completa planta* ratione partium ſuarum magnitudinis, ſoliditatis & durationis eſt vel *Herba*, vel *Frutex*, vel *Arbor*: *Herba* eſt plantæ genus corpus habens mechanice conſtructum, quod omnibus ſuis partibus, præcipue vero caule & ramis, minoribus, mollioribus, pulpoſioribus, tenerioribus, gracilioribus, fragilioribus, levioreque pondere, minoreque longævitate differt a *Frutice* & *Arbore*: *Frutex* differt ab *Arbore* non tantum caulis ſive potius caudicis parvitate & humilitate, minoreque inde quantitate & pondere, ſed etiam copioſiore & incompta ab imo ſtatim ramoſitate, majoreque plerumque numero caudicum ex una eademque radice, qui dum artificioſe cum ramis incomptis præſcinduntur, ut totus ſuccus radicis in unum caudicem confluat, in arborem plerumque tranſit omnis Frutex, ob quam rationem etiam Frutices ab Arboribus in hac methodo non ſeparavi: ut ideo pro uſu tabularum præſentium Botanophilus ante omnia in planta occurrente attendere habeat ad caulis ſive caudicis mollitiem, ſive lignoſitatem & quantitatem, hujus-

que partium integrantium, quem ubi adverterit mollem & parvum, plantam inter herbas quærat; ſi vero lignoſum durum, & quantitate ſua pro herba majorem, inter frutices & arbores in unam eandemque tabulam congeſtos, quærat: *Arbor* enim a *Frutice* non differt, quam ſui caudicis, radicis & ramorum majore proceritate, quantitate, menſura & pondere: Dantur quidem Frutices præcipue inter verticillatas *Thymus*, *Salvia*, *Roſmarinus* &c. inter 4las *Leucoiformes Leucoum fl. luteo*, *Thlaſpi Roſa de Hiericho* dictum, & *Bulbonac*, qui in tenera ſua ætate ante adoleſcentiam ſuam caules molles habent, ſed tunc necdum florent, neque fructum ferunt, & ideo plantæ ſunt adhuc imperfectæ ad ſtatum ſuum debitum progredientes, quem ubi adeptæ ſunt, mox etiam fruteſcunt, & ad frutices pertinent, quos ſi adultos Botanophilus ſemel noverit, reliquos juniores & teneriores etiam facile noſcet: Hos & ſimiles plerumque tamen inter Herbas recenſui, & ſimul inter Frutices notavi.

13. Notandum itaque ante omnia Botanophilo eſt, quod in Tabulis ſequentibus *Herbæ* præcedant, *Frutices* & *Arbores*, utpote quorum Tabula omnium ultima eſt in hoc opere: Separavi autem ideo *Herbas* a *Fruticibus* & *Arboribus* contra ſententiam Rivini, partim ut numerus claſſium in hoc opere, absque eis plerumque ingens, nimius non fieret primæ fronti, partim quod Frutices plurimi a Tournefortio aliisque recenſiti nobis Germanis ſint adhuc plane ignoti, neque de illis nobis plus conſtet, quam illorum Floris fructuumque figura & ſtructura, ſitus vero horum adhuc cimmereis obtegatur tenebris, quod clariſſimum eſt in *Fruticibus* flore perfecto ſimplice Irregulari Tetrapetalo Papilionaceo, quorum plurimi nobis non niſi nomine noti ſunt. Ad hæc facies fruticum arborum tam inſignis eſt, ut præ flore magis in ſenſus hominum incurrat, & deinde & poſt hujus conſiderationem Flos ejus cum ſuo fructu viſendus eſſe a natura videatur.

14. Omnis *Herba*, *Frutex*, *Arbor* florem habet reſpective *Perfectum*, vel *Imperfectum*, vel loco floris analogum quid, ut *Muſci*, vel flore tantum vel flore & fructu plane carent omni, veluti *Tubera ſubterranea* & *Fungi*. *Herba*, *Frutex* vel *Arbor Flore perfecto* gaudens, in ſequente methodo in Tabulis ſuis debitis (13.) dictis ſemper præcedit eum, qui florem fert imperfectum, & hic iterum eum, qui omni flore & fructu caret, ſcilicet *Herba* inter *Herbas*, *Frutex* & *Arbor* inter *Frutices* & *Arbores*.

15. Flos autem reſpective ſic dictus *Perfectus* (verbum durum Philoſophis nominalibus, ſed tutum ſuaveque Rivinianis practicis) eſt pars plantæ figura, colore, odore, ſitu, raritate, determinata duratione, partibus ſuis integrantibus, veluti Thalamo ſive placenta, utero, tubo ſive piſtillo exhalatorio, ſtaminibus, apicibus, petalis, calice, fructu ſive fœtu, cæteriſque fructificationis ſic dictis organis &c. a reliquis plantæ partibus manifeſte diſtincta, de quibus partibus componentibus florem videatur Tournefortius, præ hoc vero Anthologia Pontederæ, omni eruditione antiquorum & recentiorum locupletiſſima, ſicut etiam Excell. Linnæi Botanica, quæ omnia arcana Floræ prodit & detexit ſtupendo miraculo penetrantiſſimi intellectus humani. Obiter tantum hic noto, quod omnium florum baſis, ipſius etiam Stramonei mellis inſtar dulceſcat, manifeſto ſigno virturis digerentis ſpecifice pro fructu. Item quod ſyſtema Tournefortianum de fructificatione lapidem Lydium non ferat, dicendo de ea, quod vel calix, vel flos in fructum abeat. in Orchidis ſpeciebus omnibus enim omnis flos calice caret, & flos fructui inſidet, & ideo petiolus floris in fructum abit; ex glorioſa criſi D. Popoviz. Idem ſit in Cereo Serpente &c. cujus flos & calix fructui inſidens decidit, & petiolus in fructum abit.

16. Flos contra reſpective *Imperfectus* colore, & odore a reliquis plantæ partibus vix differt, ſed fere ſola figura tantum, & ſitu, raritateque & fructificatione, & conſiſtit plerumque tantum in meris apicibus cum vel ſine ſtaminibus, nudis omni calice ex meris glumis pendulis, ut in *Graminibus* vel calice quodam ſtipatis, cum ſtaminibus, ut in *Urtica*, *Acetoſa*, *Lapatho* &c. ille ex ſolis glumis pendulus filamentoſus ab omnibus Botanicis *imperfectus* & *ſtamineus* dicitur, hic vero calice ſtipatus a plurimis diſputatur, etiamque *Perfectus* dicitur, ideo a me in Tabulis ſequentibus bis recenſetur, ſemel inter flores *Perfectos petaloideos*, cum epitheto non *bracteatus*, & ſecunda vice inter flores *Imperfectos caliciformes* ſive calici ſimiles, diviſusque iterum eſt in ſuas claſſes, ſcilicet in eum, qui a fructu ſuo non eſt remotus, ſed fructui ſuo adhæret veluti in *Paſſerina* Rup. & Riv. & alterum, qui a fructu ſuo eſt remotus, isque iterum in eum, qui a fructu remotus eſt vel in eadem planta, ut in *Ricino*, vel tota planta, ut in *Mercuriali*: Huic *Flori imperfecto* cum Illuſtri Heuchero amico meo ad cineres uſque venerandiſſimo ex ſuo horto Wirtembergenſi addo alium florem imperfectum, omnium aliorum florum obſcuriſſimum, quem *granulatum* cum ipſo voco, qualis eſt *Filicibus* & omnibus ſic dictis *Epiphylloſpermis*: qui in Lycopodio ad oculum nudum clarus eſt, dum ſingulum ſemen globoſum nitidum in apice duo capillaria ſtamina habet, quæ piſtillos nemo probabit.

17. Hunc

17. Hunc *Florem imperfectum* plurimi Philoſophi & recentiores Botanici, omnem florem tantum ſtamineum ſtatuentes, diſputant, & tam perfectum eum dicunt, quam ullum ex aliis maximis & elegantiſſimis, quod etiam Riviniani non negant, certo ſaltem reſpectu: reſpectu enim ſuarum partium eum componentium, viriumque fructificantium ſuarum æque tam perfectus eſt, quam alius ex maximis elegantiſſime figuratus, coloratus, & ſuaviſſime maximeque odoratus &c. cum tamen careat elegantia & inſignitate patalorum, odoris ſuavitate &c. eo reſpectu certe longe eſt imperfectior altero.

18. Omnis *Flos Perfectus* eſt vel *Simplex*, qui tantum unico vel nullo, dum ſterilis eſt, conſtat tubo ſive piſtillo (15.) unicoque flore, unico Thalamo, unica placenta ſeminali donatur, dum fertilis eſt. Vel eſt *Compoſitus*, qui plures floſculos plus minusve tubuloſos, placentasque ſeminales plures intra unum eundemque calicem communem tanquam matricem continet; atque hic *Compoſitus* omnium ultimus poſt *Flores perfectos ſimplices omnes* inter Herbas, ſi Herbæ fuerit, vel inter *Frutices* & *Arbores*, ſi *Fruticis* ſive *Arboris* fuerit, ſequitur, licet pauciſſimi dentur *Frutices* vel *Arbores flore perfecto compoſito* gaudentes.

19. Occurrunt quidem in hortis per Mangonium & artem *Flores* ſic dicti *pleni* ſive *duplicati*, ſive *multiplices*, quos Tournefortius ſæpe *pleniſſimos* vocat, ſed plerumque Tubo ſive piſtillo & fructu apicibusque omnibus deſtituti, & ideo a flore ſimplice præcipue polypetalo faciliimi diſtinctu, præcipue ſi antea flores illorum naturales ſimplices Botanophilus noverit: rariſſimi enim ſunt flores pleni fructificantes & piſtillo donati, & hactenus vix alii noti quam in *Leucois*, *Delphiniis*, *Tunicisque*, iique potius *proliferi* quam pleni dicendi: neque unquam tales flores ſemitubuloſos aut Tubuloſos ſicut Flores compoſiti habent, ut ideo ad Flores compoſitos petalorum numero referri etiam nequeant; ad ſimplices vero flores referri nequeunt ob ſimul nimium, eumque criſpum, petalorum ſive laciniarum numerum & ſitum: optime autem ſi tubo aut fructu gauderent, a Botanophilo dignoſcentur a flore ſimplice polypetalo & quidem faciliime, quando petala talis floris pleni ſuſpenſa manu ex calice ſuo extrahuntur, & unguibus ſuis cohærere, aut omnibus abruptis videntur, utpote quod ſignum de ſimplice flore polypetalo nullo, ſicut neque de ullo compoſito dici poteſt.

20. *Flos Perfectus ſimplex* (18.) iterum dividitur in *Regularem* vel *Irregularem*. *Regularis* eſt, cujus petala, id eſt foliola, ſive laciniæ magnitudine, figura & ſitu inter ſe ſunt æqualia & uniformia, & ideo talis flos ab aliis, v.g. Rajo, *Uniformis* etiam dicitur. *Irregularis* ſive *Difformis ſimplex* eſt, cujus petala ſive laciniæ inter ſe figura, magnitudine, & ſitu ſunt inæqualia, ſive diſſimilia: de his autem Botanophilo apprime notandum eſt, quod,

21. Quando omnes tres notæ (20.) in uno eodemque flore ſimul occurrunt, absque omni controverſia tunc flos *Irregularis* ſit, & quod flos etiam *Irregularis* omnibus ſit, quando ejus petala ſive laciniæ figura & magnitudine tantum absque ſitu inæquali inter ſe inæqualia ſunt, exceptis floribus quarumdam plantarum Tetrapetalarum Planarum ſive flore perfecto *Simplice Regulari Tetrapetalo Plano*, veluti *Papaveris*, *Glaucii* &c. in quibus petala 2. interna, duobus externis paulo minora ſunt, omnibus tamen, ſicut mihi, regulares ſunt; ſi autem ſolus petalorum vel laciniarum ejusdem magnitudinis & figuræ in flore obveniat ſitus inæqualis, a Cl. Dill. merito diſputatur, eoquod talis ſitus ſit fallaciſſimus, neque conſtans & ſemper durans in eodem flore, veluti manifeſtum eſt in floribus *Tulipæ*, *Ranunculi*, *Geranii Robertiani*, aliisque ſic dictis de nocte aut die ſeſe explicantibus, in quibus antequam plane aperti ſive arrecti ſunt, aut explicati plane, ſitus petalorum maxime & manifeſte eſt Irregularis, ideoque Tyroni imponens: Cl. Rivinus hoc in flore & paſſu rigoroſior paulo fuiſſe videtur, ne ſcilicet florum Regularium numerus nimium increſceret, & genera plantarum affinium flore Irregulari, veluti *Gerania*, diſtraherentur, quod adverſarii illi absque eo continuo objiciebant. Flores hos ſitu dubios accedente parva inæqualitate petalorum veluti in *Geranio Robertiano* &c. nihilominus pro Tyrone bis repeto, ſemel ſcilicet inter flores Regulares, & deinde etiam inter flores Irregulares in locis ſuis debitis. Idem ſit cum Campaniformibus & Tubuloſis floribus minus aperte ſive manifeſte Irregularibus, veluti *Belladonnæ*, *Hyoſciami*, *Nicotianæ*, *Peti*, *Echioidibus*, *Bugloſſoide* &c. Caute itaque tales flores ante omnia a Tyrone ſunt examinandi ſemper, antequam eos *Regulares* vel *Irregulares* declaret, illiusque floris plantæ nomen in tabulis quærat, floresque tubuloſi ante latum judicium ſemper ex ſuo calice ſuſpenſa manu ſunt extrahendi, tubusque illorum examinandus, an non curvus, aut ſaltem gibboſus ſit, quoniam horum florum tubuloſorum tubum rectum pro ſua regularitate Rivinus & eum ſequentes poſtulamus.

22. Ab hac regula (21.) de tuborum rectitudine excipiendi ſunt florum compoſitorum ex meris regularibus floſculi tubuloſi Rivino ejusque aſſeclis ſemper regulares, licet eorum tubuli re-

ſtitudinis amuſſim non ſuſtineant, imo etiam in Jaceis externi cum internis non tantum difformes & irregulares ſint, ſed etiam floſculorum laciniæ revera ſint inæquales, & difformes, Knauthiiq; obſervatio vera ſit, quod *Cirſii* flores fere omnes ex dicta ratione magis recti & ideo regulares ſint, quam *Carduorum* flores, quorum extremi floſculi manifeſte ſunt curvi: *Jaceas* nihilominus, eoquod earum floſculi tubuloſi manifeſte dicto modo, ſitu, magnitudine, figura ſunt difformes, inter flores etiam Irregulares repetii.

23. Flos hic *Regularis* & *Irregularis Simplex Perfectus* (20.) iterum ſubdividitur ſecundum petalorum ſuorum, ex quibus componitur, numerum, in *Monopetalum*, ex uno petalo conſtantem, *Bipetalum*, ex duobus petalis conſtantem, *Tripetalum*, ex 3. petalis conſtantem, *Tetrapetalum*, ex 4. petalis conſtantem, & *Hexapetalum*, ex 6. petalis conſtantem, & quicunque flos ex pluribus petalis quam ſex conſtat, v. g. ſeptem, octo, novem & pluribus, unguibus ſuis non cohærentibus, quando ſuſpenſa manu carpuntur, 19. Rivino nobiſque *polypetalus* dicitur, licet revera *polypetali* etiam *hexapetali* jam dici potuiſſent, ob parvum *Hexapetalorum* & *Polypetalorum* numerum, & quod plurimarum plantarum ad eas claſſes pertinentium flores petalis ſex & pluribus varient, ut ideo bis imo ter a me repeti pro Tyronibus & certo harum tabularum uſu debuerint.

24. Hic autem petalorum numerus computatur in flore, in quot ille petala aut ſponte collabitur, aut manu ſuſpenſa & ſubtili abſque unguium ſuorum laceratione, & cohæſione (19.) diſcerpitur, ita, ut petali unguis ſive pars fructui aut calici contigua, integra maneat, neque cum aliis cohæreat, (19) pro monopetalis autem præcipue Tubuloſis & Planis, qui ſponte ſua non decidunt, neque quorum petala dicto modo a fructu ſive calice illæſa carpi poſſunt, Rivinus ſupremam dictat legem, abſque qua omnes reliquæ fallunt, ut ſcilicet Botanophilus attendat, an flos talis fructui ſubjaceat ſuis unguibus, aut an ei inſideat; ſi ſubjaceat, tunc tot petala numerare jubet, quot lacinias flos habet; ſi vero fructui inſideat, monopetalum pronunciat: Talem florem habet *Paſſerina* Rup: quæ autem Regulæ de corollæ in Thalamo ſive fructu tuberculis tanquam petalorum delapſorum cicatricibus, ſive ſtigmatis, horumque numero tot lacinias indicante ab aliis dictantur, mihi ex ea ratione diſplicent, quod aut microſcopio continuo, aut viſu acutiſſimo pro eorum numero judicando opus ſit: Illa autem aliorum Regula egregia, quod flos monopetalus ſit, ſi petala ſive laciniæ floris cum ſtaminibus cohæreant, ſive ſi ſtamina ex ipſis petalis ſive laciniis egrediuntur, refellitur a flore omnium *Alliorum ſilveſtrium* omnibus Botanicis polypetalo ſive potius hexapetalo, & diſcerptu dicto modo nunquam poſſibili, quin ſingulum ſtamen ſuo cum petalo non cohæreat.

25. *Heptapetalus* & *Octopetalus* &c. ut 23. jam monui, Flos non nuncupatur a Rivino, ſed quicunque flos plura quam 6. petala habet, etiamſi 7. tantum eſſent, polypetalus dicitur, unde leges petala numerandi Rivinianæ 24. recenſitæ Tyroni maxime notandæ & obſervandæ ſunt.

26. Huic Methodo Rivinianæ accuratiſſimæ & pretioſiſſimæ 6. additur a me in Tabulis præſentibus methodus Tornefortiana, a floris ſive potius petalorum figura deſumenda, & ſic dicta comparativa, antiquiſſimis Botanicis in ſuis plantarum deſcriptionibus, præcipue Cordo & Cluſio, familiaris, a me vero, quod Critici notent, parum mutata, magisque aucta, eo quod Tournefortianam non ſufficientem invenerim, ſaltem non ſatis diſtinctam, præcipue vero, quod illius & aliorum flores anomalicos dictos ſuperfluos, imo obſcuros nimis Tyronibus judicaverim.

27. Conſiſtit autem hæc methodus comparativa in ſimilitudine, quam flos, abſque reſpectu magnitudinis, v.g. cum *Roſa*, *Lilio*, *Stella*, *Tulipa* &c. præſefert; exemplum ejus dabo in ſequente Tabula generali de *Floribus perfectis Regularibus* & *Irregularibus Monopetalis* & *Polypetalis tantum*, quæcunque enim de Polypetalis prædicari poſſunt, eadem etiam prædicabilia ſunt de *Bipetalis*, *Tripetalis*, *Tetrapetalis*, *Pentapetalis* & *Hexapetalis*, ut iis in hac Tabula generali ſuperſedere poſſim, lectoremque ad Tabulas ſpeciales pro illorum exemplis ablegare: *Monopetali* autem *flores* figuras quasdam habent, quas reliqui petaloidei ferre nequeunt, veluti campaniformem, tubuloſum, cilindraceum &c. quas omnes in tabulis æri inſculptas exhibui, & numeris inſignivi, lectorique in appenſis tribus tabulis indicavi, ut tantum numerum in dictis tabulis quærere & conſiderare, notareque poſſit; Idem puta de florum ſitu & numero, figura ſecundaria veluti Spica vel Umbella, aliisque terminis technicis, de foliis & radicibus &c. ad oculum ibidem inſculptis, & in vocabulario explicatis & recitatis, ita ut hæc præſens methodus reliquas iterum his excellat, lectorque vocabulum forte non intelligens, in vocabulario tantum idem cum figura quærere habeat.

Flos

Flos Perfectus Simplex

- **Regularis**
  - **Monopetalus eſt vel**
    - Campaniformis
      - ſpelviformis ſive ſimpliciter, ut in *convallio Campanula* 1. 2.
      - conicus
        - teres, ut in *Convolvulo.* 3.
        - anguloſus ſive Pentagonus, ut in *Stramonio.* 4.
      - cilindraceus, Tournefortio campaniformi tubuloſus, ut in *Simphyto.* 5.
      - globoſus, aliis Urceolaris, ut in *Muſcari* & *Ruſco.* 6. 7.
    - Tubuloſus, Tournefortio Infundibuliformis & Hippocrateriformis, ut in *Bugloſſo.* 8.
    - Stellatus, Tournefortio Rotatus, ut in *Borragine*, *Solano.* 9. 33. 77.
    - Planus, Tournefortio Roſaceus, ut in *Opulo*, *Polemonio.* 10.
    - Liliaceus, ut in *Colchico*, *Croco.* 11.
  - **Polypetalus eſt vel**
    - Stellatus, ut in *Stellaribus*, *Allio*, *Junco.* 12.
    - Tulipaceus, ut in *Tulipa*, *Yuccaglorioſa.* 13.
    - Planus, Tournefortio Roſaceus, ut in *Roſa*, *Malo*, *Pyro.* 14.
    - Leucoiformis, Tournefortio Cruciatus, ut in *Leucoo*, *Rapa*, *Raphano*, ad quem etiam refero omnes flores, quorum petala ſunt oblongo-rotunda ſive Ellyptica. 15.
    - Liliaceus, ut in *Lilio*, *Martago.* 16. 17.
    - Emarginatus
      - planus, ut in *Pentaphyllo minore*, & *erecto majore.* 14. 18.
      - Leucoiformis, ut in *Gruinali folio ſubrotundo Malvæ.* Rup. 19.
    - Bifidus, id eſt ex petalis bifidis
      - planus, ut in *Alſine.* 20.
      - Leucoiformis, ut in *Lychnide noctuflora.* J B. 12.
    - Fimbriatus ſive laciniatus, id eſt, ex petalis laciniatis, ut in *Lychnide pratenſi.* T. 25.
    - Cariophyllæus, ut in *Tunica.* 23.
    - Stilatus & apicatus, vel cuſpidatus, ut in *Melanthio*, *Potamogeto.* 26.
    - Crenatus, ut in *Ruta hortenſi*, *Hyperico vulgari.* 24. 47.
    - Trifidus, id eſt, ex petalis Trifidis compoſitus, ut in *Hypecoo*, *Cucubalo.* 27.
- **Irregularis**
  - **Monopetalus eſt vel**
    - Campaniformis quintuplice modo ut ſupra Regularis in *Scrophularia*, *Hyoſciamo.* 28. 29.
    - Tubuloſus, ut in *Echioide*, *Bugloſſoide.* 32.
    - Stellatus, ut in *Rapunculo.* 33.
    - Planus, ut in *Veronica.* 34.
    - Liliaceus, ut in *Cannacoro*, *Gladiolo.* 30. 35.
    - Calcaratus, calcare
      - recto, ut in *Linaria.* 37.
      - curvo ſive adunco, ut in *Cimbalaria*, *Elatine.* 38.
    - Perſonatus vel Rictiformis, ut in *Antirrhino.* 39. 40.
    - Papilionaceus, ut in *Trifolio rubro.* 42.
    - Auritus, aliis Semifiſtuloſus, ut in *Ariſtolochia.* 35. 51.
    - Cucullatus, ut in *Ariſaro.* 43.
    - Labiatus
      - clauſus, ut in *Caſſida.* T. 46.
      - apertus
        - unilabiatus ſive Barbatus tantum, ut in *Chamædri.* 45.
        - bilabiatus vel galeatus & Barbatus ſimul, ut in *Galeopſi.* 50. 51. 52
    - Fimbriatus ſive laciniatus ex petalis fimbriatis, ut in *Luteola.* 53.
  - **Polypetalus eſt vel**
    - Planus, ut in *Pyrola.* 48.
    - Leucoiformis, ut in *Geraniis.* 52. 58.
    - Papilionaceus, ut in *Piſo*, & *Faba.* 53. 54. 55. 56.
    - Calcaratus, ut in *Viola.* 38. 64.
    - Cucullatus vel galeatus, ut in *Napello*, *Aquilegia.* 57. 59.
    - Emarginatus, ut in *Tordylio.* 60. 61.
    - Bifidus, ut in *Reſeda*, *Staphylino.* 62.
    - Fimbriatus ſive laciniatus, ut in *Luteola.* 63.
    - Veloſus, ut in *Viola.* 64.
    - Liliaceus, ut in *Ireo.* 36. 66. 65.
    - Barbatus & galeatus, ut in *Orchide.* 67. 68.

28. Florum his ſignis, ſc. *Floris Perfecti Regularis vel Irregularis*, hujus petalorum numero in omnium vegetabilium ſpecie ſemper conſtantiſſimo, ita ut vix ſex ſpecies plantarum dentur, quæ ſui floris petalorum vel laciniarum numerum, nulla vero omnino, quæ eorum figuram characteriſticam mutant, additur in Tabulis ſequentibus ſinguli floris ſitus & numerus, in Plantæ cujuslibet

caule,

caule, ramis, foliis, ſuperne vel inferne, id eſt vel ſupra foliorum partem pronam, ut in *Ruſco*, vel ſupra ſupinam, ut in Epiphyllоſpermis omnibus, v. g. *Lingua cervina*, vel ad foliorum & ramorum alas, quas non tantum ob ſpatii anguſtiam, ſed ſtudio plerumque ad latera caulis & ramorum ſitos, plerumque dico, eo quod non tantum plurimi tales flores non ad foliorum alas ſtricte ſic dictas, ſed tantum ad caulis ramorumque latera ſiti ſunt.

29. Quantum hic ſitus ab anteceſſoribus noſtris & adhuc quotidie a coævis Botanicis negligatur, nemo credit alius, quam cujus intereſt, methodum utilem & facilem pro plantarum cognitione & diagnoſi conſtruere, quod iterum Criticos moneo, novum eſſe & difficillimum in hac mea Methodo, quo ante me, neque poſt me, nullus Botanicus conſtanter & methodice eſt uſus, neque illi facile ſuſcipient, ob laboris maximam gravitatem ſine his meis Tabulis.

30. Omnis enim flos ſitus eſt vel in ſummitate, vel caulis ejusque ramorum, vel ſcapi, quam antiqui apicem vocarunt, vel, ut 28. indicavi, ad latera: de hoc ſitu apprime notandum eſt Tyroni, quod omnes plantas lateraliter florentibus annumerem, quæ aliquot flores ad latera, id eſt foliorum alas ferunt, licet alios præterea ſimul in ſummitate ferant, ſicut e contra in ſummitate florentes dico plantas, quæcunque flores gerunt in petiolis aliquot, aut etiam uno tantum alterove foliolo amictis, quos, licet breviſſimi ſint, foliolaque illorum non raro valde exigua, ramulos puto; longiſſimos vero petiolos ſive ramos foliis nudos, & in ſummitate flores geſtantes, petiolos dico, ut in *Lathyris*: dantur etiam plantæ flores ferentes in ipſorum ſuorum ramorum divaricationibus & furcis, ut *Alſine*, *Oſſea* Riv. quas tamen in ſummitate florentes dico, & ut illas Tyro in Tabulis facile & ubique, forte dubius de ſitu, inveniat, inter laterales fere ſemper repeto.

31. In Tabulis itaque ſequentibus omnes flores ſui generis & ſpeciei in ſummitate ſiti præcedunt flores ſui generis & ſpeciei ad latera ſitos, ſive fuerint ſiti in alis, ſive inter alas, ſive ſupra vel infra *foliorum dorſum*: *inventio hæc mea* longe majoris in Botanica eſt utilitatis inſtruendi Tyronem rudem noſcendi plantas, quam acerborum modernorum Criticorum ſtaminum numerus & cum florum petalis æquandi rationes.

32. Situi huic ad eundem ſcopum, naturam ſcilicet imitatus, ego etiam omnium primus addidi florum numerum, an ſit ſolitarius, 11. 96. ſparſus vel diſcretus, 104. ſociatus, 100. vel etiam absque figura aliqua confertus, id eſt, numeroſus, 103. aut an majore ſuo numero figuram componat, v. g. capitulum convexum, 73. globoſum, 85. oblongum, 108. corollam, Muſcarium, 111. 113. umbellam, 110. ſpicam, 101. 102. racemum, 115. corimbum, 112. eaque vel in ſummitate vel ad latera, ubi etiam eſt vel ſparſus, 105. vel ſociatus, 106. vel confertus, 106. vel ſemiverticillatus, 106. vel verticillatus, ſi v. g. flores in figura 106. circa totum caulem corollæ inſtar ſint congeſti.

33. De quibus iterum Tyroni notandum eſt pro recto facilique uſu practico harum tabularum, quod flores ſui generis & ſpeciei in ſummitate ſiti, præcedant in tabulis ſitos ſui generis & ſpeciei ad latera ſitos, ubique autem ſolitarii diſcretos, diſcreti confertos, conferti in figuram congeſtos, veluti Muſcarium, Racemum, Umbellam, Corimbum, capitulum, ſpicam &c. id eſt quo laxior eſt figura, eo magis ſemper in tabulis ſequentibus præcedit florum figuram denſiorem.

34. Et licet magnus plantarum numerus floris ſitum per majorem ætatem mutet, Botanophilus tamen hanc mutationem in tabularum uſu curare non habet, ſed plantæ florum ſitum in eo ordine & ſitu in tabulis ſemper quærat, in quo ipſi flos plantæ occurrit, quia etiam hanc mutationem plantarum in tabulis notavi, plantasque has in locis ſuis debitis repetii.

35. Et hoc iterum ex mea ſedula obſervatione fluxit, nunquamque recordor, de hac ſitus mutatione quidquam me apud Botanicos legiſſe: quantus autem hic 31. 32. 33. 34. & quam recentis uſus pro regula labor ſit, & quantæ utilitatis pro plantarum diagnoſi, ſi Critici cum ſuis aſſeclis non perſpiciant, tunc videntur craſſo aëre nati eſſe.

36. His momentis magnis in quavis tabula præmiſſis tandem additur florem talem ſequens fructus, ejusque facies & qualitas, qualis ſcilicet, quotus & quantus ſit, an faciat ſive conficiat ſcilicet ſemina nuda, quot & qualia, eaque vel ſolida, id eſt absque pappo, vel papposa, id eſt pappo inſtructa, aut ſaltem involuta, vel an ſemina tecta ſint capſula brevi ſimplice, 2part. 3part. 4part. 80. 89 90. 91. vel longa ſiliquoſa ſimplice, 94. 2partita, 87. vel multiplice, quam cum Cluſio corniculatam voco, 97. 98. vel an ſint tecta pericarpio, id eſt fructu carnoſo, pomo, pyro, pru-

no,

no, bacca &c. monopyrænis, dipyræeis, 3. vel 4trapyrænis, vel polypyrænis. Imo non raro pro ultima differentia tam capſularum, quam pericarpii figura & tota facies externa ſpecialis, ſicut etiam ſeminum additur, in quibus nullus ante Rivinum & Ruppium fuit accuratior, Tournefortium, ut ſupra jam monui, multis paraſangis ſuperantem.

37. Neque hæc 36. ſine ordine in tabulis meis memorantur, ſed perpetuo conſtantem ſervant iterum ſuum ordinem, ita ut plantæ ſemina nuda poſt flores ferentes antecedant alias ſemina capſula tecta ferentes, monogymnoſpermaticæ, bi, tri, tetra &c. Gymnoſpermaticæ antecedant polygymnos ſpermaticas, omnes vero hæ angioſpermaticas, id eſt ſemina capſula vel pericarpio tecta ferentes, eaque iterum eo ſerius & inferius in Tabulis ſequentes, quo magis capſula aut pericarpium ſunt partita, ita tamen, ut capſuliferæ præcedant ſemper eas, quæ ſemina pericarpio majore & duriore veluti pomo vel pyro tecta ferunt, quas ultimo ſequuntur omnium in eadem claſſe congeneres bacciferæ. An autem hic ordo tam facilis & promptus ſit, & ab aliis etiam ubique in ſua methodo conſtanter obſervatus, judicent inter me & durum Criticum æqui judices lectores.

38. Non raro pro ultima & clariſſima differentia plantarum in majoribus claſſibus nimis copioſarum ad faciliorem & quaſi ſpontaneam ſpecierum ultimarum & ſuperiorum diagnoſin his prædictis omnibus addidi plantæ ſaporem, odorem, figuram, magnitudinem tam plantæ, quam folii, radicis, floris &c. imo etiam locum natalem in ſiccis vel aquoſis, an ſit exotica, aut indigena, perennis &c. quem laborem nemo majoris æſtimabit, quam qui eum peregerit, & ex eo fructus collegerit.

39. Moneo tamen Botanophilum præcipue tyronem de ſeminibus, quod ubicunque poſt florem ponitur ſimpliciter ſemen nudum, ſemper ſubintelligendum ſit ſolidum, & nullo pappo vel criſtatum, vel involutum; ſemen autem pappoſum dicam omne id, quod vel pappo eſt criſtatum, vel pappo tantum intra calicem vel capſulam involutum.

40. Præter hæc omnia Botanophilum his meis tabulis pro recta & infallibili diagnoſi plantarum uti volentem moneo, quod in iis omnes plantarum ſpecies & genera, quotquot habet Tournefortius, huicque addiderunt & correxerunt Rivinus, Ruppius Cl. Dillenius, & Mickelius, Boerhaven, & Linnæus &c. recenſuerim, methodo etiam nova, ſuccincta, & tabulis, ambages non ferentibus, congrua & debita, Botanophilo forte difficili & obſcura, niſi clavis ei præbeatur, quæ ea eſt, quod Tournefortii ſpecies harumque numerum, qui apud ipſum v. g. de *Narciſſis*, *Croco* &c. plures paginas explet, etiam in breviſſimas tabulas redegerim, ſervatis iiſdem Tournefortianis verbis, ſpecierum ultimam differentiam exprimentibus, ſed per articulos & ſubdiviſiones expreſſis, ita, ut Botanophilus, ſi plantam obvenientem incognitam in manu teneat quoad ad ultimum ſuum genus ex ſupradictis notam, v. g. flore Perfecto ſimpl. Regul. Monopetalo Liliaceo, in ſummitate ſolitario vel ſociato: ſem. tect. capſ. 3part. minore, foliis anguſtis gramineis, radiceque bulboſa *Crocum*, de ſpecie inventa primo legat & applicet pronuncietque in primo articulo ſcriptas differentias, quæ plantæ ſuæ conveniunt, quæ non conveniunt, prætereat, idemque facere pergat in ſecundo, deinde in tertio, 4to &c. articulo, & ſic, ſi Tournefortium deſuper conſulat, habebit totum nomen plantæ Tournefortianæ cum ſuis notis & authoribus, qui eam deſcripſerunt, aut iconibus exhibuerunt. An etiam hic modus laudabilis, utilis, ad ſpecialem diagnoſin plane rectius & clarius ducens non ſit novus & utilior recentiorque, quam Criticorum duriorum Trojada poſt Grevium, Dillenium, Lin. totam Botanicam antiquam obſcurantia, iterum æquo lectorum judicio ſubmitto.

41. *Flores perfectos ſimplices bracteatos* vel *non bracteatos petaloideos certo numero, ſitos in ſummitate vel ad latera ſolitarie, ſparſim, confertim aut congeſtos in ſupradictas figuras, ſem. nud. numero allegato, aut tectis capſula, pericarpio, bacca ſimplice* &c. in Tabulis tandem ſequitur *Flos perfectus compoſitus* ſive rectius plantarum claſſes debitæ ſc. vel *Herbæ*, vel *Frutices* & *Arbores* gaudentes *Flore perfecto compoſito*, cum ſpeciali imo ſpecifico ſingulæ ſpeciei nomine: ſpecies vero *Floris compoſiti* Riviniani, & paucis mutatis, ſimul Tournefortiani, exhibet ſequens tabula generalis.

Fl. perf. compoſ. eſt vel ex
- meris
  - Regularibus
    - monopetalis tubuloſis, ut in *Carduo*, *Cirſio*. 70. 71. 72.
    - pentapetalis, ut in *Statice*. 69.
  - Irregularibus
    - tubuloſis, ut in *Tagetis* & *Scabioſæ* ſpeciebus. 73.
    - huc numero florem *Hellebori*, quem vide in Tournefortio.
    - planipetalis ſive ſemifloſculis T. ut in *Taraxaco*. 74.
- Regularibus & Irregularibus ſimul, ſc. in medio Regularibus, & in ambitu Irregularibus
  - unius generis & mere tubuloſis, ut in *Cyano*. 75.
  - diverſi generis, ſc. in medio tubuloſis, in ambitu ſemifloſculis T. flos radiatus dictus, ut in *Sole*. 78. 79 80. 81.

42. Cæ-

42. Cæterum Flos compoſitus a Rivino & Tournefortio is dicitur, quicunque uno calice communi plures floſculos aut ſemifloſculos, aut etiam flores petaloideos continet, cum fructu plerumque multiplice ſingulum floſculum ſive florem ſequente, ſive ſingulus flos ſingulum habeat calicem privatum intra calicem communem ſive non, ut in *Statice*, ubi ſingulus flos præter calicem communem etiam adhuc privato ſtipatur & continetur caliculo.

43. Flori compoſito ex meris regularibus tubuloſis annumero etiam cum Rivino *Carduos*, ex ratione 22. data.

44. Omnis *Flos compoſitus* in tabulis iterum ſubdividitur in ſuas claſſes ſpeciales ſecundum calicem pappigerum & non pappigerum, id eſt, vel ſemina pappoſa vel ſolida continentem, ſicut etiam ſecundum figuram planam, convexam, cilindraceam, conicam, globoſam calicis, ſquamoſam vel non ſquamoſam, an ſit in ſua baſi nudus, aut obvallatus foliis, ſecundum figuram floſculorum compoſitum conſtituentium, ſcilicet vel in capitulum convexum, ut *Scabioſæ*, vel diſcum, ut *Balſamitæ*, vel faſciculum, ut *Cardui* flores congeſtam, imo etiam ſecundum ſuum ſitum, numerum, & figuram ſecundariam, v.g. umbellam, ut in *Millefolio.* Item an ſquamæ calicis floris radios fingant coloratos vel non, aliaque plura ſpecialia, quæ Botanophilus facile uno conſpectu intuebitur & intelliget in Tabulis Florum compoſitorum, ſervato tamen ubique eodem ordine, ſupra de Floribus perfectis ſimplicibus præſcripto.

45. Nihil autem difficilius mihi fuit, quam inter Flores perfectos compoſitos Hieraciorum copioſiſſimorum ordo & ſubdiviſio, utpote quorum hiſtoria & deſcriptio tam manca eſt, ut non ſatis authores mirari poſſim, qui nova ædificia fundamentis debitis necdum jactis jamjam ſuperſtruunt; Idem puta de Floribus compoſitis ex Regularibus & Irregularibus ſimul ſive Radiatis Tournefortii, quorum numerus reliquos omnes facile ſuperat, ut vix ſatis diſtingui & ſubdividi clare poſſint ad claram notionem uſque ſingulæ ſpeciei, ideoque duplex medium arripere habui, Flores hos & omnes reliquos primo diſtinguendi in eos, præter ſupradicta, qui ſemper ſunt aperti, & in eos, qui tantum cœlo ſereno vel calente ſunt aperti, veluti *Calendulæ*, *Piloſellæ*, *Tragopogi* &c. Flores. Poſtea reſpexi etiam ſpecialiter ad Flores radiatos, an illorum radii ſint mucronati & non crenati, ut in *Sole*, *Aſtere attico*, *Leucanthemo*, 81. aut crenati, ut in *Calendula*, 78. *Helenio*, *Arnica* &c. Item an hi radii ſint longi & reſpectu ſuæ longitudinis anguſti, ut in omnibus citatis, aut orbiculares, ut in *Millefolio*, *Ptarmica* 80. &c. Item an ſint manifeſti & viſui ſtatim & facile occurrentes, aut puſilli, & fere obiter intuenti inviſibiles, ut in *Ptarmica lutea*, & *Jacobæa Senecionis folio* &c. Et ſecundum has laborioſas obſervationes iterum ſubdiviſiones inſtitui pro cujuslibet ſpecialis plantæ clara & diſtincta notione Tyroni porrigenda. Hæcque inventio iterum mea eſt & nova, quod Critici iterum ſibi notent, & nullibi apud Authorum deſcriptiones plantarum invenienda, & icones, quas habemus, plantarum, hoc in paſſu ſunt plerumque falſæ, & non fideles, ſpecialiter Moriſonianæ, ubi *Arnica* radiis mucronatis falſo repræſentatur. Hinc mirum non erit Botanophilo, ſi in hoc ſigno interdum hallucinatus fuero, quoniam errare humanum eſt, icones fideles nullæ proſtant, occaſio & experimenta in tanto harum herbarum numero ſint difficilia & rara, memoria autem nulla ſufficiens, eis retinendis.

46. Monendus etiam eſt Botanophilus, quod illos tantum florum radios crenatos cenſeam, & dicam, qui in extremitate ſua manifeſtas crenas ſerræ dentibus ſimiles habent, dum autem & quotcunque tantum aliquot leves ſuperficialesque inciſuras vel rimas in extremitate ferunt velut flores *Chamomillæ*, crenatos ſive frondatos non dico, ſed mucronatos vel planos.

47. Atque hæc hucuſque de Flore perfecto ſimplice & pleno pro clara notione plantarum ſufficiant, illud tantum addens, quod illud phænomenon de floribus ſive compoſitis ſive ſimplicibus, an ſemper aut tantum cœlo ſereno & aura calente ſint aperti, tam vilis momenti non ſit, ſicut quidam magni viri putant, Criticorum vero mordaciſſimus forte ſolis ſuis ſtaminibus inhians, plane non advertit; hoc enim phænomenon Deus fruſtra non creavit, neque natura Flora id fruſtra operatur, clauduntur enim ab ea ſapientiſſime hi flores mane & veſperis, cœloque pluvioſo, humiditates nullas ferentes, ſed in corruptionem ab iis ruentes, ita ut ex hac unica cauſa, dum Sole ſplendente pluviæ cadunt, quas ruricolæ germani Mehl-Thau vocant, florumque ſeminumque uſtilagines fiant, tam in his floribus, quam etiam & præcipue in *Secali* & *Tritico*, frequentius tamen in hoc, quam in *Secali*, rariſſime in *Avena* & *Hordeo*: imo in montibus ſive potius alpibus Styriæ inferioris D. Popovitſch integros tractus Tragopago plenos uſtilagine aduſtos dicta ex ratione deprehendit. Nonne nova hæc ſunt & inaudita Critice? ſed rationem dic! quomodo hi flores ſe aperiant & claudant ſponte, an ab anima ſenſitiva, ſpermatiſica? certe annuam tibi lubens, imo applaudam

ambabus

ambabus manibus, ſi coitum tuum plantarum cum Vaillant magis probaveris: ſed metuo, ne, ſi tibi hic dicam rationem phyſicam meo labore & ſudore detectam, hujus phænomeni, tu ſtatim illam directe applices ad tuam ſpermatologiam vegetabilem, hoc ſi feceris, minus tibi invidebo, quam tu alia viris aliis honeſtis, de quibus paulo inferius plura; dicam ego, quæ res ſit & fiat, & non ſicut tu, quæ forte eſt, aut forte fieri poteſt: infra calicem v. g. *Tragopogi* Floris caulis valde in conum inverſum, ſatis largum, & interne plane cavum, quaſi ſola membrana undique cinctum intumeſcit, in illo copioſus continetur aër, qui a radiis ſolis per membranam ſemipellucidam fide omni magis incaleſcit, tuberque dictum conicum mire expandit, ſicque fibras ad calicem & flores &c. ex caule tendentes extrorſum premit, & quaſi trahit, calicemque cum flore aperit, ceſſante vero preſſione aëris incluſi calidi, eoque refrigeſcente fibræ dictæ iterum laxantur, calixque iterum cum flore clauditur, idem ſi vis, vide in *Secali* & *Tritico* &c. ſed divina, quare *Triticum* hunc morbum patiatur magis & frequentius, quam *Secale*, an ſpica *Secalis* nutans & cernua, & *Tritici* erecta, glumæ *Tritici* triplices, & *Secalis* 2plices, aut utræque & ambæ ſimul abſque anima ſpermatifica cauſæ ſint hujus mali? Nova hic habes non diſtracta neque cruda, ſed bene cocta; meliora ſequentur infra.

48. *Flores perfectos Simplices* & *Compoſitos Regulares* & *Irregulares* &c. ſive potius Plantas Flore perfecto ſimplice & compoſito Regulari & Irregulari &c. in ſuas claſſes 12. diſtributas ſequuntur nunc Plantæ eodem ordine 12. dicto, quæ *flore* gaudent *imperfecto*. 16 17. eæque iterum ſunt vel *Herbæ* 12. vel *Frutices* & *Arbores*. *Herbæ* ſunt *Graminifoliæ*, id eſt Graminibus ſimiles, tota facie, ſive ut amant Critici, toto habitu Graminibus ſimiles, & non *Graminifoliæ*, quæ ſcilicet neque Habitum, neque faciem Graminum, neque folia illorum, ſed latiora, aliarumque herbarum ſimilia habent, ſemina vero vel nuda, vel capſula tecta &c. ſicut omnes Herbæ Flore Perfecto. Ut autem Botanophilus hæc facilius intelligat, exhibeo ſequentem tabulam de iis generalem.

Plantæ
- non Graminifoliæ flore imperfecto gaudentes ſunt vel flore
  - calici ſimili aliquot ſtamina continente. 85. 113. 114 & ſito
    - in ſummitate
      - *ſparſim vel diſcrete.*
      - *conſertim.*
      - *ſpicatim* &c.
    - ad latera & foliorum
      - *alas* †
      - *dorſum* 95.
      - *partem pronam.*
  - ſtamineo tantum, ut in *Saururo*. 86.
  - granulato, ut in *Lingua cervina* 95.
- † ſem. a flore
  - non remotis
  - remotis in planta
    - eadem &
      - nudis
      - tectis
        - calice
        - capſ.
          - uniformi & ejuſdem figuræ, ut *Chenopodii.*
          - difformi in eadem planta, ut in *Atriplice.*
    - tota alia
- Graminifoliæ, floreq; mere ſtamineo ſunt vel
  - culmiferæ culmo
    - terete
      - geniculato
      - non geniculato ſem.
        - majore & ſativo, ut *Secale*, *Triticum* 86.
        - minore & fere inviſibili: *Gramina ſilveſtria.*
    - triquetro, ut *Cyperus.* 122.
  - non culmiferæ, ut *Junci.*

49. Tabula hæc clarior fiet Botanophilo ex Tabula generali Graminifoliarum & non Graminifoliarum hujus methodi, ante Tabulam Muſcorum & Fungorum appenſa, quam de Silveſtribus ex Scheucheri Agroſtographia congeſſi, & methodo mea digeſſi, & plurimis ſpeciebus, qua Scheuchzeriana caret, auxi, præcipue vero Typhis, Acoro, Arundinibus, & omnibus ſpeciebus Graminifoliarum ſem. majore, ſive ſativo: quæ expreſſe moneo, ut infra caſtigandus durus Criticus illa ſciat, & ſi poſſit, emendet.

50. His præmiſſis Herbis ſuccedunt Herbæ flore
- tantum carentes, ſed ſemina ferentes, ut *Pilularia* Cl. Dill.
- & fructu carentes
  - fere, & loco illorum capitula analoga ferentes *Muſci*.
  - plane,
    - Hbæ *Fuci*, *Algæ* &c.
    - *Fungi*, & quædam marina vegetabilia.

51. Poſt

51. Poſt hæc ultimo omnium ſequuntur Frutices & Arbores, & quidem ſpecialiter primo Flore perfecto ſimplice & compoſito, poſt eas Flore imperfecto 16. & 17. pro quorum flore perfecto ſimplice Irregulari 4lo flore gaudentium tabula alia methodo coactus fui uti, omiſſo in pluribus plane ignotis, a nemine deſcriptis, maximeque raris & rariſſimis, florum ſitu, quæ tamen Botanophilum in earundem notionem & cognitionem nihilominus ita ducet, ut ſi earum quædam ipſi in hortis ſive in Africa, Aſia, aut America occurrerit, ille ex tabulis eam ſtatim noviſſe & nomine ſuo proprio appellare tamen potuerit, quod Critici acerbiores & alii ſua methodo nunquam promittere audent, neque poſſunt, ego vero ab experientia edoctus cuilibet aſſeverare poſſum per teſtes tam mortuos, quam adhuc vivos, qui me abſente ex priore Tentamine minus perfecto & completo, quam præſens eſt, Botanicam, id eſt Scientiam noſcendi & recte nominandi plantas, didicerunt: quod etiam tunc tanquam ſpecimine intendi, & ad id tantum laborem tunc & nunc longe majorem iterate ſuſcepi, ſcilicet non claſſificandi plantas, ſed modum facilem docendi, quo ſponte omnes plantæ noſci & nominari ſuo nomine poſſint.

52. Addidiſſem libenter ſingulæ ſpeciei nomen germanicum cum latino conſonum ſive idem dicens, v. g. *Aſteris*, Stern-Kraut / *Elichryſi*, Gold-Kraut / *Alliariæ*, Knoblach-Kraut / *Heſperidis*, Abend-Kraut / *Leucoum*, Weiß-Kraut / *Braſſicæ*, Kappes / *Epimedii*, Ubermittel / *Veratri*, Spieß-Kraut / *Chryſanthemi*, Gold-Bluhm / *Leucanthemi*, Weiß-Bluhm / *Piloſellæ*, Haarſeſſel / *Hieracii*, Hennwürde / *Sonchi*, Deinſtaub / *Bellidis*, die Schönheit &c. ſed ſpatium animusque defecit; hæc tamen methodus vegetabilia univoce cum Latinis & Græcis nominandi, videtur mihi ſcientiam Botanicam inter plebem non parum juvare, & promovere; promotionemque & commendationem etiam longe majorem meretur in ipſa Medicina, quam ullus alius fons illius, tanquam optimum medium inveniendi veritates & fons reliquis duobus longe major, magisque continuus, & continuo facile recens, reliquisque etiam longe præſtantior, cum hodie lippis & tonſoribus conſtet, quod animalia & mineralia, atque ex illis etiam quavis arte Bombaſtica ſive Chymica præparata, a ſimplicibus vegetabilibus longe ſuperentur; infeliciſſimusque ſit Medicus, qui abſque vegetabilibus, absque quibux ne quidem febris intermittens curabilis eſt, morbos curare, aut longævitati allaborare audet: imo aſſeverare audeo ex longa praxi, quod homo abſque vegetabilibus diu ſanus vivere nequeat, præcipue in climatis calidioribus.

53. Quod autem multa & magna media in regno ſic dicto vegetabili lateant adhuc ignota, docent recentiſſime inventa, & quotidie, ſi voluerint Medici, adhuc invenienda nova contra varios morbos maxima medicamenta: Ut *Arnica* a Fehrio ante 40. annos contra contuſiones internas & externas panchreſta & infallibilis, dummodo contuſio fuerit abſque fractura & ruptura vaſorum majorum. *Phellandrii* ſeminis efficaciam contra quaslibet febres intermittentes, etiam inveteratas quartanas, veram teſtor Ernſtingio nuper detectam, & ſuam experientiam confirmo caſu medico nuperrime a me curato in viro quartana ſeſquiannum laborante, multisque remediis cum copioſiſſima chinchina contra eam fruſtra uſo, ſtatim dicto ſemine curato. *Belladonæ* foliorum uſum topicum, aut ſucci Cardui tomentoſi Acanthi folio anguſtiore T. Onopordon dicti, externum uſum contra cancrum, interne vero infuſum vel decoctum Hb. Eryſimi contra cancrum & ſcirrhos a comm. Lit. Norimb. recentiſſ. confirmatur. *Epipactis*, Helleborines ſpeciei, effectum contra flatulentiam, Herbæ purgationis potentiam contra Gonorrhæam, *Geſneræ* ligni, & ex nuperrima fideli communicatione D. D. Heinel corticis medii *Ulmi* arboris, vel ſecundum alios radicis *Alceæ* vel *Anonidis* foliorum decocti vires contra luem veneream teſtantur non annoſæ egregiorum Medicorum obſervationes. *Helleborum* verum Antiquorum Medicis necdum notum, ſed eſſe eum hodiernorum *Aſtrantiam* recentiſſime contendit Ill. Commercium Norimb. Literar.

54. Cataplaſmatis uſum topicum efficacem ex decocta radice *Araliæ* Canadenſis contra ulcera inveterata cacoëthea, ex recente vero *Elatine* quaſſata contra cancrum Rajo debemus. *Senecionis* fl. oleum oleo olivarum digeſtione ſolari factum & ruberrimum contra terribiles ambuſtiones totius corporis ab incendio vidi efficaciſſimum, & communicavi Illuſtri Commercio Literario Norimb. eidem radices *Gratiolæ* Rivini vires Ypecacoanhæ æquivalentes, & Wallachis contra diſenteriam uſuales non ita pridem detexi. Infuſum Siliquarum hirſutarum *Phaſeoli Zurratenſis* a Rajo hiſtor. plant. pag. 887. infallibile dicitur contra hydropem remedium, nullibi adhuc in Europa tentatum. Ex floribus Sambucci mane rore madentibus collectis Balneo Mariæ ſtatim deſtillatis ſpiritus primo prodiens, deinde aqua volatiliſſimi ex communicatione D. D. Walliskáj deſtillantur, quorum doſis cochlear unum Apoplectico vel Epileptico propinatum medicamina hucuſque nova omnia ſuperat, & ægrum certiſſime ex ſuo paroxyſmo excitat. Abjectiſſima vitis folia exſiccata & pulveriſata ad drachmam unam bis, terve in die propinata ſpecifice & infallibiliter curant omnem hæmorrhagiam, ſpecialiter hæmoptoën & hæmorrhagiam uteri, ut vix quarta, 6ta vel 8va doſis neceſſa-

neceſſaria ſit, ex communicatione Doctiſſ. D. Doctoris Walliskáj: quod Rajus in ſua plant. hiſt. de aqua deſtillata fl. Periclymeni habet, pro uſu coſmetico externo contra varios Lichenes &c. certiſſimum ſcio, ſc. ut ea bis, terve facies mediante linteo abſtergatur. A celeberrimo D. D. ex Braſilia reduce nuperrime aqua deſtillata ex excrementis bubulis gratiſſima bis in die ad cochlear 1. propinata dyſenteria epidemica & lethaliſſima in Styria circa Weizen graſſata, ſtatim fuit fugata.

55. *Onagræ* flore luteo radicem, nunc in variis Germaniæ ditionibus præcipue circa Viennam & Dresdam indigenæ aut ſaltem ſpontaneæ eſculentam & delicatam eſſe in acetariis in Styria, communicavit mihi nuper D. Popovitſch, & ipſe nuper guſtavi, licet forte luridus & carni fumatæ ſimilis color omnibus appetitum non excitet. Quænam ſit Hernandez pag. 172. *Eſula*, qua Tezcoquenſes in America contra luem veneream feliciter utuntur tanquam infallibili remedio, nemo determinare poteſt, quam qui nobiliſſimam Botanicam didicit. Idem puta de Herba ejusdem *Palanacapatli* contra eundem morbum infallibili. Quisnam eſt aut fuit ille frutex aut arbor, quo cum olim ad exteros ex Auſtria fiebat ſat celebris & conſiderabilis merces, ad corium lanamque tingenda? An *Cotinus*? quam Cluſius ad Thermas Badenſes Auſtriacas ſuo tempore indigenam dicit, hodie vero non amplius in tota Auſtria invenitur? an *Berberis ſilveſtris* lignum, adhuc hodie cum *Corno* tam bacca rubra quam alba copioſe in Auſtria creſcentis? an *Paliurus*, quam neque Cluſius, neque ego, neque alius unquam in Auſtria indigenam & ſpontaneam vidit, copioſiſſimam & vulgarem vero in Servia circa Niſſam, ſicut *Cotinum* copioſiſſime ſtatim infra Carlowiz in monte ſic dicto Carlowicenſi, ubi etiam ſingulo tertio vel quarto quintove anno copioſe cæditur, ſicuti etiam circa Semendriam infra Albam Græcam.

56. De hac *Cotino* ſequentes duas obſervationes commilitonibus, præcipue Criticis durioribus, trado ruminandas & enucleandas, quod ſcilicet Tournefortius in ſuis inſtitutionibus de *Cotino* explicite fateatur, quod ſemen ejus ipſi non ſatis notum ſit, eo quod *Cotini* fructus in Gallia non matureſcat, manifeſto ſigno, quod Galliæ clima Serviæ in æſtate ſaltem multo calidius ſit: de foliis autem *Cotini* deprehendi ex guſtu & odoratu, quod una cum aſtrictione moderata valde aromatica ſint, cum amarore ſaporeque ſuo ad corticem aurei pomi valde accedant, & næ cortici Peruviano viribus ſuis æquivaleant, cæterum etiam ad præparationem corii valde laudantur.

57. De *Martagi* radice efficaciſſimo & veriſſimo medio curativo & præſervativo contra Epidemias porcorum, in Sclavonia, ſilvis & quercubus abundante ab incolis ibi potius Thracibus quam Slavis copioſiſſime pro tota etiam Germania & Italia quolibet anno enutritorum & eo mittendorum, in Epidemiam contagioſam proniſſimorum, dum in nimia ſiccitate & fervore æſtatis paludes & aquæ pro ſuo refrigerio neceſſariæ exſiccantur, recentiſſime detexit & communicavit Dominus Popovitſch, quod ſcilicet unam alteramve radicem vaſi indant, ex quo porci continuo vorant, aut bibunt, ſicque radix in potu & pabulo porcorum continuo infundatur, hocque infuſo porci utantur tanto cum effectu, ut, etiam intacta radice, porci contagio infecti certe convaleſcant, ſani vero certe etiam a contagio præſerventur, & quidem absque excretione manifeſta.

58. De ſimillimo effectu in quibuslibet boum morbis, etiam illis, qui contagioſi ſunt, & qualis nuperrime in Auſtriam ex Ungaria per Annonæ militaris boves fuerat introductus, a Setaceo in jugulo boum pendulo, ad pectus imo, more ſolito, aut ſecundum ruſticorum morem ſolo cultro perforato, & deinde loco Seti, illius inſtar radix inditur ſive trajicitur *Hellebori flore viridi* (utpote qui præ altero *flore roſeo* radices longiores habet, & ideo in tota Styria eique confini Auſtria, ubi pecudum pecorisque cultura colitur, a quolibet ruricola in horto ſuo aſſiduo plantatur) & more Setacei in bove ægroto ſive infecto tractatur, trahendo ſcilicet quotidie trajectam radicem, donec bos ægrotus reconvaluerit, utpote, quod conſtanter & certe evenit, & in nuperrima noſtra Auſtriaca boum Epidemia ex certis relationibus in montibus noſtris Breininis, ſitis ad & verſus Styriam, egregios iteratosque præſtitit effectus apud omnes ruſticos: ſic dicti autem nobilium Helveti hoc remedio uti nolebant, falſo prætexentes, quod ab hoc adhibito remedio Vaccæ 14. dies nullum lac fundant, ſicque gregatim nobilium boves perire ſinebant, non ex dicto prætextu, ſed ex lucro majore, quod habent, quando boves ab ipſis certa pecunia annua conductæ ex epidemia pereunt: nam experientia de hac epidemia nuper graſſante certe docuit, quod boves hac epidemia (quæ alia non fuit quam quæ 1711. 1712. 1734. & 1735. in Germania ad Rhenum, & in via ex Suevia & Franconia ad exercitum enormiter graſſabatur) infectæ 8. vel 14. dies ante morbum, & totidem poſt exantlatum morbum, nullum ſinant lac, etiamſi illis hoc Setaceum non fuerit applicatum: atque etiam hæc obſervatio fluit ex communicatione Domini Popovitſch. Quid ſi hoc Setaceum etiam hominibus adhiberetur in morbis acutis contagioſis, contra quos tota medicina adhuc nullum habet poſitivum auxilium, aut medium; quod autem idem effectus ab hoc medio ſive Setaceo in ge-

nere humano expectandus ſit, ſupra memoratum ſemen *Phellandrii* certum ſpecificum antifebrile, antea etiam tantum veteranariorum medium, ſatis probat.

59. Idem D. Popovitſch toties in hoc opere laudatus communicavit, de *Veronica mare anguſtifolia* Moriſon, quod ruſtici in Styria utriusque ſexus boves curent ægros ex tumentibus ventribus, aut aliis partibus, forte a venenoſis vegetabilibus voratis, herbam dictam recentem tenuiter inciſam frixando ſufficiente quantitate axungiæ porcinæ, tam diu, donec non amplius ſtrideant, deinde frixatam maſſam adhuc calentem per linteum colent & exprimant, hocque linimento dorſum, totumque corpus ægri ungunt, ungendo ſemper verſus extremitatem quamdam proximiorem, &, ſi poſſibile ſit, præcipue & ante reliquas extremitates verſus caudam, a quo morboſæ materiæ metaſtaſis brevi fit vel in cauda vel in alia extremitate, verſus quam unctio fuit directa: addidit etiam doctiſſimus dictus obſervator, quod hoc unguento dicti incolæ etiam utantur paſſim contra alios morbos etiam contagioſos in æſtate, quamdiu dictam herbam recentem habere poſſunt, in hyeme vero ſupra laudato Setaceo utantur: ex hac obſervatione fluit etiam alia notio, quare ſcilicet hæc plantula paucis nota, ab omnibus autem fere neglecta tam copioſe paſſim in omnibus pratis ſiccioribus totius Germaniæ ex voluntate benigniſſima divina creſcat.

60. Idem doctiſſimus vir detexit, quod Empyricus quidam ruſticus in Styria non procul a civitate Seccavienſi habitans citiſſime & tutiſſime, jucundiſſimeque curet omnes ſpecies febrium intermittentium, reſinoſiſſima & aromatica radice, hucuſque etiam a Medicis neglecta *Cervariæ* Rivini ſive *Dauci montani* C. B. copioſiſſime circa Viennam & in Bohemia in montibus petroſis creſcentis, in quanam autem forma Empyricus hic hanc radicem adhibeat, dicere non potuit præfatus vir, certe non in infuſo vinoſo, neque aquoſo, quoniam mea experientia vinum parum ex illa infuſione extrahit; probabile mihi eſt, quod ſpiritu vini Extractum vel Eſſentiam factam propinet: ſimplex decoctum aquoſum cum farina frixa ſeminis Cari aqua factum & calide ante paroxiſmum hauſtum cardilagiam periodicam difficillimam curatu ſpecifice & infallibiliter curat.

61. Decoctum radicis Juniperi præſtantiſſimum & efficaciſſimum remedium eſſe contra Arthritidem vagam, a Medico Argentoratenſi detectum ante aliquot annos mihi communicavit Illuſtris & Excellentiſſimus D. Archiater Onoldinus Doctor Trew Norimberg. amicus ad cineres uſque colendiſſimus, & quod hoc veriſſimum ſit, docuerunt me ab eo tempore factæ aliquot ſtupendæ, & ſi hic narrarem, Medicis hyperbolicæ videndæ, experientiæ, ita ut aſſeverare nunc de ea poſſim, quod Arthritidem vagam, & Iſchiadicam citiſſime curet, & mala hæc duo Medicorum ſcandalis amplius annumerari non poſſint. De *Meo* herba Carinthiæ & Styriæ inferioris alpium indigena, pro certo D. Popovitſch mihi narravit, quod ibi in una alpe, ni fallor, Bruch, aut Sanctæ Urſulæ copioſiſſime creſcat, & nulla alia herba præter id, & dum Vaccæ, ſicut ubique fit, Phthyſi pulmonali afficiuntur, ruricolæ miſeras has Vaccas ſtatim primo vere alpino ſuas phythiſi conſumptas, & eundi incapaces ad dictam ſummam alpem curru vehant, ibique tres vel 4. ſeptimanas relinquant, ut merum *Meum* vorent, & poſt has ſeptimanas Vaccas ſuas ſanas reducant domum.

62. Radicem *Pruni ſilveſtris* verum eſſe calculi renalis medium curativum & præſervativum ante paucos etiam annos detexit Illuſtris Heucherus, Archiater R. Polon. eique de hac inventa gloria veritatis hic publice atteſtor ex multa & magna experientia de hac radice habita: grata & ruberrima fit ejus eſſentia, ſi cum ſemine Fæniculi ſtellati præparetur, ingratius eſt infuſum illius vino factum, ſed utrumque egregium & efficaciſſimum remedium dictum: efficaciam *Perſicariæ acidæ* contra calculum veſicæ neo-detectam vide in Illuſtri commercio Lit. Norimb. Specificum antinephriticum etiam eſt medicamentum infuſum ſeminis Fabæ, Coffeæ inſtar toſti, & aqua communi factum, & potatum, debiteque continuatum: Simile infuſum ex toſtis baccis Juniperi continuatum per aliquot menſes, nuper teſte doctiſſ. D. D. Walliskáj ſtupende curavit in fæmina inveteratam ſordidiſſimam ſcabiem, ſtipatam menſibus ſuppreſſis, qui eodem medio reſtituti etiam ſunt.

63. Juli Juglandis adeo vilipenduntur, ut ne quidem bruta illis utantur, ſat probabilia tamen habeo indicia, quod illis in vere collectis circumſpecte linteis arboribus ſubſtratis, absque manuali attactu, & ollæ novæ terreæ vitriatæ inditis, atque in olla obtecta & allutato operculo in loco temperato per aliquot menſes relictis, ſicque ſponte confermentatis & exſiccatis empyricus quidam feliciſſime utatur contra veram & inveteratam Epilepſiam, & quidem pulveriſatorum ſcrupul. 2. vel drachmam 1. pro doſi adulti ſemel vel bis in die, ſignumque ſequens, hoc remedio infallibiliter curandæ Epilepſiæ eſt, & ſpondetur a dicto Empyrico, dum a primis doſibus paroxyſmi fiunt vehementiores, vel longiores, vel crebriores.

64. De

64. De Agarico *Juniperi*, aliis arcano *Cælifolio*, in Auſtria plebi conſtat, quod in Majo ſolum ex fruticibus majoribus dictis creſcat, horisque matutinis colligi debeat ante ſolis æſtum, hunc fungum colliquantem, & tunc etiam ſtatim vitro indi, & ſic obtectus radiorum ſolarium digeſtioni exponi, & in liquorem fœtidiſſimum liquefieri, cujus guttæ 15. vel plures in quovis vehiculo propinatæ contra paroxyſmos epilepticos aut convulſiones a plebe Auſtriaca maxime laudantur.

65. De radice Valerianæ hortenſis ex collo epileptici filo dependſa, epilepſiam curante aſſeveravit mihi D. D. Cop. quod Boerhaven in arcanis fuerit: Omnibus autem his certior & efficacior eſt circumſpectus & moderatiſſimus uſus Eſſentiæ Nicotianæ in parca, attamen proportionata ægro, doſi ſingulis veſperis ante ſomnum, paucos dies continuata, recentiſſime detecta: nova inquam & recentiſſima hæc ſunt, qualia Criticorum duriorum opus non continet.

66. Recentiſſime hæc ex Botanica ſunt detecta a Botanophilis, plura, quam toto hoc ſæculo omnes Chymici ex ſuo penu in lucem protraxerunt, & quidem Medica; pro uſu vero civili ſequentia pauca neo-inventa addo: quod primo *Echium majus* in fine Julii & principio Auguſti radicem habeat rubram, quæ aquæ & Aluminis ſ. q. decocta, & cum ovis, lana, linteisve cocta, ea pulcherrimo rubore tingit. 2do in Bannatu Temeswarienſi creſcit ſimilis planta in montibus arenoſis ad Vipalancam civitatem, quæ an *Echium* ſit idem, an *Anchuſa*, an *Simphytum* radice rubra, an *Rubia ſilveſtris* necdum ſatis experiri potui, id autem certe ſcio, quod flores producat etiam ex cæruleo rubentes, ejusque radix etiam magnam tingendi habeat facultatem, & quidem radix herbæ jam florentis tingit colore cæruleo, ante efflorеſcentiam herbæ vero, pulcherrimo & intenſiſſimo colore rubro, & ideo a Turcis & Wallachis quolibet anno in vere copioſe ibi colligitur, ad corium ſuum, quod Chartebon vocant, dictis coloribus imbuendum: De *Sapindi* arboris foliis unanimes ſunt relationes, quod pro lavandis carbaſis aliisque ſaponis facultatem habeant, quare autem hæc arbor tantæ utilitatis, & climati noſtro proximior, quam *Jaſminum*, *Aurantia* folio vulgo *Caffeè* & *Ananas*, necdum ſit culta in Europa noſtra neſcio, uſu hujus mechanico facile carerem, ſed quum Saponacea interne tantæ efficaciæ ſint contra viſcerum infarctus, hujus folia præ alio quolibet Sapone valde deſidero & commendo. *Myrti* ſpecies fere omnes Europa noſtra in hortis ſuis colit, illam tamen Virginienſem adhuc ignoro, quæ picem ceræ ſimilem ex relatione Dampier ſuppeditat, ex qua candelæ fieri ſolent in mari, quæ ex calore marino ſub zona torrida non deliqueſcant, ut reliquæ omnes hucuſque notæ. Atramentum vulgare, quo revelationes divinæ, & omnes ſcientiæ humanæ in poſteros traducuntur, ſenſim per nimios annos palleſcere & extingui in charta, notum eſt omnibus, ſed quare non loco illius adhibetur Feuillé atramentum præſtantiſſimum ex decocto ſiliquæ arboris *Poincianæ* facto aqua & pauco alumine? Quænam eſt illa planta, quam Rajus in ſua hiſtoria *Hæderam Pentaphyllam* vocat, qua capilli indelebili nigritie tingi poſſunt? quis dicere audet, quis ſit & cujusnam arboris fructus ſit ille *Erquen* oleoſus Heæ provinciæ Maroccenſis, qui maturus de nocte ſtellæ inſtar ſplendet, & forte candelas ſupplet, ſicut Scarabæus ille lucidus in Anthyllis inſulis? quisnam eſt ille fructus Chinenſis ſevum pro candelis ſuppeditans? an apud nos non altilis? vid. Ill. commercium Norimb. Recentiſſimum inventum etiam eſt, & nullibi adhuc quantum recordor, typo notum, quod hucuſque viliſſimi habiti flores *Pulſatillæ* obſolete cærulei, in via Vienna Neoſtadium & Mannersdorffium in prato ad cellam DD. Canonicorum S. Dorotheæ copioſiſſime in Auſtria creſcentis colore turgeant elegantiſſimo per ſe infuſi aut cocti, cæruleo, cum aluminis q. ſ. vero cocti elegantiſſimo colore viridi, Liliorum viride longe ſuperante, quibus ruſtici Auſtriaci ova ſua paſchalia pulcherrime tingunt. Recentiſſima eſt etiam mea obſervatio, quod viliſſimi penſis foliis Alni ulcera cacoethea doloroſa emplaſtra & alia pigmenta non ferentia, certiſſime curentur, dum hæc, quam diu ulcera dolent, per noctem vino macerantur, & iterum abſterſa ulceribus imponantur, ſiccata deinde recentibus ſemper mutentur, ſicque continuentur, donec dolores evanuerint, ubi tunc folia ſicca, ſi recentia haberi nequeunt, ſola aqua macerata eodem modo ad conſolidationem uſque continuantur. Magis mirabile eſt, & a Plurimum Reverendo Doctiſſimoque Patre Matheſeos totius Doctore, & Phyſicæ experimentalis Profeſſore maximo mihi ante paucos dies narratum, conceſſumque, ut pro incremento Botanices id hic recenſeam: quod ſcilicet vir de Illuſtri Soc. JEſu meritiſſimus & pietate in Deum, & charitate in proximum clariſſimus & integerrimus ante duos annos mortuus, quondam in Ungaria in civitate Trenſchinenſi Novitiorum Rector ipſi narraverit, quod, dum aliquando confeſſiones pœnitentium in dicto loco audiverat, inter pœnitentes etiam fuerit decrepitus ruſticus, qui poſt finitam confeſſionem ſuam veniam petiverat, confeſſorem interrogandi ſuæ conſcientiæ neceſſaria, qua facile a pientiſſimo Patre impetrata, ſeniculus conquerendo de ſua longa tædioſaque vita, vanitateque mundi, magno vero deſiderio alterius vitæ ex confeſſore ſuo quærit, an teneretur ex ſua conſcientia ſive alia lege divina, prolongandi ſuam vitam amplius? interrogatus a ſuo confeſſore, an hoc poſſet absque ſuperſtitione, per media naturalia? reſpondit, quod jam bis id fecerit, ſua uxor vero ſemel, ſæpius vero & paſſim hic mos

 receptus

receptus in tota ſua familia, agnata & cognata, utpote quæ meros haberet viros fæminasque maxime ſenes, qui dum ſenio ſe fractos ſentirent, herbam ſpecialem in ſua vicinia creſcentem colligerent, coquerent, comederent, tanto cum effectu, ut inde mox ſe totos refocillatos ſentirent, ac ſi renati eſſent, brevique inciperent rugæ explicari, canities cadere, novi capilli & dentes, his etiam lapſis, creſcere, & ſic rejuveneſcere homines. Pientiſſimus confeſſor ſuper hæc inaudita & inſolita obſtupeſcens & deliberans, vehementiſſimumque ſeniculi deſiderium, æterna beataque vita fruendi, perponderans reſpondit, quod nulla lege ad hoc remedium obſtringatur: abit itaque pœnitens ex confeſſionali, Pater vero ſtatim avet nomen herbæ ſcire, & ſurgendo ex confeſſionali confitentem ſequi nititur, hunc herbæ nomen rogaturus, ſed ſeniculum fruſtra quæſivit non ſine magno cordolio. Hiſtoria eſt humana a viro integerrimo omni exceptione majore fluens, cui viri honeſti fidem adhibere tenentur omnes, facile autem præbebunt, qui præter hæc perponderant traditionem aliorum virorum magnorum de Herba *Splitb flore luteo.* Sed de his forte Deus brevi plura ſuppeditabit. Interim videatur de ea Mangette Bibliothecæ tomi 1. pag. 942. Item Raji hiſt. Plantarum: Welſchiana, Gaſſeriana, & Klotiana. Hæc obſervatio probabilior fit ab alia traditione in Sileſia ſuperiore, & Moravia inter plebem paſſim recepta, quod rejuveneſcentia hæc per herbam facienda non ſine vitæ periculo fiat, & ideo conſcientiæ ſibi ducant, & tanquam peccatum confiteantur, qui ea uſi ſunt: a prima enim doſi utentes quaſi inebriantur, & fere delirare dicuntur a dictis medicis, hoc ſi fiat ab unciis 2. tantum radicis decocti facti vino albo, a dictis Medicis pro doſi præſcriptis, quantus non fiet effectus, ſi a plebe, ut amat, major quantitas aſſumatur. Secunda vero doſis exhilarare dicitur: 3tia, 4ta, & 5ta doſis inſenſibiliter operantur; an vero radicis ſolius decoctum ſecundum dictos clariſſimos authores hunc effectum præſtet, an vero ex relatione ſupra recenſiti Seniculi decoctum herbæ, aut forte decoctum ex herba cum radicibus, inquirant mecum Botanophili. Vocatur hæc herba a Gaſſero Welſchio &c. Herba Sclavonica, a natione, a qua in uſum trahitur, quæ in Boſnia, Sileſia ſuperiore, Moravia, & circa civitatem Trenſchinenſem paſſim habitat, ſententiamque ſupra allegati magni viri Religioſi, & meam de hac herbæ ſpecie adhuc probabiliorem facit: nemo autem miretur hujus herbæ mirabiles effectus primos, ſcilicet quod prima die caput ebrium, & delirium, forteque poſtea profundiſſimum ſomnum cauſet, ſecunda vero exhilaret; idem enim effectus conſtat de Cannabis ſpecie comeſta, & incolis Madagaſcar familiari ferculo, quæ prima vice manducata & vorata hominem in delirium terribile, multos dies durans, præcipitat, ſucceſſive vero more Madagaſcarienſium recepto ejus repetitus uſus aſſueſieri ſolet, ut utentes illa mire ab eo confortentur, & exhilarari dicantur ab omnibus itinerantibus Europæis. vid. Lexicon univerſale Zedler. Cæterum Seniculi ſupradicti relationi de decoquenda ad hunc uſum herba probabilior mihi videtur, quam dictorum Medicorum ſententia de radicis ſolius decocto: quoniam, ut mihi ex horto collecta apparuit, radices hujus herbæ ſunt tenues, paucæ & fibroſæ, valdeque breves, & vix in magna ſufficienteque copia collectu faciles, cum contra herba ex una eademque parva radice plures ſatque numeroſos proferat caules & folia; forte in loco natali circa Trenſchin &c. radices craſſiores & longiores habet, quod propria & aliorum Botanophilorum induſtria Deo dante proxime indagabit. Quæ Le Febure habet de ſua quinta eſſentia Meliſſæ videantur in ejus Pharmacopœa, aut in Etmülleri Schrödero, tanquam major confirmatio prioris, ſed medium factum arte, quæ naturæ ſimia eſt, illamque tantum imitatur, non vero opera naturæ perficit! hic forte, Botanophile, latet antiquorum herba Moly, ab omnibus vero profundæ oblivioni tradita.

Similia portenta quotidie Botanices continuo ſtudioſus experior plura, quæ in Botanica ſurdus non audirem: Laburnum Perſicæ ante efflorescentiam ſuam ſcilicet in Martio vel Februario cæſæ ex communicatione & firma experientia D. D. & Profeſſoris Querin, Chinchinæ æquivalet, magis quam vulgaris exſucca. Spretus fructus Hippocaſtani manibus tentus aut etiam lecto ægri ſubſtratus inveterato arthritidis pediſequo malo, ſtupori ſcilicet & immobilitati articulorum infallibiliter medetur: taceo, quod vaccis in hyeme grata ſit eſca, ſcilicet conciſus & aqua fervente cum reliquis ſolitis mixtus, lac butyroſiſſimum & ſapidiſſimum, vernali magis, efficiens.

Quis legit aut audivit, quod radix conciſa Petaſitidis aqua decocta, deinde fervida pedibus podagricis bene deſuper tectis ſuppoſita, ut ea pedes nudi vaporetenus foveantur per mediam vel integram horam, ægrum ſtatim poſt uſum hujus vaporis ſtragulis lecti modeſte cooperiendo, ſtatim Podagræ dolores mitiget, ſudorem excitet, Podagramque curet? ut ex ſua experientia Maximus & Illuſtriſſimus Mecænas Ungaricus mihi narravit, &, pro quo ſto, corroboravit. Muſcorum vires quis ante Cl. Dill. magis recitavit, quibus pauca, non tamen vilia, in meis Tabulis addidi, qualia omnes Sceptici acriores neſciverunt, neſciunt & neſcient, inanes vociferatores, Botanicamque magis obſcurantes, quam ſuis novis methodis juvantes.

67. Ul-

67. Ulterius excurrere nolo, cum hæc cuilibet ſufficiant, quod in regno vegetabili plus auxilii & utilitatis pro genere humano adhuc lateat, quam in ullo alio regno, & plura adhuc quotidie detegantur, detecta autem necdum ſint omnia, plurima autem ſint perdita, & hodie ignota Dioſcoridis media ex neglecta hucuſque Botanica, ſive ſcientia illa cognoſcendi Plantas, primo quoad faciem externam, deinde autem, & poſtea non theoreticas plantarum novas claſſes inſtituendo, ſed ſucceſſive interne experientia & obſervatione a plebe & animalibus docendis, de quibus inter ſcribendum mihi incidit, quod Fringillæ ſpecialiter & extreme delectentur, & inde laſciviant, canantque, ſemine *Lithoſpermi majoris*, ita ut in locis circa Viennam, ubi in Brader & Tabor inſulis ſic dictis copioſe creſcit, vix herba illius inveniatur, quæ non illarum excrementis eſſet ſpurcata, quod autem ſeminis hujus doſis ad ſcrup. 1. drachm. ſ. vel 1. pulveriſata & contra febres intermittentes paulo ante paroxiſmum, vel in principio ejus propinata, bisque vel ter repetita, febres dictas curet, non ita pridem mihi ex ſua experientia communicavit Excellentiſſimus & ſolida praxi medica clarus D. D. Proski, quas vires nullibi adhuc evulgatas ſcio. Sicut etiam quod viliſſima Parietaria majore virtute alexipharmaca gaudeat, quam omnia alia hucuſque nota, præcipue ſpuria Pharmacopæarum totius Germaniæ Galega.

68. Ex nulla autem cauſa alia utiliſſimam hanc ſcientiam hucuſque tam neglectam eſſe puto, quam ob illius adhuc teneram, a tempore ſcilicet Romanorum Imperatoris Maximiliani II. ad nos uſque ætatem, qua excoli incepit, ſæpiſſime vero bellis, præcoce morte Mæcenatum &c. iterum interrupta, poſtea vero ab unius ejusdemque Authoris Methodici diſcipulis ex eadem cauſa non ſatis continuata, exculta & excocta; vix enim unus alterve, v. g. Tournefortius & Rivinus ſoli, opus pium ſuum & utiliſſimum inceperant, ſurrexerunt iterum alii novitates amantes, ſententias antiquas evertere conantes, in meris tamen generalibus & ſolis claſſificationibus ſemper perſiſtentes, ad ſpecies ultimas non deſcendentes, cum ipſis ſuis Authoribus certo iterum brevi etiam plane perituras.

69. Sola etiam difficultas ſumma ex principiis Tournefortianis cognoſcendi plantas (qui opus tamen multis aliis accuratius & magis quo ad ſpecies completum ſcripſit) cauſæ tam profundæ ignorantiæ apud plurimos Medicos in Botanica eſſe videtur. Clarius quidem & multo accuratius fuit ſiſtema Rivinianum, ſed viribus, ſumptibus, & ætate exhauſtus, in Plantis Flore Perfecto Simplice Irregulari Hexapetalo ſubſtitit: potius Pentapetalo, quoniam ordo 6lorum poſthumus eſt.

70. Ruppius quidem unus ex primis auditoribus Rivinianis Induſtriam Rivinianam in ſua Flora Jenenſi ſatis continuavit, & ad ſpecies etiam ultimas ſolus deſcendit, ſed non omnes, plurimasque plantas exoticas præterivit.

71. Tournefortiana Methodus etiam ob cauſas dictas 9. & 26. pro cognitione facili plantarum inſufficiens eſt, & valde dubia, Riviniana exacta, clara, & perſpicua quidem, ſed ad infimas ſpecies necdum perducta & continuata, & licet illa abſoluta eſſet, cum vehementer memoriam aggravet, illamque parum juvet, meam præſentem emendatam & auctam ex Tournefortiana & Riviniana compoſitam, additis ſimul ſupradictis compoſui, tam claram, facilem & perſpicuam, ut quilibet lingua latina parum tinctus quamlibet plantam obvenientem absque memoriæ multo labore & onere noviſſe poſſit.

72. Continet vero omnes hucusque ab omnibus Botanicis detectas plantas, & præter Tournefortianas, Ruppianas (nam Flora Jenenſis baſis erat prioris Tentaminis) etiam neo-detectas Cl. Dill. in ſua Flora Giſſenſi & ſplendidiſſimo opere Elthamenſi, Mikelii, quas D. Popovitſch digeſtas communicavit, Boerhavenianas, Buxbaumii imo Linnæi pluresque ex Plumier & Feuille continet, ſed non omnes, quia horum ultimorum deſcriptiones mancæ valde ſunt, neque ſatis claræ, an illorum plantæ ſint Herbæ, Frutices, vel Arbores; has vero facile ſupplebunt Caroli Linnæi Genera nova, quæ omnia his etiam Tabulis, paucis exceptis, ſequentibus inferius, recenſentur.

73. Addidi etiam terminos botanicos technicos, non omnibus notos, a me, ut plures lectione Botanicorum non ſatis tincti neque exercitati credidederunt, non fictos, ſed ex variis Botanicis collectos, & ordine alphabetico digeſtos, & quidem numero majore, quam in priore editione, ita ut ad utiliſſimæ Botanices incrementum nihil amplius deſit, quam major diligentia & amor ſive cupido noſcendi plantas, hancque meam methodum intelligendi & diſcendi, ut dexteritas acquiratur, plantam quamlibet obvenientem, ſive potius hujus nomen proprium in Tentamine hoc meo inveniendi.

74. Quomodo autem hoc fieri poſſit & debeat, etiam Botanophilum docebo, & conſiſtit in eo, ut primo Tabulæ pangantur theca plicatili, ad excurſus botanicos apta & coriacea ſive

etiam

etiam ex Pergameno abſque Præfatione, ut levis fiat. Secundo ut has Botanophilus rus vel in hortum excurſurus ſecum portet, & tunc ſi herba florens occurrit, Florem judicet ſecundum leges ſupra dictas, an ſit Perfectus vel Imperfectus, ſimplex vel compoſitus, Regularis vel Irregularis, quot petala habeat, & ad quamnam figuram Tournefortianam accedat, quot & quænam ſemina ſequantur florem, nuda, an capſula tecta, quali & quotuplice vel pericarpio vel bacca, an flos hic ſit ſitus in ſummitate, aut ad foliorum alas, ſive latera mihi dicta, an ſit ibi ſolitarius, vel ſociatus vel confertus &c. omnibus his perſpectis & caute judicatis, v.g. Herba Flore perfecto ſimplice Regulari Pentapetalo bifido Plano in ſummitate ſparſo vel ſociato ſeminibus tectis capſula ſimpl. recta, quærat talem titulum in tabulis, v.g. pag. ſive Tabula 39. & videat ibidem, quænam ſuæ herbæ, flori & plantæ manibus tentæ ulterius conveniant, an calix ſit quinfidus, an folium herbæ ſit 1mo gramineum, vel 2do *Tunicæ* ſimile, vel 3tio anguſtum, breve, ſucculentum, una cum caule ſcandente, vel 4to latum, longum & mucronatum, vel 5to ovatum, craſſiuſculum, ſive ex lata baſi oblongum, aut 6to Serpilliforme: Si primum congruat, eſt ſcripta & vocabitur tua herba *Alſine pratenſis gramineo latiore folio* T. cujus capſula ibi globoſa & pellucida a me obſervata annotatur pro tua confirmatione, ut ideo ſpeciale mereretur nomen, neque *Alſines* ſpeciebus accenſeri recte poſſit. Si 2dum congruat, tunc herba tua vocabitur *Alſine pratenſis anguſto gramineo folio* T. Si 3tium, herba tua eſt *Alſine ſcandens anguſtiſſimo ſucculento folio* mihi, ab alio necdum deſcripta. Si 4tum, tunc herba eſt & vocabitur *Alſine longifolia in uliginoſis proveniens* J. B. Si 5tum, & folium eſt glabrum, caulisque ſcandens, eſt *Alſine altiſſima nemorum* C. B. Si vero folium ſit hirſutum ſive villoſum, caulisque non ſcandens, vocabitur *Alſine montana latifolia flore laciniato* C. B. Si Serpilliforme eſſet folium, tunc eſt *Alſine media* C. B. &c.

75. Si Frutex aut Arbor eſſet planta occurrens flore & capſula 74. dictis gaudens, tunc Botanophilo quærendum eſſet inter Frutices & Arbores, & dum ibi talis titulus non proſtat, concludendum ipſi eſt, quod planta ſit neo-inventa, & a nullo Botanico adhuc obſervata, neque deſcripta, & ideo a Botanophilo ſecundum characteres debitos vocanda primo, ſcilicet *Alſine fruteſcens*, ſive ſi arbor eſſet, *arboreſcens*, & ſic etiam vice verſa, ſi herba eſſet, characteres fruticis vel arboris cujusdam, nullius vero herbæ in Tabulis habens, fruticis nomine convenientis appellanda eſt.

76. Ut autem Botanophilus de tali planta dicto modo inventa in Tabulis magis confirmetur, & certior fiat, quod ſic appelletur, ſic domi illam quærat in Raji hiſtoria plantarum, & plantam ſuam cum integra deſcriptione quoad caulem, folia, radices, ſaporem &c. conferat, & ſic lætabitur in ſinu ſuo, quam facile Botanophilus omnem & quamlibet plantam invenire & melius nomine ſuo proprio nominare & noviſſe poſſit, quam multi imo plurimi Medici. Stante vero pede plantam inventam cum deſcriptione Rajana conferre etiam poterit, ſi opus dictum Rajanum craſſum, magnum & ponderoſum in excurſibus ſuis botanicis ſecum portari curare poſſit, commodius vero, ſi plantæ vulgares prioris Tentaminis, vel Ruppii, in octavo, ordine alphabetico deſcribantur, & in excurſibus botanicis ſuæ deſcriptiones ſecum portentur, quæ tam laborioſæ non ſunt, ut prima fronte videntur; bis enim illas propria manu peregi, & libellus ex charta tenui in octavo majore craſſitiem pollicis non excedit.

77. Quotuplex autem capſula ſit, & an ſemina ſint nuda, facile apparet, dummodo planta aliquot dies jam floruerit, aut quando flos ſuſpenſa manu abruptus eſt, fructusque microſcopio mediocri conſideretur, an ſemina nuda adſint, aut capſula, quæ capſula tenerrima licet acuto cultro poſtea transverſe diſcinditur, etiamque ope microſcopii viſitatur, & tunc mox apparet, an ſit vel ſimplex, vel partita in loculos, & in quot loculos ſit diviſa: præcipue & clariſſime in fere maturis & plane maturis.

78. Benevolus lector nunc judicet, an alia facilior commodiorque magisque naturalis methodus cognoſcendi plantas excogitari poſſit, & aliorum methodi idem poſſint? an injurii illi non ſint, qui in ſuis criteriis dicere non erubeſcunt, quod methodus hæc nil novi contineat, id eſt nova non ſit; totam novam non eſſe, ſed principiis fructificationis plantarum Rivinianis & Tournefortianis niti, concedo: ſed ſitum numerumque florum ab omnibus Botanicis, ipſisque Criticis, neglectum, tantæ utilitatis in Botanica eſſe, ante me perſpexit nullus, multo minus ad cognitionem plantarum tam facilem adhibuit. Blateravit etiam Criticus durior de Tabulis, quod Tabulas botanicas conſtruxerim, & alii, quod etiam alii veluti Rivinus, Rajus, & ante hos Bernardus Valentinus Tabulas botanicas conſtruxerint; ſed aut non intelligunt Tabulas, aut veritatem fugiunt; ſcio enim Tabulas Rajanas, Rivinianas, Valentinianas, & Ruppianas, ſed generales ſunt, neque ultra ſumma genera diviſæ, meæ autem ſunt ſpeciales, imo ſpecialiſſimæ in ſpecies uſque ſubdiviſæ, quæ quantis laboribus conſtent, nullus intelligit, quam qui onus tulit, opusque perfecit. Dixerunt etiam quidam, quod

quod prioris Tentaminis methodus etiam aliis, quam fructificatione, fundamentis nitatur, & ideo hæterodoxam dixerunt. Sed veritatem aut non dixerunt, aut non intellexerunt: mera enim nititur fructificatione cum fructificationis modo, numero, tempore, loco, ſitu &c. quæ omnia iſti præcipites reformatores & Critici negligunt.

79. His præmiſſis, irritatus & a duro quodam Critico, ne quidem de mortuis bene loquente, provocatus jure merito etiam de illius methodo, ut credit, nova meam ſententiam ferre poſſum, eſt autem minime etiam nova, parum diverſa a Linnæana; Linnæus enim rem adeo abſolvit & ita exhauſit, ut vir hic ſuo labore facile ſuperſedere potuiſſet, eoque tota reſpublica literaria facile carere. Ante Linnæum vero Camerarius & Grev. jam ante Rajū, uti in Hiſtoriæ plantarum ejus præfatione ſive potius introductione capite de ſtaminibus apparet, ſimillimas theſes de ſtaminibus ſive apicibus eorumque ſpermatificatione foverunt, poſt hos Clar. Dillenius in ſua Flora Giſſenſi non raro easdem cogitationes prodit, præcipue & clariſſime in titulo de ſuo Dichotophyllo aquatico, poſt hunc etiam paſſim in ſuo indice plantarum Horti Elthamenſis, & aurea Hiſtoria Muſcorum, item paulo ante hunc Vaillant Medicus Pariſienſis, item Boerhaven, quorum plumis veſtitus in publicum proceſſit durus & mordax Criticus.

80. Conſiſtit autem dicta methodus in numeratione & æquatione ſtaminum cum laciniis vel petalis florum, ſive calicis ſive calice nudis floridis ſtaminibus, qui ſtaminum numerus, ſi cum petalorum vel laciniarum numero fl. ſit æqualis, plantam vocat Icoſiſtenen, ſi duplo plures, aliter: ſi 3plo plures, iterum aliter, ſic etiam deinceps; donec ſtamina numeroſa figuram quamdam faciant, veluti in Malvæ floribus, item in floribus Granadillæ &c. ubi plantas iterum aliter vocat, addit his pro ulteriore ſua diviſione fructus florem ſequentes, an & quot ſint ſemina nuda, aut an tecta ſint capſ. pericarpio, aut bacca, quali & quotuplice: his ulterius addit, ſaltem in illis, qui nobis ſunt flore imperfecto, a fructu non remoto, aut remoto in eadem planta, aut tota planta, ſexum, & ſic ſexus vegetabiles ſive plantarum, mares ſcilicet & fæminas, cum antiquiſſimis Botanicis ſtatuit.

81. Parum autem aut nihil ipſius refert, an flos plantæ habeat 4. 5. vel 6. vel plura petala pro conſtituenda quadam plantarum ſpecie, dummodo numerus idem ſtaminum cuilibet ſpeciei congruus & naturalis congruat cum numero petalorum ſive laciniarum, ſpecierumque facies ſive Habitus externus inter ſe.

82. Stamina cum apicibus ſive & apices aut ut illis placet, antheræ vices & officium idem quod flos agit, habere, probabile eſt ex eo, quod plurimæ plantæ tam graminifoliæ, quam non graminifoliæ ſolis ſtaminibus vel ſolis apicibus, omni flore deſtitutis, floreant & fructificent, rarus autem flos detur fertilis v. g. Bryoniæ, absque ſtaminibus vel apicibus, & raro fructus ullus in planta ulla fiat absque ſtaminibus vel apicibus: fluit inde recte, quod ex horum numero & figura tam primaria, id eſt, ſua propria, eorumque apicum, quam ex ſecundaria, quam plura in eodem flore coagmentata faciunt, Methodus ſatis utilis deſumi poſſit, magis tamen Theoriæ ſpeculationi utilis, quam Botanicæ practicæ, quæ ſtricte regulas tantum tradit, plantarum ſpecies cognoſcendi, & a reliquis clare & facile diſtinguendi, quod Methodus iſta plane impedit, imo magis confundit, quoniam

83. Plantæ plurimæ ſtaminum, numerum æque, ſi non frequentius, ac petalorum mutant, teſtibus generibus plantarum Linnæi paſſim. Secundo Flores tam puſilli plurimi dantur, ut vix nudo oculo perſpici poſſint, illorum autem ſtamina tam exigua, & intra florum tubulos tam puſillos tam profunde latentia, veluti in Echioide Riv. Androſace, Taraxaco &c. ut longe minus nudo oculo conſiderari & numerari poſſint, ad ea itaque opus ſunt microſcopia, quæ valde incommoda, in regionibus plurimis Orientalibus & Occidentalibus, ſi unum, vel 2. vel 3 perdideris, irrecuperabilia, etiam a botanicis regulis prohibita, quia botanica ſigna ſenſibus clara & manifeſta, prompta, faciliaque mandat. In Floſculis Locuſtæ Riv. & Cruciatæ absque reſpectu laciniarum numeri Antherarum numerus in eadem planta eſt maxime varius, non raro plane nullæ Antheræ in floſculis dictis adſunt, iidemque floſculi non raro etiam omni piſtillo carent, & tunc nihilominus fructiferi ſunt, id eſt, fructui gemello inſident. In Ranunculi Ceratophylli floribus necdum explicatis ſemina jamjam præmature protuberant, antequam apices ſtatum ſuum ſunt adepti, pollinemque fundunt. Mercurialem ſeminiferam ſæpiſſime jam ſeminibus gravidam vidi in Majo, antequam ulla florida flores ſuos protulerit, & aperuerit. Omnium florum mirabiliſſimus mihi videtur Belladonæ flos, a nemine adhuc deſcriptus; hic enim præter 5. ſtamina longa curva, apicibus orbicularibus prædita etiam mirum habet piſtillum, florem bilabiatum ſucculentum effigiantem, cujus galea & barba eſt integra, totus autem valde fragilis, & fugax, e media barba 4. vel 5. ni fallor, porriguntur breviſſima & capillaria ſtamina, minutiſſimis apicibus donata; quænam itaque ſtamina ex his duabus ſpeciebus diverſis fructificant? quas numerare habebit Tyro? hæc mea, aut quæ Tournefortius depingit?

84. Eſt etiam hæc methodus Botanicæ practicæ plane impoſſibilis & intollerabilis, quia ſpecialem plantarum cognitionem impedit; abbreviat & compendifacit quidem plurima ſumma genera, eaque ad valde exiguum numerum reducit, ut pauciora plantarum nomina maneant Botanophilis notanda, ſed ſpecies deinde ita accumulat, ut vix ulla clara & diſtincta ſubdiviſio & notio illarum fieri poſſit, ſaltem nunquam tam fluxilis, facilisque & tam diſtincta, ſicut in mea methodo, & ſi fiant & fieri cogantur, ſpecierum denominationes tam longæ fient, ac Moriſonianæ ſunt, quas Rivinus tam emphatice exploſit, & ad praxin Medicam inutiles jam diu probavit. Taceo confuſionem, quæ ex novis nominibus absque ſynonimorum additione fit, præcipue Bauhinorum & Raji, abſque quibus omnia nomina muta & inintelligibilia ſunt.

85. Eſt etiam ſumme periculoſa tam Reipublicæ Chriſtianæ, quam ipſis hujus methodi Patronis: dum enim plantarum ſexus, coitus, matrimonia, adulteria, fornicationes (reliqua ob caſtas aures nominare nolo) aperte & a Deo expreſſe creata, & ideo naturalia ſive in natura fundata, ſtatuit, Botanicam caſtiſſimam alias & innocentiſſimam, pueri, adoleſcentesque hac methodo doceri nequeunt, quin non in ſummam petulantiam, laſciviam, periculumque ſummum ſuæ ſanitatis & totius Reipublicæ præcipitentur, aut ſaltem peſſime ſeducantur a ſanctiſſimis revelationibus Divinis Chriſtianis.

86. Plura addere modeſtia vetat, cenſuraque inhibet mihi, alias cenſuras duri Critici, erga vivos & mortuos amicos maxime impii, de pauciſſimis bene loquentis, audaciſſime perſtringere & retorquere non timerem. Cauſam autem contra plantarum generationem latius deductam vide infra.

87. Poſt hæc quorumdam Clariſſimorum virorum monitis & criteriis publicis de primo meo Tentamine publice datis, eodem, quo hæc dederunt animo, pro incremento nobiliſſimæ Botanicæ ſatisfacere teneor, ex quibus potiora ſunt, quod

1mo: Præſtaret, ut Tabulæ menſtruæ in unam Tabulam generalem contraherentur, & ſubdividerentur omnes plantæ in una continua ſerie ſecundum ſuas debitas claſſes, quoniam menſtruæ tabulæ Tyronibus eſſent obſcuræ & difficiles, neque climati ſupra 60. gradum elevationis poli conſtituto, congruerent, & in eo exerceri poſſent.

2do: quod florum petalorum numerus in plurimis plantis ſit inconſtans & variabilis, & ideo pro infallibili ſigno diagnoſtico plantæ accipi nequeat.

3tio: quidam plane publice accuſarunt, quod plantarum ſpecies diſtraxerim, disjunxerim, nova genera plura ſtatuerim, a nemine niſi a me acceptata, aut recepta.

4to: Alii Tabularum majorem claritatem deſiderarunt, priores Tabulas plane non intelligentes.

5to: Plures invecti ſunt in terminos Tabularum technicos, eosque barbariſmi arguerunt, aut a me fictos dixerunt.

88. Primis reſpondeo, quod nunc ſecundum deſiderium illorum ex inſtinctu amici, amoreque in Botanicam, & ob parvam vocationem ad Botanicam hic docendam, in Tabulis generalibus prodeant omnes plantæ, quotquot hodie notæ ſunt, & quidem ſpecialiter omnes ſupra 72. memoratæ, aſt non ſine magno labore multoque tædio, quanti me quondam in primo Tentamine & inter laborem actualem ſæpiſſime tæduit & piguit, non ſine multis ſuſpiriis & vigiliis, lucubrationibusque: quod autem priores Tabulæ climati ultra 60. gradum elevationis poli conſtituto non quadraverint, facillime credo: veniam autem ab ipſis peto, candide dicendi, quod pro talibus regionibus non ſcripſerim, eoquod ex Cl. Linnæi Flora Laponica conſtet, quod dictæ regiones plantarum ſpeciebus pauperes ſint: de reliquis vero climatibus ex fideli ſedulaque obſervatione & experientia aſſeverare poſſum, quod Tabulæ primi Tentaminis menſtruæ exactiſſimum uſum habuerint in tota Germania, Bohemia, Ungaria, Thracia, Sclavonia, Servia, Wallachia, Bulgaria, & Tranſilvania, in quibus regionibus omnibus 1736. & 1737. authopta fui, laudareque poſſum Wallachiam, quod hæc Provincia omnibus plantarum ſpeciebus ſit locupletiſſima, præcipue vero pulcherrimis ſpeciebus *Croci vernalis* ſpontaneis abundet, in Martio præcipue florentibus.

89. Addo his, quod etiam Tabulæ priores menſtruæ in dictis regionibus uſum ſuum accuratum habere poſſint, dummodo Botanicus iis recte uti ſciat, memineritque, quod dictarum regionum climata ſint ſimillima climati noſtrarum alpium germanicarum in Auſtria, Styriaque &c. in quibus ver in Julio incipit poſt nives a ſole deliquatas, quod in fine Auguſti e cœlo iterum jam cadente copioſa nive finitur, absque ulla ſuperveniente æſtate & autumno, & ex hac ratione Cluſius ſuas herbas alpinas, v. g. *Gentianellas* vernales vocat, licet illas in Auguſto florentes deprehenderit, quia, ut recte addit, tunc ibi ver eſt: Et dum nix deliquata eſt, ſtatim intra unam noctem, ubi ante ultimam mera adhuc nix fuerat, tota terra eſt floribus referta & herbis germinantibus, quod Hiſtoria naturalis etiam de Laponia tradit. Tunc in his caſibus Tabulæ menſtruæ in quotidianas, aut

ſeptima-

ſeptimanales, ſaltem intentionaliter & mentaliter, dividendæ ſunt, & tunc etiam ibi iis commode & facillime uti poſſumus.

90. Quod petalorum numerum plantæ varient, concedo, ſed pauciſſimæ earum ſunt, ita tamen, ut monopetalæ nunquam compareant polypetalæ, & hæ viciſſim nunquam monopetalæ: quæ florem polypetalum numero petalorum variant, non ſunt aliæ, quam *Tormentilla* & *Philadelphus* ex 4lis flore 5lo variantes, ſed nunquam uniformiter & omnibus floribus ſuis in eadem planta, ſicut etiam *Ruta*, & paucæ aliæ ex Anémones, Nemoroſæ &c. ſpeciebus fl. 5lo & 6lo & polypetalo variantes, & ideo a me ubique repetitæ, ut Tyro illas inveniat in Tabulis, ſub quacunque forma ipſi occurrentes: Ex bilabiatis quædam ſimiliter galea crenata & non crenata, barba varie partita variant, ſed tam paucæ & raræ, ut illas in Tabulis ubique annotare & repetere ex eadem ratione facile potuerim, aſſeverareque poſſim, quod Antherarum numerus æque, ſi non ſæpius, ac petalorum in floribus varietur.

91. Plantas autem a me diſtractas fuiſſe, ſcilicet extra ſuas cognationes, & characteres, falſo halluccinatur acerbus quidam Criticus aut potius Scepticus, ubique enim ſtant inter ſuos congeneres & affines, ſub eodem ſemper titulo & claſſe debita, hoc autem non eſt diſtractio, ſed prout ex natura ſua ſingulo menſe florent, recenſio & partitio, iisdem ſemper ſignis & characteribus notatarum, & ſuis domibus fixarum, Plantarum nova genera quinque a me facta aperte fateor, idque ex inſtinctu legis a meo Anteſignano Rivino datæ, & dictantis, quod quæcunque plantæ flore vel fructu vel ambobus ſimul differunt, differant etiam ſpecie, reliqua aliorum ſunt, ſc. & potiſſimum Cl. Dillenii, quæ ex gravi ratione etiam in his Tabulis retinui, quia plantarum ſpecialem cognitionem valde juvant, eamque longe magis, quam idolatrica & barbara recentiorum muta nomina ab hominibus ſumpta, reliquas omnes antiquis claſſibus reſtitui, cujuslibetque plantæ nominis authorem initialibus nominis literis addidi, veluti Riv. Cl. Dillenii, Rup. T. id eſt, Tournef. C. B Caſp. Bauhini, J B. Joan. Bauhini, Bxb. Buxbaum, Mickelii, Knauth, Ln Linnæi &c. quod iterum proba eſt, hanc methodum magis naturalem eſſe, quam ullam aliam; poſſe enim quamlibet plantam occupare locum ſibi convenientem, retento omni nomine ab antiquiſſimis dato, ut ſcilicet illarum hiſtoria inveniri poſſit, quam recentiorum nomina muta impediunt & turbant.

92. Illos, qui Tabulas non intelligunt, juvare non poſſum, ſed rogo tantum eos, ut Præfationem ſive Introductionem hanc aliquoties legant & relegant, una cum Tabulis, & ſi vocabula quædam technica illis obſcura occurrant, ea quærant in vocabulario & notent, ſic brevi intelligere diſcent Tabulas; nihil enim intellectui humano clarius eſt, quam propoſitio & demonſtratio tabularis.

93. Qui terminos technicos a me fictos credunt, ignorantiam ſuam produnt, quod multos Botanicos non legerint, ideoque illorum ſtylum & verba neſciant; nullum ego terminum finxi, ſed ex Authoribus claſſicis ipſemet ſicut apis collegi, & in hac editione plerumque ſingulo ſuum authorem addidi; an barbari ſint aut non barbari, mea parum refert, neque illorum eſt judicare, ſufficit, quod rem more & jure recepto breviter explicent, & ut diſcant, neceſſe ſit; tota lingua latina fere eſt impura & græciſat, neque verba ſufficientia habet ſibi propria in foro civili, teſte ipſius Ciceronis oratione quadam, multo minus in aliis foris ſcientiarum, Romanis antiquis ignotarum.

94. Cæterum tacere nequeo, quod elapſo anno 1742. cum ſupra ſæpius laudato Eruditiſſimo D. Popovitſch ſæpius in agrum noſtrum Viennenſem excurrerim, atque cum ipſo præfato Domino, qui antea alpes omnes Styriæ inferioris Carinthiæ vicinas pervagatus fuerat, agnoverim, quod ager iſte præ omnibus Germaniæ agris reliquis ſit omnibus plantarum generibus ditiſſimus, præcipue autem mirabamur, quod Caroli Cluſii plantæ adhuc ibidem floreant & vigeant, ubi ille illas ante 172. annos obſervaverat: præcipue vero mirabamur, quod vallis illa in pago Döblin ſuperiore, pratum Judicis dicta, ſtatim infra vineam Monialium Thulnenſium ſita, uti etiam ager & prata extra Dornbach ſita, omni genere plantarum etiam alpinarum abundent, ſinguloque menſe novas producant herbas alibi rariſſimas; mirabamur etiam valde, quod fere omnes ſpeces, alibi rariſſimas, *Heſperidis* proferat: quod Plantæ alias nullibi, quam in ſummis alpibus creſcentes, plerumque etiam ſimul in vallibus creſcant proximis, ex ſeminibus ſcilicet imbribus & ventis ex montium cacuminibus eo raptis, & plura alia, ob quæ doleo, quod Eruditiſſimus hic Botanicus ſtudium ſuum botanicum hodie, neſcio, an ex proſpero, an ex ſiniſtro fato, tantiſper ſeponere fuerit coactus.

95. Amor interea gaudiumque in amborum animo inſurrexit bis, terve, Alpes aliquot Auſtriæ niveas viſitandi, præcipue illas non procul a Neoſtadio ſitas Breininas, quod nomen Eruditiſſimus Vir ex ſua Etymologica, & plurium linguarum ſcientia, derivat ex antiquiſſimo

 idiotiſmo

idiotiſmo Celtico, & dicit, jam in Tacito inveniri, ſignificareque regionem montoſam, ideoque Tacitus in ſuo Tractatu de Germanis & eorum moribus, jam loquatur de montibus Breininis Tyrolis, montes itaque Breininos noſtros Auſtriacos, eorumque alpes, in quorum cacuminibus multa prata uda dari dicuntur, & probabiliter *Arnica*, Auſtria noſtra adhuc, quantum conſtat, exul, creſceret, ſicut in montibus Bohemiæ Miſniæ vicinis, viſitare in animo noſtro habebamus, ſed Deus iter ad annum 1743. ſuſpendit, in quo alpes Breininas, Faginas Styriæ, & harum maximas Niveas vulgo Schneeberg, viſitavi, ibique obſervavi quidem varias herbas alpinas, quas plerumque Cluſius jam deſcripſit, quædam tamen novæ ſunt, quas Cluſius non recenſuit; *Arnicam* tamen necdum inveni, quia prata ibi non hument, ſicut in monte Vulturino Bohemiæ, & in alpibus Wexel, ubi creſcere dicitur a Cluſio, illas autem necdum viſitavi: *Lycopodium* inveni in ſylvis montanis Breininis, ſed ſparſim creſcens: obſervavi etiam, quod pauciſſima gramina in alpibus noſtris creſcant, meræque & copioſæ herbæ, inter quas numero ingente excellunt reliquas *Napellus fl. cæruleo* : *Doronicum latifolium* Cluſ. *Alchymilla*, *Doria vulgaris*, vulgo *Conſolida Sarracenica*, *Chamærhodendros alpina foliis villoſis* T. ob flores regulares cum Linnæo potius *Azalea* dicenda : *Polygaloides* Cl. Dill. *flore luteo*, *Geum Saxifragæ folio*, item *folio oblongo ſerrato*, *Caryophyllus montanus fl. majore* J. B. *Lychnis muſcoſa montis Baldi* Ponæ, *Lychnis flore albo caryophyllæo* vel *repens folio viridi* Cluſ &c. rariores in aliud tempus differo. Notabile eſt de his alpibus, quod Nivea ſit omnium altiſſima, cujus apicem nemo ante 8. horas pedes attinget, ad reliquarum cacumina intra 5. vel 6. horas pedes pertinget, ubique in illarum rimis toto anno copioſa nix eſt, qua deliquata, per artem, pro boum hauſtu in Breininis, ex defectu alius aquæ utuntur, & ideo de nocte frigent valde, ut Botanicis pernoctatio ibi fiat periculoſa, veſtesque, tempeſtate præcipue pluvioſa, pelleas neceſſe habeant. Niveam frugalitate herbarum præcipue, uda amantium, alpes Wechſel & Hoſpitalenſis, ad Simering montis ſiniſtram in confiniis Auſtriæ, Styriæ & Ungariæ ſuperant.

96. Sperabamus etiam fore, ut ibidem *Lycopodium* copioſum inveniam, quod hucuſque ab exteris quæſitum eſt, licet copioſiſſime id creſcat in omnibus pinetis circa civitatem Celejenſem, ubi etiam circumquaque in ſaxis montium *Ceterach* officinarum copioſiſſime creſcit : Mirum nobis etiam fuerat, quod ager Viennenſis nullam proferat *Herniariam*, quam ſæpius in oculorum caligine neceſſe habueram, cujus ratio alia non eſt, quam quod *Herniaria* ſolum arenoſum amet, ſolum autem Auſtriæ longe lateque circa Viennam ſit pingue & valde fertile; certum tamen eſt, quod circa Græcium in Styria copioſe creſcat: ante plures annos etiam illud memorabile obſervaveram in agro noſtro, quod fere eædem herbæ in agro noſtro creſcant, quas Botanici Pariſienſes, præcipue Vaillant, in ſuo agro obſervarunt, de quibus forte proxime plura & ſpecialiora.

97. Ultimo monendus eſt Botanophilus, quod methodo ſupra laudata ipſi incipiendum ſit, diſcere & cognoſcere plantas tanquam certa & infallibili regula, & ideo plantam ſemel cognitam ſibi bene notare, memoriæque imprimere, quod ut facilius & quaſi ludendo fiat, ideo Tyro herbarium vivum ſibi ſtatim in principio ſuæ diſciplinæ incipiat & infra mox docendo modo curet, ſic cum unam eandemque plantam collectam & ſemel notam toties, ut infra dicetur, manibus in chartam bibulam transferre habeat, & inter hunc laborem ſæpius attente conſiderare, ne perdat aut deſtruat, plantarum notæ memoriæ ſuæ adeo imprimentur, ut quamlibet plantam ſemel ſic præparatam ſtatim absque omni flore & fructu Tyro noverit, licet ex terra ſæpe vix medium folium plantæ fuerit exſertum.

98. Celebris Laurembergius ſpecialem jam diu edidit Tractatum de modo præparandi herbarium vivum, quem nunc ad manus amplius non habeo, ideo modum recenſebo, quo toties laudatus D. Popovitſch pro ſuis herbariis vivis uſus fuit, quem Botanophilus cum Laurembergiano conferre, & ad lubitum ſuum emendare aut augere poterit.

99. Eruditiſſimus dictus Vir habebat & portabat rus excurſurus ſemper ſecum thecam quamdam ligneam, ex 2. tabulis conſtructam, quarum quælibet conſtabat ex 2. lamellis ligneis tenuibus abietinis ita conglutinatis, ut lamellæ inferioris fibræ transverſe fibras longitudinales ſuperioris decuſſarent, ne ſcilicet tabulæ facile curvarentur, aut plane frangerentur; quælibet tabula folio chartæ major ſupra & infra, ſicut etiam in latere anteriore habebat 2. eminentias, anterius capitulo ſive globulo compreſſo donatas, poſterius vero, ubi alias libri ligari ſolent, ambæ erant foraminibus utrinque numero æqualibus 12. vel 14. fere in margine perforatæ, per quæ filum craſſius alterne duxit, ſicque duas tabulas thecæ inſtar colligavit, ita tamen, ut filum hoc longius ſemper manſerit, quam pro 2. vel 3. libris chartæ bibulæ neceſſe fuerat, ut ſcilicet pro majore vel minore quantitate herbarum collectarum, neceſſariæque chartæ bibulæ theca ſemper proportionate laxari aut ſtringi potuerit: intra thecam 3. 4. vel 5. erat fila longitudinalia utrinque filis primis & ſupra decriptis trans-

verſis

verſis foraminalibus alligata, quibus libri chartæ bibulæ, aut hujus quaterniones ſuſtineri poterant: ſuperius aut poſterius aliud erat filum craſſius & fortius foramini uni marginali imo vel ſupremo alligatum, 4. ulnis longius, quo circa ſupra deſcripta capitula ſive globulos ducto tam charta, quam herbæ collectæ comprimi & occludi fortiter potuerant, iterumque cito & facile relaxari & recludi.

100. Huic thecæ plantas carptas recentes intra 2. folia chartæ ſtatim ita indidit, ut omnes plantæ partes fuerint debite explanatæ, flores ſcilicet partim lateraliter, partim parte averſa ſive calice, partim ſuperiore ſive facie ſua interna & ſtaminibus, ſiti & conſpicui; idem foliis peregit, quorum aliquot invertebat, ut dorſum illorum fuerit conſpicuum, obſervato præterea accurate omnium partium plantæ ſitu, quantum poſſibile fuit, naturali: plantas ſic inditas filo ſupra deſcripto, ſtringendo ſcilicet fortiter thecam, compreſſit & occluſit, alioque ad alias plantas perexit, idem his repetiit, domumque portavit.

101. Studuit præterea & omni modo cavit, ne charta bibula fuerit impura, nodis & quisquiliis durioribus inquinata; domum portatas plantas ſtatim eodem more dicto, ſed adhuc circumſpectius in novam chartam bibulam tranſtulit, & mediam partem caulis, fructus, radicis, imo etiam foliorum in nimis craſſis & magnis prius abſcidit, & torculari alto commiſit, easque primo mediocriter preſſit; hancque mutationem chartæ & translationem plantarum in novam chartam bibulam ſiccam ſæpius v.g. pro vulgaribus ſiccioribus quater, pro magis ſucculentis ſæpius repetivit, ſemper tamen ante effluxas ab ultima translatione, 12. horas, ne plantæ in charta humefacta ſitum contraherent, quod facile & citius fit, ſi primo lectæ plantæ diutius quam 12. horas in eadem charta relinquantur.

102. Poſt primam translationem plantarum, plantas mediocriter torculari preſſit, poſt ſecundam fortius, poſt tertiam & quartam fortiſſime; plane ſiccatas ſic herbas recenti chartæ bibulæ tandem indidit, & cum reliquo herbario vivo iterum continuo torculari preſſas continuit & ſervavit, ne aër liber, & *inſecta facile eas ſubirent, corruptionemque cauſarent*, aut ut *inſecta* ipſis plantis jam innidificata torcularis preſſione comprimerentur & enecarentur.

103. Magna mole chartæ bibulæ ipſi ad hunc laborem opus fuerat, quoniam ad imbibendum ſuccum plantarum preſſarum pro ſuccoſitate earum imbibenda & exſiccanda proportionatus & ſufficiens numerus foliorum chartæ ſingulæ plantæ interponendus eſt; Charta tamen poſt ſingulam herbarum translationem factam, eam in aëre libero ſuſpendendo bibliopegarum more, iterum ſiccari, & ad recentem uſum adhiberi poteſt.

104. Induſtrioſiſſimus & Doctiſſimus Vir plerumque integram plantam etiam cum radice ſua ſic præparaverat, & quando planta pro folio chartæ major fuerat, ille illam in partes tres vel plures folio chartæ proportionatas cultro diſcidit, & partes in eodem folio juxta ſe poſuit, & exſiccavit.

105. Ut autem radices effodere potuerit, non raro profundiſſime & inter ſaxa actas, ſicut etiam, ut flores & fructus ex altioribus & procerioribus arboribus, item ex aqua facile & absque multo labore carpere potuerit, proprio marte varia & ingenioſiſſima leviſſima tamen excogitavit inſtrumenta, & quidem primo pro effodiendis radicibus, ex chalibe optimo præparatum habebat inſtrumentum 1. pede paulo longius, & in medio pollice virili paulo craſſius, ſuperius erat mucronatum, inferius habebat cochlear non rotundum, ſed mucronatum & cordiforme ſive iſagonium oblongum, parum concavo convexum, manum humanam latum, forte & ad minimum in medio $\frac{1}{4}$. pollicis craſſum, verſus margines vero & mucronem extenuatum, & utrinque ſcindens: quo uſus eſt tam loco ſecuris in neceſſitate, quam & præcipue ad cito effodiendas radices, rimas faciendas in ſaxis, hæcque frangenda: hoc inſtrumentum, ſuam thecam ligneam, ſicut cochlearia vulgaria pro itineribus parata habebat, fibulis tamen & filis coriaceis tantum in ea firmandum, ut ſupra de theca dixi, hoc inſtrumentum ſub toga pendulum inſtar gladii penduli rus excurſurus ſemper ſecum tulit.

106. Ut flores, fructus, ramosque arborum proceriorum legere potuerit, baculum habebat ſemper botaniſans ſecum, qui loco globi ſive capituli in ſummitate habebat ex cornu vel ferro hamum, ſive uncum, quo ramos in arboribus humilioribus ad ſe trahebat, & ex iis, quæ deſiderabat, carpebat; pro altioribus autem arboribus, aut ex aquis, aliud inſtrumentum habebat ex chalibe præparatum & furcam anguſtam iſagoniam formantem, cui virga lignea ſupra deſcripto inſtrumento ſcindente cæſa, vita, vel cochlea, vel clavulo affirmari potuit, quo ramulum arboris floridum vel fructiferum amplexus fuit, girandoque abripuit, & deſiderata inde legit: potius furca fuit; quæ filo & trabe ferrea ductili & mobili comprimi ſive claudi poteſt, a longe ſecundum cannam ſive baculum, cui affixa eſt.

Hæcque pro introductione in rem Botanicam hac vice ſufficiant, plura ſcitu neceſſaria paſſim in vocabulario ſequente Botanophilus inveniet, præcipue phyſica, ſtructuramque internam plantarum foliorum, caulis & radicis, horum germinationem, vegetationem, & fructificationem, imo etiam curioſam culturam, naturali ſolo & climate cuilibet plantæ proprio inſignem hortulum &c. concernentia.

108. Ad finem properanti incidit adhuc aliud requiſitum Botanophilo neceſſarium, ad magis intimiusque penetrandam plantarum ſtructuram & naturam, ſc. primo ut Botanicus botaniſans nunquam ſit absque microſcopio uno alterove. 2. ut etiam ſtudeat anatomiæ partium plantarum, de qua præter Illuſtre Commercium literarum Norimbergenſe, hucuſque nemo clarius apertiusque ſcripſit, lectorque ibi inveniet admiranda exempla Sceletorum, ſic dictorum, vegetabilium, ſcilicet foliorum & pyri fructus, ubi horum vaſa, tubuli meri, clare patent oculis, quæ ab Illuſtri immenſa doctrina & ſedulitate viro D.D. Trew Archiatro Onoldino amico meo ad cineres uſque colendiſſimo, licet ſuo ex amore forte absque culpa exciderim, fuerunt inſerta, quæ quomodo præparentur, magis non recordor, quam quod maceratione in aqua tepida fiant, & ille, qui præparationem intelligit, aut ſcit librorum ſive Laburni Tiliæ &c. pro funibus, aut cannabis & Lini pro filis ducendis, brevi encheiriſes inveniet etiam plantarum partes hoc modo anatomiſandi. In Ephem. nat. cur. Dec. 2. ann. 5. pag. 285 Clauderus jubet, ut folia, radices &c. ſub æſtivo ſolis æſtu arenæ, libero aëri expoſitæ indantur, eaque obtegantur & unum alterumve menſem relinquantur, ſic ſpondet fore, ut veſiculæ, humores continentes exſiccentur, tubuli vero ſub ſpecie corporis reticularis pulcherrimi remaneant: ego non dubito, quin idem arte & foco, aquaque calida cum arena breviore tempore in culina aut laboratorio fieri poſſit.

109. Puto & ſpero etiam ex analogia, quod diverſæ partes vegetabilium teneriores certis inſectis v.g. formicis, Erucis, Bombicibus, tenerrimæ vero aſellis aut Thrypibus imo vermibus variis pro pabulo porrigi poſſint, qui tenerrimas partes erodunt & vorant, craſſiores & pro illis duriores, relinquunt, tanquam partes ſolidas majores, partem plantæ ſpecifice integrantes. An non etiam aquæ ſic dictæ ſtygiæ variæ, aut lixivia fortia & plus minusve concentrata ſimilia in quibusdam peragant, inquirere habent, & poſſunt juniores Botanophili.

110. Cæterum D. Popovitſch toties laudatus novam obſervationem communicavit, quam etiam ego obſervavi, hic non prætereundam, quod ſc. in alpeſtri aeris regione ſecunda Juniperus vulgaris noſtras foliis pungentibus amplius non creſcat, neque ulla amplius alia arbor excelſa, ſed harum loco Pinaſtri & Pini humiles, caule & ramis mire curvatæ, procul dubio a pondere nivis, & gelu nimis longo &c. ſicut etiam loco Juniperi vulgaris Juniperus foliis mollibus & non pungentibus baccas dulces ferens, gratiſſimam eſcam garrulis alpinis.

Termini Botanico-Technici, ordine alphabetico digeſti.

Acaulis dicitur herba vel flos, caule & ſcapo carens, ut *Carlina*, *Melocactos*,

Aciforme folium eſt, quod quantitate ſua acum vix vel non excedit, ut in *Pino*, *Picea*. 150.

Ala prædicatur de angulo illo, quem caulis cum ramo, aut ramus cum ramo, aut folio facit, eo in loco, ubi ſibi cohærent: in flore v. g. papilionaceo & *Orchidis* petala lateralia utrinque ſita inter velum & carinam, ſive inter galeam & barbam etiam alæ dicuntur. 67. 68.

Alatus caulis eſt, qui ſecundum longitudinem ſuam plerumque a folio ad folium folium unum aut plura longitudinalia, & a caule velut pinnas extantes habet, ut in *Carduis* & *Lathyris* plurimis. 166.

Angioſpermatica planta eſt ſemina ferens, tecta vaſculo vel fructu.

Apicatus flos eſt idem qui ſtilatus, dum floris petala obtuſa in medio ſupremo margine cuſpidem habent, veluti flos *Potamogeti* & *Melanthii*. 26.

Bimallus floris ordo in caule & ramis eſt, quando omnes flores in eadem planta, aut ramo duas ſeries formant, ſive duo latera reſpiciunt, ut in *Percepier*, ſpica *Hordei*, *Gladiolo Narbonenſi*, inde etiam dicitur ſpica bimalla, panicula bimalla a Scheuchzero paſſim in ſua Agroſtographia: hoc termino in hac editione non amplius utor, niſi in Agroſtographia, ubi illam corrigere me piguit, apud reliquas plantas vero loco illius voco talem ordinem diſtichum.

Bracteatus flos dicitur a Rajo, qui una cum figura, ſitu, odore, colore, numero &c. præcipue vero proximiore & fere plerumque immediata fructificatione a reliquis plantæ partibus manifeſte differt, econtra

non Bracteatus flos ſola figura & fructificatione a reliquis plantæ partibus differt, eſtque tota ſua facie calici floris tantum ſimilis aliquot ſtamina continenti cum apicibus, plerumque non deciduus, ſed vel in thecam vel ipſum fructum degenerans. ut in *Urtica*, *Chenopodio*. 85.

Calcar

Calcar floris dicitur illa pars, quæ velut cauda acuta poſterius & plerumque in fundo floris externe producitur, veluti in *Linaria*, *Viola*. 37. 38. 64.

Calix eſt illa pars plantæ, quæ immediate flori ſubjacet, eumque in baſi circumdat, & ante ſuam explicationem illum obvolvit, & contra injurias externas obtegit, in plurimis plantis figura ſola a reliquis partibus & ſitu dicto differens, in nonnullis etiam colore, & is eſt variæ figuræ, & monophyllus, 2phyllus, 3phyllus, polyphyllus, foliis in baſi nudus, vel obvallatus, ſquamoſus, non ſquamoſus, planus, cilindricus, globoſus, id eſt capitatus, glaber, hirſutus, villoſus, tomentoſus, ſpinoſus, lappaceus, ſquarroſus, viſcoſus, ſemper apertus, vel tantum cœlo ſereno &c. 3. 4. 14. 18. 69. 70. 72. 81.

Capitatus calix. videatur Calx.

Capitulum eſt figura florum, quam plures in eodem loco plantæ coagmentati formant, plerumque globoſa vel convexa & hæmiſphærica, vel oblongior & plus minusve cilindrica, quæ clava vocatur, aut capitulum clavatum, ut in *Dipſaco*, *Typha*, *Lagopo*. 85. 108.

Capreolus eſt pars plantæ ex caule, vel foliis, vel horum nervo medio prodiens tenuis & tortilis, qua planta proxima apprehendit & ſcandit, ut in *Piſo*, *Vite*. 116.

Capſula eſt vaſculum breve, per maturitatem exſuccum, ſemina plantæ continens variæ figuræ, & interne nullo vel pluribus loculis diſtinctum, idque vel perpendiculariter & cum valvis parallele, vel transverſe & decuſſatim, quando tale vaſculum externe nullas ſuturas oſtendit, dicitur avalve; ſi vero tales oſtendit, unam vel plures, ſic dicitur ab earum numero univalve, bivalve, trivalve &c. ſecundum numerum vero ſuorum loculorum ſive cellularum, dicitur ſimplex, 2partitum, 3partitum, 4part. &c. Si figura ejus ſit longior, vocatur ſiliqua, ut in *Lente*, *Piſo*, daturque ſiliqua poſt unum florem ſimplex vel bipartita, vel duplex, vel multiplex, ut in *Leucoo*, *Apocyno*, *Helleboro*, quæ triplex vel multiplex, id eſt, ex 3. 4. vel pluribus ſiliquis coagmentatis compoſita ſiliqua, a me cum Cluſio plerumque tantum capſula vel ſiliqua corniculata dicitur, ob cornua a ſiliquarum apicibus extantia. 87. 88. 89. 90 91. 92. 93. 97. 98.

Campaniformis flos dicitur, qui ſua figura campanulam refert, cujus differentia videatur in Præfatione in figura 1. 2. 3. 4. 29.

Carina dicitur parva navicula & barba ſive galea floris carinata dicitur, quæ ſua figura longiuſcula concavo convexa ſat lepide carinam effigiat, ut barba in flore *Helleborines*, aut imum petalum in flore papilionaceo, v. g *Piſi* fig. 56. 66.

Cariophyllæus flos dicitur, cujus petalorum margo extremus, vel undique crenis eſt inciſus, ut in *Tunica*. 23.

Caudex eſt pars lignoſa, dura, & maxima, fulcrum, & origo ramorum, foliorum &c. poſt radicem plerumque ingens, quantitate & pondere in arboribus, ſolo ferro, & nunquam ſola manus fortitudine a reliquis ſuis partibus ſeparabilis, & ideo tales plantæ caudicem habentes Frutices & Arbores dicuntur, & non herbæ. vid. Præfatio.

Caulis eſt pars plantæ immediate ex radice producta extra terram, reliquas plantæ partes veluti ramos, folia, flores & fructus ſuſtinens & nutriens, non durus & lignoſus, neque tam ingens ut caudex, ſed mollis & tenuior, & facilis ſola manu avulſu, qui ſi foliis veſtitur, dicitur in Tabulis caulis, ſi foliis ſit nudus, ut in *Tulipa*, *Taraxaco* &c. ſcapoſus vocatur. fig. 11. 96. 116. 120. 122.

Cilium & ciliata calicis ſquama dicitur, quando margines ſquamæ villorum ſerie quadam circumdantur, veluti in Jaceæ quadam ſpecie. fig. 162.

Circumflexus tubuloſus flos dicitur, ubi floris tubulus curvatur & iterum recurvatur, figuramque ferе format accentus græci circumflexi, ut in *Echioide* flore pullo Riv. fig 32. Racemus circumflexus etiam dicitur, ut in *Ciſſampelo* Rupii, quod hujus axis geniculatim & varie hinc & inde curvetur, & recurvetur.

Clava, Clavatum capitulum. vid. Capitulum.

Cochleata galea a Cl. Dillenio in ſua Flora Giſſenſi dicitur, item barba cochleata, quæ in ſuo medio cochlearis in modum eſt excavata, in margine vero ſuo eſt vel orbicularis, vel ovalis. fig. 49. Cochleatus etiam flos in Tabulis a me dicitur *Hermannia*, cujus petala ſuis in unguibus conchæ inſtar ſunt ſpirata inter ſe & contorta.

Coma vocatur ea ſummitas plantæ, quæ cum vel ſine floribus intermixtis pluribus foliis aut foliolis a reliquis plantæ partibus & foliis ſpeciali figura & ſtructura, & plerumque etiam colore diverſa cum floribus in capitulum vel ſpicam coloratam abit, ut in *Horminis*, *Melampyro*. Coma etiam dicitur, quando ſpicæ vel capitulo plura folia cotorata vel viridia inſident, ut in *Stæchade*, *Anana*, & ideo in Tabulis capitulum, vel clava, vel ſpica comoſa. fig. 107.

Confertus flos dicitur in Tabulis, quando plures flores quam 2. 3. vel 4 in eodem loco ſive internodio plantæ ſiti ſunt, vel etiam rami vel petioli florigeri ſunt virgati & ad ſe invicem quaſi appreſſi, ita tamen, ut nullam adhuc forment figuram, v. g. Muſcarium, Umbellam, ſpicam &c. fig. 103. 104.

Conus

Conus eſt fructus plantæ plerumque ſquamoſus, vel globoſus, vel ex lata baſi in accumen productus, & ſquamis ſemina obtegens. fig. 99.

Corimbus eſt florum plurimorum congeries globoſa vel ſemiglobofa, ut in *Opulo hortenſi*, major & laxior quam in capitulo, ob longiores florum petiolos, denſior tamen quam in Muſcario & Umbella, poſſet tamen Muſcarium globoſum aut ſemigloboſum appellari. fig. 112.

Crenatum folium. vide Serratum.

Crenatus flos eſt, cujus petala ſive laciniæ in extremitate vel etiam in toto margine crenas habent ſicut Serra, ut *Tunica*, *Ruta*. fig. 23. 24.

Criſpum folium eſt, quod marginis planitie eſt inæquale & undarum more curvum & recurvum.

Cucullatus flos dicitur, cujus ſuprema aut infima pars cucullum ſive caſſidem effigiat, ut *Aquilegia*, *Arum*, *Napellus*. fig. 43. 59.

Culmus eſt caulis herbarum graminifoliarum, aut arundinum cavus, lamellis interne vacuus vel farctus, una cum medulla ſpongioſa aliqua vel nulla, externe vero plerumque quibusdam nodis caule durioribus & ab eo diſcoloribus, protuberantibusque notatus & articulatus in plurimis, eſtque vel teres, ut in omnibus graminibus, vel triquetrus, ut in *Cypero*. fig. 120. 121. 122.

Dentatum folium eſt, quod in margine productiones habet longiores quam ſerræ dentes, ut in *Coronopo* &c. fig. 151.

Dichotomum folium, ramus, caulis vel planta Rajo & Cl. Dillenio eſt, quando caulis, rami vel folia binatim dividuntur & ſubdividuntur, ut in *Locuſta* Riv. dichotomum etiam folium dicitur, quando componitur ex ſolis 2. pinnis, aut 2. tantum laciniis, ut in *Lathyro*. fig. 116.

Digitatum folium dicitur, quando fere parallele ad petiolum vel medium nervum uſque eſt multifidum, ut in *Lupino*, *Helleboro*. Poſſet etiam palmatum dici, id eſt, palmæ manus ſimile. fig. 142.

Diſcus floris eſt figura plano convexa calice communi obvallata, quam plures floſculi tubuloſi, & ideo flos compoſitus ex meris regularibus format, & radiis ſive ſemifloſculis in ambitu caret, ut in *Tanaceto*, *Balſamita*, vel talibus circumdatus eſt, ut in *Sole*, *Calendula*. Ab aliis vocatur floris umbilicus. fig. 78. 164.

Echinatus fungus. vid. lamellatus fungus. Echinatum capitulum ſive ſemen etiam dicitur, quod aculeis eſt obſitum, ut *Echinopus*, ſemen *Echinophoræ*.

Elaſtica capſula ſive ſiliqua dicitur, quæ per maturitatem ſponte, vel a levi attactu ſemina cum impetu projicit, ut in *Cardamine*, *Impatiente* Riv. harum enim capſularum valvæ vehementer ſe ſpirant, & dictum actum exercent.

Emarginatus flos eſt idem, qui lunatus, ſive cujus petala lunæ creſcentis inſtar ſunt exciſa, ut in *Pentaphyllo minore*. fig. 18.

Erinaceus fungus. vide lamellatus.

Faſciculus eſt figura florum ita coagmentatorum, ac ſi arte in faſciculum eſſent colligati, ut in *Tuberoſa*, *Aſtere novæ Angliæ*, flore omnium maximo, inde in Tabulis flos faſciculoſus, ut ſpatium non deficiat. fig. 109.

Fimbriatus flos dicitur, cujus petalorum margo in multas lacinias eſt ſciſſus, ut *Lychnidis pratenſis* fig. 25.

Fl. indicat florem, flore, floris, flori.

Flagellans herba Rajo & Jungio eadem eſt, quæ herba flagella dimittens ex caule, ramis vel foliis, iisque novas radices agit in terra, ut *Chamaciſſus*, *Piloſella*. fig. 165.

Folium eſt pars plantæ plerumque plana, & compoſita ex membrana, partes reliquas obveſtiente, & arteriis & venis ſibi ubique ſociis, & partim per immediatas anaſtomoſes, partim vero & præcipue per interpoſitas veſiculas, quas membranæ formant, ſibi contiguis aut continuis, ſuccum plantæ continentibus; ſunt autem tam arteriæ quam venæ, & membranæ cum ipſis veſiculis pro ſingula plantæ ſpecie aliter diſpoſitæ & conſtructæ, rarius ſcilicet, denſius, recte, circulariter, plus minusve obliquæ &c. Item teneriores, & craſſiores, plus minusve largæ, numeroſæ, pellucidæ, planæ vel convexæ, utrinque, vel ex una tantum pare, poris variæ magnitudinis figuræ, & numero pertuſæ, cum ipſa ſuperficie folii plus minusve glabræ, ſplendentes, hirſutæ, aſperæ, villoſæ vel tomentoſæ & pellucidæ, ſuccum contentum ex ramis, caule, & radicibus ſugentes, opeque caloris externi radiorumque ſolarium, ſua præcipue pelluciditate & convexitate magis concentratorum, magis digerentes, digeſtum & coctum per venas ad proximum rami vel caulis locum reducentes, ex hoc in proximum folium iterum progredientem & ſic deinceps uſque ad florem & fructum tanquam locos tepefactos, ubi minor eſt preſſio, partes plantæ maxime teneras, pellucidas & quaſi vitreas, eademque ſtructura cum foliis, ſed teneriore gaudentes; ubi vero planta ſcapifera eſt & non ramoſa, neque ſcapus foliis eſt veſtitus, ibi ex radice immediate in folia pergit, ex his in radicis receptaculum commune coctus reducitur, & ex hoc in caulem &c. ſicque ſuccus plantæ toties digeſtus ſive coctus, fermentatus, varie cum aliis ſuccis aliorum foliorum caulis, radicis &c. mixtus, dilutus, iterumque inſpiſſatus, per

poros

poros variis exhalationibus tam aquoſis, quam reſinoſis depuratus, novoque aëre ventilatus, milleque modis, motibusque internis & externis ſubactus & mutatus, & cum ipſis radiis ſolaribus plus minusve mixtus, ſpecialem, imo etiam individualem conſtituit plantæ ſuccum, plus minusve gelatinoſum vel oleoſum, qui primo in radice pro varia hujus tubulorum totiusque ſtructuræ complexu multo crudior fuerat, & vix parum in illa digeſtus, & a terræ poroſæ, levis gelatina aqua ſoluta, quam hæc ex putrefactis vegetabilibus & animantibus (fimatione ſcilicet ſive artificiali, ſive naturali ex foliis arborum herbarumque deciduis) antea hauſit, multum diverſus & mutatus fuerat: & quoniam Folium plantæ perennis, v. g. *Aurantiæ* vel *Limonii*, ſecundum experimentum Thümigianum, humo poroſæ & levi temperateque humenti & tepenti, petiolo ſuo commiſſum, ſicque continuo fotum veſiculas ſuas deponit, venas vero & arterias in ramos, & petiolum in caulem & radices porrigit, ſicque ſucceſſive in veram arborem excreſcit non ſpinoſam, neque fructum ferentem acidum, ſicut illa, quæ immediate ex ſemine producitur, ideo manifeſtum eſt, quod radix, caulis ramique iisdem ex partibus conſtent, ex quibus folium compoſitum eſt, & quoniam præter hæc omnia experientia etiam docet, quod arbor quælibet in vere eruta, inverſoque modo ramis ſuis terræ implantata, & radicibus erecta, radicibus ramos, & folia, prioribus vero ramis radices veras agat, fructificetque, ſicut antea, manifeſte inde magis liquet, quod etiam radix iisdem conſtet partibus, ex quibus rami & folia conſtructa ſunt, & quod ſucci contenti circulatio detur, ex eadem radice per caudicem ad ramos & folia, ac quæ fit vice verſa. Id autem notabiliſſimum eſt de vegetabilium ſuccorum in plantis circulatione, quod præcipue & maxima ex parte fiat ex radicibus per corticem in ramos, folia, flores & fructus, reliquaque pars dura & lignoſa potius caudicis & ramorum os & fulcrum ſit, eoquod cortex large, præprimis circulariter & plane circa arborem aut fruticem ablatus, aut graviter vulneratus, in caudice ſive trunco arborem enecat, cortice autem integro maximæ arbores adhuc diu vivant, & fructificent, etiamſi tota lignoſitas a putredine & carie &c. ſit conſumpta, arborque tota excavata. Plura & reliqua principaliora ad vegetationem plantarum pertinentia vide & confer in fine hujus vocabularii. Cæterum

Folium quo ad ſuam ſtructuram & figuram eſt

Vel

- Simplex
  - gramineum. 121. 116. 163.
  - lanceolatum. 119.
  - orbiculare. 123. 124.
  - aciforme. 150.
  - lingulatum. 147.
  - cordiforme. 168. 125.
  - mucronatum.
  - obtuſum. 117.
  - ovale. 118. 143.
  - anguloſum. 127.
  - ſagittatum. 141.
  - auriculatum. 124.
  - lobatum. 139. 130.
  - perfoliatum. 143.
  - ſtellatum, 144.
  - palmatum. 126. 142.
  - ſquamoſum. 146.
  - pixidatum. 148.
  - peltatum ſive umbilicatum. 140.

  - crenatum. 118. 132.
  - ſerratum. 117.
  - dentatum. 164. 151.
    - integrum.
    - multifidum. 131. 126.
  - non crenatum. 123.
    - neque ſerratum. 125.
    - neque dentatum. 124.
  - criſpum.
  - planum.
  - arrectum.
  - pendulum.
  - cernuum.

  - glabrum
  - aſperum
    - ſplendens
    - non ſplendens
  - villoſũ
  - tomentoſum.
  - verrucoſum. 168.
  - ſcindens.
  - nervoſum.
  - anervium.
  - amplexicaule.
  - ſemiamplexicaule.
  - lacteſcens ſucco var. coloris & ſaporis.
  - non lacteſcens.

  - viride.
  - æruginoſum.
  - glaucum.
  - argenteum.

  - aculeatum.
  - urticatum.
  - non aculeatum.
  - neque urticatum.

- Compoſitum
  - dichotomum. 116.
  - biphyllum. 116.
  - triphyllum ut in Trifolio. 138.
  - 5. 6. 9phyllum, vel polyphyllum. 131.
  - pinnatum pinnis
    - ſimplicibus variæ figuræ
      - cum impare. 132. 136.
      - ſine impare. 135.
        - Lobulis ſive Lobis. 132. pinnis. 149.
          - integris
            - uniformibus. 135. 136.
            - difformibus. 137.
          - multifidis
            - groſſioribus. 149.
            - capillaceis. 134.
    - pinnatis
      - ſemel. 132.
      - bis.
      - ter.
        - lobulis. ut ſupra

Frondatum petalum ſive radius floris compoſiti frondatus dicitur, quod in extremitate ſua crenis eſt inciſum, ſerræ ſimilibus, veluti radii *Conyzæ mediæ* C. B. *Aſteriſci* T. 78. hoc termino Rajus utitur in ſua hiſtoria plantarum paſſim. Notandum autem eſt Tyroni, ſicut jam in præfatione monui, quod nullus radius, qualitercunque licet inciſus, frondatus dicatur, ſi laciniæ non manifeſte ſimiles fuerint crenis ſerræ. 76.

Galeatus flos & ſpecies floris bilabiati, id eſt vel monopetali tuboloſi in lacinias aliquot diviſi, quarum ſuprema galeam effigiat, inferior autem barbam, 49. & talis galea vel eſt integra, 49. vel crenata vel inciſa, 50. vel flos eſt polypetalus, cujus ſuprema lacinia galeæ ſive caſſidis formam habet, etiamque eſſe poteſt barbatus & non barbatus ſimul, ut in *Orchide*. 67. 68.

Geniculatum folium eſt, quod quaſi articulos habet, & continuum externe non eſt, ſed tantum contiguum, veluti in *Equiſeto*: datur etiam culmus geniculatus, ſimiles articulos magis vel minus nodoſos habens, ut in *Equiſeto* non ramoſo, & graminibus. 148.

Gluma eſt pars plantarum graminifoliarum florigera, & ſemina obtegens, interne concava, externe plerumque convexa, & parvæ conchæ ſimilis, & eſt vel mutica, id eſt, absque ariſta vel ariſtata ſive apice in ariſtam deſinens: eſt autem Ariſta nihil aliud, quam apicis glumæ productio ſive elongatio in longum rigidum acutumque mucronem, undique plerumque ſerratum, ſcindens & articulatum ſive pixidatum, ut in *Secali* & *Tritico*. Mirabilis eſt magnus DEUS in ordine, numero, pondere & quantitate ſuarum creaturarum! ut Paulus monet S. Apoſtolus jam de hominum capillis; DEUS enim ſingulæ ſpeciei graminum tam ſativorum, quam ſilveſtrium poſuit certum glumarum numerum, ordinem & magnitudinem &c. v. g. in *Secali* duas, in *Tritico* tres &c. ſecundum quarum numerum in una locuſta, id eſt, faſciculo glumarum ſemen continente, Scheuchzerus totam ſuam Agroſtophiam graminum ſilveſtrium digeſſit, ego vero (ut ſciat Criticus mordax alias non intelligens) plura addidi, & ſativa eodem modo omnia digeſſi. fig. 121. 122. 161.

Gramineum folium a ſimilitudine dicitur, quam habet cum foliis graminis, quæ longa ſunt, anguſta, mucronata, interne carinata, externe gibboſa & anervia, omnes ſuos tubulos ſive arterias & venas recte exporrectas habentia, ut in *Secali*, *Hordeo*. fig. 120. 121 116.

Granuloſus flos Illuſtris Heucheri eſt flos imperfectus ſingularis ſtructuræ, & neque ſtamineus, neque apicatus, neque calici ſimplici ſimilis, ſupra foliorum dorſum confertus & conglomeratus, ut in *Filice*. fig. 95.

Gymnoſpermatica planta eſt, ſemina nuda ferens.

Hæteromallus flos eſt, Scheuchzero in ſua Agroſtographia, cujus ſitus nullum ordinem ſive ſeriem in planta obſervat, ſed quaquaverſum ſpectat, ideoque eſt contrarius homomallo flori: hoc autem termino non amplius utor in hoc Tentamine, quia barbariſmi eum convicerunt, ſic dicti vulpes ſcholaſtici, in Agroſtographia tamen illum partim ex reſpectu in Scheuchzerum, quo unus alteri devinctus eſt, retinui, partim quod Agroſtographiæ correctionis jam defatigatum me piguerit.

Hæterantha dicitur planta, quæ flores omnes inter ſe difformes fert vel figura, vel numero, vel in eodem caule, vel in diverſo, v. g. bino caule ex eadem radice orto, ut *Primula*, *Hesquet*, quæ nunc in uno caule profert 1. vel binum florem, in altero ex eadem radice vero plures, eosque quidem omnes figura uniformes tuboloſos, ſcilicet monopetalos, aſt etiam inter ſe non raro difformes, partim ſcilicet proliferos, partim ſimplices: diverſæ plane figuræ ferunt, partim ſcilicet monopetalos partim polypetalos, & ſic plantæ Hæteranthæ ſunt *Papaja* T. & *Begonia* T. quæ flores Tetrapetalos & Pentapetalos ſimul fert, ſicut *Philadelphus* Riv. Ejusdem claſſis etiam eſt *Opulus ſilveſtris*, cujus flores quidem omnes ſunt monopetali plani, ſed externe majores internis, & ſteriles, & tubo deſtituti, interni vero in umbella minores & omnes tubo inſtructi, fructuique inſidentes, ſicut *Echinophora* fl. majore Riv. Hoc unico termino ego primus utor, ut uno verbo in tabulis & breviter diſtinctionem claram talis plantæ dare potuerim. *Homantha* planta mihi eſt, cujus flores omnes inter ſe ſunt figura petalorumque numero, & florum ipſorum numero tam in eodem caule, quam in diverſo ex eadem radice conſtanter uniformes & æquales, veluti ſunt plurimæ plantæ noſtrates.

Hæteroſtichis. vid. Hæteromallus.

Homoſtichis, homoſtichicus flos. vid. Homomallus, & Hæteromallus.

Imbricatio petalorum, laciniarum, & foliorum dicitur, quando unum ſupra alterum ſive geminum tam artificioſe ſitum eſt, ſicut tegulæ in tecto, ubi ſingula tegula aliarum binarum hiatum obtegit, ita etiam in flore *Orchidis*, *Helleborines*, foliis Sedi majoris. Hoc termino Kn. utitur. fig. 66.

Juba eſt figura florum homoſtichica ita congeſta, ut omnes vel in uno petiolo communi, vel etiam in tota planta unum latus, ſive plagam ſpectent, ſicut juba in collo bovis; Scheuchzer in ſua Agroſtographia primus utitur hoc termino. fig. 167.

Julus eſt figura florum imperfectorum arborum vel fruticum, ſquamoſa teres, & ſenſim ex latiore baſi attenuata, vermi vel erucæ glabræ ſimilis, ex cujus ſquamis tempore florendi hiantibus vel

mera

mera ſtamina, vel merum pollen quodam, probabiliter apices, emicant, veluti in *Juglande* Rup. *Avellana*, *Alno*, *Betula*. fig. 82. 83.

Labiatus flos eſt idem, qui galeatus. vid. galeatus, inde fluit flos bilabiatus, qui galeam & barbam ſimul habet: & unilabiatus, qui ſolam barbam, vel galeam habet. fig. 45. 63.

Laciniatus flos eſt idem, qui fimbriatus. vid. fimbriatus.

Lamellatus fungus eſt, qui in dorſo multas lamellas ex uno centro radiatim verſus peripheriam exporrectas habet, ut *Ammanita*: alius etiam fungus dicitur *Erinaceus*, qui in dorſo loco lamellarum dictarum meris mollibus aculeis eſt obſitus: alius etiam fungus dicitur *poroſus*, qui loco lamellarum & aculeorum in dorſo mire inter ſe contiguos tubulos fert, ut poroſus videatur.

Liliaceus flos vel folium eſt, ſi flos vel folium abſque reſpectu magnitudinis ſuæ figuram floris ſive folii Lilii habet albi: idem puta de petalis liliaceis. fig. 16. 22.

Lobus pinna folii pinnati eſt magna & larga, majorque multo, quam in Apio. Confer folium pinnat.

Monanthos, vide Polyanthos.

Muſcarium eſt florum figura, quam flores plures in eodem fere plantæ loco coagmentati componunt, laxior quam racemus, & faſciculus, neque in ſuperficie ſua plana, ſicut in umbella, ſed elongata & muſcario fere ſimilis, quo muſcæ fugantur, & plerumque erecta eſt, & non pendula, ut racemus, ut in *Gallio flore luteo*. fig. 113. 114.

p.m. indicat per maturitatem.

Panicula eſt figura florum plerumque imperfectorum in graminibus cum ſuis locuſtis ramoſa, faciens quaſi ſpicam ſimplicem laxam unam vel multiplicem ad muſcarium accedentem, ut in *Gramine tremulo*, ſtricte vero panicula eſt, & dicitur trium vel quatuor vel plurium glumarum imbricatio, in graminibus unam locuſtam conſtituens, flores ſtamineos & ſemina ſuis glumis continens, & tales paniculæ ſunt quaſi parvæ & minutæ ſpicæ. vid. Scheuchzer Agroſtographia. fig. 162.

Pappus eſt illa lanugo, qua ſemina vel involuta ſunt intra calicem vel fructum, vel qua ſemina ſunt criſtata, ut in *Taraxaco*, *Pulſatilla*, *Cariophyllata*, *Soncho*: dantur etiam ſemina, ut in *Jaceæ* ſpecie, quorum apices penicillus villoſus brevis & valde rigidus obſidet, quæ tamen Clariſſimo Dillenio ſollida & non pappoſa dicuntur. fig. 75.

Peltatum folium eſt idem, quod umbilicatum, plerumque tamen ſimul in prona parte quamdam concavitatem habens, vel maculam, ubi in parte ſupina petiolus implantatur, habetque petiolum ſuum non ut reliqua folia in ſuo principio, ſed in medio dorſo, ut folium *Cardamindi* Riv. 140.

Pennatum folium eſt, quod compoſitum eſt ex pinnis ſubtiliſſimis, anguſtiſſimis & brevibus, denſiſque, utrinque in rhachi communi, & quaſi plumam format, ut folium *Milleſolii*, *Oenanthes*.

Perennis planta dicitur, quæ ſemper viret, & folia in hyeme non deponit, ut *Pinus*, *Abies*.

Pericarpium eſt fructus conſiſtentia ſua medius inter baccam & capſulam, eſt enim parum ſuccoſus & carnoſus, & figuræ ſpecialis, non facilis deſcriptu. vid. pyrænus.

Perſonatus flos eſt figura ſua ſimilis aut ſaltem proximus flori bilabiato, ſed non apertus, faciem ſive larvam parvæ beſtiæ præſeferens, ut flos *Linariæ*, *Antirrhini*. 71.

Petaloideus flos eſt monopetalus in aliquot lacinias diviſus, & his tot petala fingens, ut *Malvæ flos*.

Petalum floris eſt idem, quod folium floris, ex quorum pluribus flos componitur, & in quot flos ſponte defluit, aut in quæ & quot ſuſpenſa manu intra digitos binos vel tres collectis omnibus laciniis ſimul ſubtiliter & caute ſenſimque carptus & tractus ſine laceratione petalorum præcipue horum unguium decerpi poteſt; a quorum numero flos dicitur monopetalus, bipetalus, tripetalus, tetrapetalus, pentapetalus, hexapetalus, & polypetalus. Confer Præfationem de Flore perfecto.

Pinnatum folium eſt, quod componitur ex pluribus foliis partialibus plerumque geminatim adverſis, utrinque in communi petiolo, qui Rajo Rhachis dicitur, connexis, cum, vel ſine impare in extremitate Rhachis, ut in *Piſo* ſine impare, in *Coronilla* cum impare. Folia ſimplicia folium hoc compoſitum componentia, vocantur pinnæ, ſi parva ſint, ut in *Apio*, *Chærefolio*: ſi vero ſint majora & inſignia, dicuntur Lobi, & tam hæ pinnulæ ſive pinnæ, quam Lobi ſunt vel ſimplices, eæque vel integræ, ut in *Sanguiſorba*, vel plus minusve diviſæ & laciniatæ, ut in *Chærefolio*, *Apio*, *Fæniculo*, ideoque ab horum ſimilitudine in Umbelliferarum tabula dicuntur talia folia *Petroſelini* ſive *Apiiformia*, vel *Chærophylliformia*, & ſi magis ſubtiliter & fere capillorum more ſunt laciniata, dicuntur *Fæniculiformia*, ſive capillaria, ſuntque omnia hæc folia pinnata tam in Umbelliferis, quam Epiphylloſpermis iterum duplicis generis, vel enim componuntur ex pinnis vel Lobis ſimplicibus, 135. 136. vel etiam pinnatis & quidem vel ſemel, 132. vel bis, imo ter diviſis & ſubdiviſis, & ſic ramoſis, quæ ab aliis ſuperdecompoſita folia dicuntur; ſuntque etiam folia talia pinnata ex pinnis vel uniformibus, 136. vel difformibus majoribus & minoribus, v. g. ſimul. 137.

Planus flos, ſive flos planipetalus eſt idem, qui Tournefortio eſt roſaceus, ſive roſæ ſimilis, cujus ſcilicet petala vel laciniæ ſunt fere orbicularia, ut in *Roſa.* 14.

Polyanthos caulis, petiolus aut herba dicitur, qui plures quam unum florem ſuſtinet, Monanthos contra, qui unicum ſuſtinet florem. 96. 109.

Poroſus fungus. vid. lamellatus.

Pyrænus, eſt idem ac granoſus, Pyryni enim indicat græce nucleum ſive oſſiculum in *Pyro*, *Malo*, *Meſpilo*, *Bacca*, quæ numero contentorum ſuorum ſeminum ſive granorum &c. toties pyræna dicuntur, quot grana ſive nucleos continent.

Pyxidatum folium eſt idem ac articulatum. vid. Cl. Dill. Flora Giſſenſis appendic. 111. & 88.

Racemus eſt florum numeroſe coagmentatorum figura faſtigiata, & craſſa, & pendula, ſpicæ fere ſimilis, aſt pendula & laxior & craſſior, ut in *Staphyllodendro*, *Vite.* 115.

Radiata umbella dicitur, quando baſis Umbellæ foliolis radiatim ſive ſtellatim diſpoſitis cingitur, quæ foliola in umbelliferis revera calicis vicibus defunguntur.

Radiatus flos eſt idem, qui compoſitus eſt ex Regularibus tubuloſis in medio, & Irregularibus ſemifloſculoſis in ambitu, iisque in apice ſuo vel crenatis vel mucronatis, ut in *Calendula*, *Sole.* 76. 78. 79. 80. 81.

Radix verticillata eſt radix compoſita ex pluribus radicibus in ſummitate ad caulem cohærentibus, inferius vero divaricatis, ut in *Aſphodelo.* Cæterum radix eſt

- vel
  - ſimplex
    - longa. 158.
    - brevis. 160.
    - craſſa. 159.
    - tenuis. 156.
    - tuberoſa variæ figuræ. 152. 153. 154. 159. 169.
    - fibroſa. 156. 157.
    - recta. 158.
    - intorta. 159.
    - viticularis. 160.
    - bulboſa
      - lamellata. 154.
      - nucleata. 156. 176.
    - præmorſa quaſi. 170. / integra. 169.
    - lacteſcens lacte / non lact.
    - rubro / albo / luteo
    - inſipido &c. / ſapido. *
    - * acri. / dulci. / acido &c.
    - articulata. 160.
    - dentata. 174.
    - ſquamoſa. 172.
    - pertuſa. 175.
    - palmata. 171.
  - compoſita vel multiplex
    - conglomerata ex
      - napis. 169.
      - tuberculis & nucleis, ut *Saxifragæ*, *Filipendulæ*, 176.
    - verticillata. 173.
    - teſticulata. 153.
    - gemella. 153. 171.

Cæterum conſtat radix omnis ex iisdem omnino partibus, ex quibus rami & folia conſtant, ut ſupra de folio late probavi: & in radicibus compoſitis, eo in loco, ubi cohærent, manifeſtus indicatur locus, qui ſucci nutritii plantæ locus communis ſive ciſterna appellari poteſt, in quam ſuccus ex omnibus radicibus attractus ex terra confluit & in caulem pergit vel in folia. Partes externæ & internæ radicum ſimiles trunco manifeſte apparent in Hædera, cujus cortex in millenas undique radices abit, quibus arbores, muros & ſaxa molliora perforat & ſcandit.

Rictiformis flos eſt, qui rictum digitis præcipue lateraliter compreſſus, effigiat, ut flos *Antirrhini*, *Linariæ.*

Scandens planta eſt, quæ vicina quælibet apprehendit, & ſcandit vel capreolis, ut *Piſum*, *Phaſeolus*, vel caule ipſo & ramis, ut *Cuſcuta*, *Hædera.*

Scapus caulis eſt foliis nudus non ramoſus, ut in *Tulipa*, *Taraxaco*, *Piloſella.*

Semifloſculus ſive ſemitubuloſus flos eſt, qui in ſua baſi tubuloſus eſt, in reliqua vero ſua parte fiſſus & explanatus, ut ſunt omnes radii florum radiatorum, qui microſcopio conſiderati ſimillimi videntur floribus Ariſtochiæ, & ſunt in apice ſuo vel crenati, vel non crenati. 74. 78. 79.

Semiperſonatus flos eſt medius inter Rictiformem, bilabiatum, & Perſonatum, rictum fere habens, niſi florum laciniæ eſſent nimis divaricatæ, ut in *Gratiola*, *Bignonia* *Digitali.*

Semiverticillus eſt figura, quam plures flores coagmentati in uno internodio caulis, vel petioli, vel ramorum ad horum medium uſque formant, medio annulo, ſive mediæ corollæ ſimilem, eſtque vel homoſtochica, vel hæteroſtichica. 196.

Serratum

Serratum folium eſt, quod in margine ſuo dentibus ſive crenis groſſioris ſerræ crenis ſimilibus eſt inciſum, & quidem profundioribus & latioribus, quam in crenato, cujus crenæ dentibus ſerræ ſubtilis ſimiles ſunt, talia folia ſerrata habet *Urtica*. 117. 130.

Siliqua. vid. capſula.

Simplex ſpica, racemus vel capſula dicitur, quando omnes flores in unam ſpicam vel racemum ſunt congeſti: 86. 102. 107. ſi autem plures ſpicæ vel racemi in eodem plantæ loco prodeunt, aut ſpica vel racemus ramoſus eſt, tunc ſpicæ vel racemi tales multiplices dicuntur, ut in *Ulmaria*. 84. 101. *Gramine dactylo*: Capſula vero ſimplex dicitur, dum nullis loculis ſive cellulis eſt diſtincta.

Sinuatum folium eſt, quod in marginibus ſuis emarginationes, ſinus, & anfractus habet, ut *Taraxaci Querci folio*. 129.

Sociatus flos eſt, qui cum uno alterove, imo etiam tertio ſocio in eodem plantæ loco ſive etiam internodio hæret, ut in *Vicia*, *Faba majore*. 100. 118.

Solidum ſemen dicitur, quod nullo pappo eſt criſtatum neque obvolutum, & Tyroni notandum eſt, quod ubicunque in tabulis ob ſpatii anguſtiam ſemina nuda aut ſemina tecta leguntur, ſolida ſubintelligenda ſint, quoniam papposa ubique expreſſe notantur.

Solitarius flos dicitur, dum unicus conſtanter flos uni ſcapo vel ramo inſidet, ut in *Taraxaco* 11 16.

Spica eſt figura florum vel glumarum vel ſeminum plurimorum circa axin communem in figuram longam faſtigiatam & metatam congeſtorum, eaque vel teres, vel compreſſa diſticha, monoſtichica, quæ eadem ac homoſtichica, 167. vel 4gona, ut in *Lavendula*. Eſtque vel non herbata, vel herbata, quando floribus folia intermixta habet, vel viridia vel comoſa, & quidem diverſæ magnitudinis a reliquis plantæ foliis, ut in *Melampyro*. Eſt etiam laxe vel denſe verticillata: laxe, quando verticilli a ſe diſtant, ut in *Baſilico*, denſe, ubi verticilli ſeſe contingunt, ut in *Betonica*. 68. 102.

Spurii radii, ſive ſpuria petala ſunt ſquamæ calicis coloratæ, productiores floſculos tubuloſos in diſcum congeſtos radiorum inſtar cingentes, ſicque radios floris coloratos non deciduos fingentes, ut in *Stæbe*, *Elichryſo*. 164.

Squamoſum folium eſt, quod ex ſquamis eſt compoſitum, ut *Tamariſci*, *Thuja*. 146.

Stamina quid ſint, in præfatione dixi. vid. præfatio.

Stamineus flos eſt filamentum officio floris fungens, & vel ex glumis emicans, vel in unica ſpecie ex medio folio, quorum exempla vide in tabula Fl. ſtamineo non graminifoliarum & Graminifoliarum. 86

Stellatum folium eſt, quod circa caulem ramosque ſtellatim eſt poſitum, eosque vel petiolos ſtellatim cingit, ut in *Matriſylva*, Aſperula dicta. 144.

Sterilis flos eſt, qui nulli fructui inſidet, & nullo unquam tubo ſive piſtillo eſt præditus.

Stilatus flos eſt idem, qui apicatus. vid. apicatus. 26.

Strobilus eſt conglomeratio multorum villorum ſive plumarum, aut ſubtiliſſimarum ſquamarum varii coloris, quam *Pinus*, *Picea*, *Abies* loco floris in extremis ramulis clavatim & racematim proferunt, farina, aliis ſpermatica dicta, lutea vel crocea plena, ex qua per ventos in alias regiones delata, ſi rubra ſit, pluviæ & rores ſanguinei proveniunt, aut per pineta euntes, aut equitantes varia ſigna characteresque in ſuis veſtibus reportant. 84.

Thyrſus eſt ſpica longa & magna, ut in *Agrimonia*.

Trifidus flos eſt, cujus petala in tres lacinias diviſa ſunt, ut in *Hypecoo*. 27.

Tubuloſus flos eſt idem, qui Tournefortio eſt infundibuliformis & hippocrateriformis, maxima autem difficultas eſt Tyroni judicandi, an flos ſit ſimpliciter tubuloſus, aut campaniformi-tubuloſus, aut, ut ego appello, cilindraceus, hinc notandum, quod ille flos, cujus tubus ex anguſta baſi definit in tubum ampliorem, ut ejus piſtillus, ſi liber & pendulus eſſet, moveri, parieteſque tubi amplioris pulſare poſſet, campaniformis tubuloſus ſit, abſque ullo reſpectu magnitudinis ſuæ, ut flos *Menianthis*: ſi tubus ab imo ad lacinias uſque ſit rectus & parietes tubi paralleli, eſt flos cilindraceus, ut in *Simphyto*, qui autem nimis anguſtus eſt tubus pro dicto piſtilli motu, ut in *Primula*, *Auricula*, tubuloſus ſimpliciter dicitur. 5. 8. 52.

Vaginans caulem folium, & ideo etiam vaginatus caulis eſt, quando folium caulem vel ab eo perforatum, ab aliis perfoliatum dictum, vel apophyſi quadam longa thecæ inſtar caulem obveſtit: primum ſit in *Perfoliata*, ſecundum in *Biſtorta* & omnibus graminibus. 120. 121.

Veloſus flos a Cl. Dillenio dicitur, cujus quædam petala ſive laciniæ quaſi a vento afflata recurvantur, velut in *Viola*, *Cauda pavonis*, *Senna*. 64. 56.

Verrucoſum folium eſt idem, quod Rugoſum, ſive quod in ſuperficie ſua eſt inæquale, multiſque quaſi eminentiis ſcabrum: ut *Meliſſæ*, *Viburni*. 168.

Verſus florum eſt idem quod ſeries, ſive græce ſtichis. 167.

Viticularis radix eſt, quæ ſarmentis ſuis quaquaverſum circumrepit. 160.

Umbella eſt figura florum plurimorum coagmentatorum in orbem planum, nixis pluribus petiolis ex eodem centro caulis vel ſcapi communis ortorum & radiatim expanſorum, qui petioli iterum in ſimillimos minores, ſimiles umbellulas partiales formantes dividuntur plerumque. 110.

Umbilicatus fructus eſt, qui vel ſcrobiculum vel tuberculum in media ſua ſummitate habet, ut *Mala*.

Umbilicatum folium eſt idem quod peltatum. 140.

Unguis petalorum dicitur baſis petalorum, qua vel placentæ vel calici cohærent, plerumque a reliqua parte petali diſcolore.

Unilabiatus flos eſt idem ac barbatus vel galeatus tantum. vid. galeatus & barbatus flos. Item labiatus. 45.

†. indicat, quod planta, cui præponitur in tabulis, ſit indigena Germaniæ aut Europæ.

*. indicat, quod planta, cui præponitur, ſit exotica, & in hortis colatur. Aut etiam ambo ** ſigna articulis tabulæ antepoſita, vel poſtpoſita, connexionem cum ſimili ſequente textus indicant.

H. vel Hb indicat Herbam.

Fl. indicat florem vel folium.

r. indicat rubrum.

n. indicat nigrum.

p. m. r. vel n. indicat per maturitatem rubrum vel nigrum.

▽. præpoſitum vel poſtpoſitum, indicat, quod planta creſcat in udis vel aquis.

⩡. indicat, quod planta in ſiccis locis creſcat.

I. Omnibus his præmiſſis pro complimento totius Botanices, evertendaque fundamentaliter generatione plantarum, harumque ſexu, quibus multi celeberrimi viri ſcientiæ hujus fundamenta nova ſuperſtruunt, addo Idæam meam ex obſervationibus, meriſque experimentis factam, de modo viribusque plantarum vegetandi, fructificandi, transplantandi, multiplicandi, & harum vires indagandi a priore.

II. De Vegetatione plantarum omnes Phyſici & Botanici hucuſque nullam claram diſtinctamque adhuc ediderunt notionem, & quidquid hac de re antiqui reliquerunt, animam vegetativam ſapit, cui facile Neoterici ſuam plantarum generationem, ſexumque florum & plantarum ſuperſtruxerunt, quo autem fundamento, ipſe Benevolus Lector judicet ex ſequentibus, ex quibus clare patebit, omnes plantas non niſi corpora mechanica, ſive, ut ſtrictius loquar, organico-mechanica eſſe, ab interno aliquo principio vivo non vitalia, id eſt, motus vitales vegetabiles, & naturales, veluti corporis ſui nutritionem, incrementum, conſervationem ab interitu, excretionem variorum humorum per certa emunctoria, præcipue inſenſibilem tranſpirationem, coctiones & ſecretiones ſpecificorum ſuccorum in variis ſpecificis plantarum organis, horum ipſorum ſpecificorum organorum & fructuum formationem & compoſitionem in numero, pondere, figura, & ordine, imo etiam ad certum finem moralem, ſive cauſam finalem, ab interno quodam principio vivo, ſive ſic dicta ſtricte, anima aliqua, non peragi in illis, ſed fieri & pendere ſolum & tantum a diſpoſitione & actione terræ, aëris, cœlique externi, calidi, frigidi, humidi, ſicci &c. plantarumque ſtructura ipſa a DEO creata, & hucuſque benigniſſima ſua voluntate continuata; quæcunque autem pro hac cauſa dixero, ex ſolo amore pro veritate, plantarumque hiſtoria facilitanda dicam abſque invidia, omnique bile contra aliter ſentientes, enixe rogans, ut alii, qui aliter mecum hoc de negotio ſentiunt, etiam ſuam ferant ſententiam, interim tamen judicent, quare neque Rivinus, neque multi alii mecum hucuſque ſexus & generationem plantarum adhuc admiſerint, & an non injurii fuerint erga vivos & mortuos hos hucuſque duriores quidam Critici Sexualiſtæ, & Simiæ Linnæi?

III. Negotium hoc ab ovo incipiam, id eſt, ſemine plantarum, quod, ſicut ova animalium omnia, conſtat ex plurimis fibris & tubulis, veſiculisque in formam unius alteriusve folioli contorti, petioloque ſtipati, conſtructis, continentibus in ſua cavitate ſuccum plantæ matris maxime depuratum & concentratum, modo infra dicendo, gelatinoſum, mixtum cum multo aëre, concluſis intra proportionate ſuæ ſpeciei, fortem vel membranam, ut v. g. ova teſtudinis, ſerpentum, &c. vel etiam teſtam duriorem, ut ova gallinacea, Struthionum, figuræ fere ſemper externe convexæ, & interne concavæ, plerumque globoſæ, vel ellipticæ, rarius ſemicircularis, aut renalis, aut ovato-compreſſæ &c. quod integumentum variis poris pertuſum, aut, ſi teſta fuerit, valvis conſtructum, quas membranæ ſimilis ſtructura membranoſa & fibroſa conglutinat, quæ ab aqua, vel quod idem eſt, humiditate terræ, nunquam niſi tepente, aut ſaltem aëre externe tepente, & nunquam ſi friget valde, emollitur, fluidum vero foliolorum ſeminalium contentum magis diluitur, & tam motu fluido fermentativo, quam aëris interne commixti incluſique cum externo tepente neceſſario æquilibrio, motuque calorifico movetur & rareſit, foliolaque ſeminalia tumefacit, & clauſtra ovi rumpit, ut duo

principia

principia, caput ſcilicet & finem ſive radicem & caulem ſemina erigant, terramque obruentem, quæ lævis & poroſa, multasque partes gelatinoſo-ſulphureas continens, & ideo fertilis dicta, eſſe debet, nunquam vero dura, gravis, tenax &c. partim reprimunt aut removent, partim perforant, ſicque caulis rudimentum in aëris regionem porrigunt, tenerrimum ſemper & ubique, & vitri inſtar pellucidum, perpetuoque figuræ cilindricæ, minus manifeſte, & fere ſemper inſenſibiliter conicæ, ſicque diametraliter & horizontaliter ex meris circulis vitreis conſtantem, lucem, aërisque externi motum tepidum in ſuo foco, qui caulis medulla eſt, concentrantibus, ſicque humores contentos motu temperate calorifico & fermentativo rarefacientibus, expandentibus, ut vaſa continentia in omnem dimenſionem continuo premantur, extendantur, elongentur, increſcant, & nutriantur modo infra ſequente. Veritates has confirmant experimenta phyſica, anatomica plantarum Malpighii & Grewii, Rajique figura variorum foliolorum ſeminalium in ſua introductione ad hiſtoriam plantarum, & qui ipſe idem experiri avet, Petroſelini ſemen cum arena madefacta intra vaſculum miſceat, vaſculumque furno tepido imponat, & poſt paucos horæ quadrantes hæc foliola ſeminalia examinet, & palpet cum ſua theca ſive teſta.

IV. Fit autem dicta humorum in foliolis ſeminalibus, imo omnibus reliquis plantis rarefactio, preſſique magis verſus ſummitates & latera plantæ, quam ad radicem, & intra eam, partim ob teporem externum aëris ad omnem vegetationem tanquam cauſa externa efficiens neceſſarium, partim etiam ob dictarum in plantis ſupremarum & extremarum partium ſupra dictam vitream pelluciditatem, lucem motumque aeris externi tepidi calorificum ſive potius tepidum, in ſe magis cogentium & concentrantium, dum e contra terra, loci & humores circa radicem frigent, & ſecundum Phyſicam experimentalem graviores ſunt, magisque premunt, minusque moventur, mobilesque ſunt.

V. Quanta autem in plantarum extremis ſurculis humorum preſſio hæc ſit, Botanophili in Salicibus diſcant, utpote quarum extremi ramuli vera vitrea pelluciditate & lævitate gaudent, dum in Martio vel Aprili per radios ſolis diurnos illarum ſuccus nutritius ad tactum & viſum viſcoſus & glutinoſus, meæque novæ veſti olim, dum in Saliceto tunc deambulaveram, pernitioſus, rarefactus & ad extremos turiones propulſus, ob ſingularem tubulorum veſicularumque ſtructuram & connexionem, facile retrogredi nequit, & ideo circa veſperas gelidiores a rigentibus iterum & compreſſis ab aere externo frigidiore in Martio vaſis, gemmisque tenerioribus per trachæas copioſe craſſisque guttis exſtillat, ſequentis vero diei calore ſolari iterum rareſit, ſtillareque ceſſat, ſicque ſuccus iterum eo pergit, ubi minor eſt preſſio & reſiſtentia, ſcilicet ex radice in caudicem, ex caudice in ramos, ex his in turiones, gemmas, foliolaque germinantia, ſive oculos, omnia pellucida, & ſi non cilindracea, ſaltem convexa, imo globoſa.

VI. In radicem autem progreditur terræ, cui planta irradicata eſt, ſuccus gelatinoſo-aquoſus, per trachæas radicis, iterumque is eo magis velociusque, quo plura deinde ſenſim ſeſe exſerunt folia itidem pellucida, tenuia, & veſiculis plus minusve convexis (confer folium in vocabulario) refertiſſima, radios ſolis, motumque aeris externi tepentis, iterumque magis cogentia, per quorum venas humor hic coctus, fermentatusque in proximum reducitur ramum, ſicque uſque in florem propellitur, qui iterum totus cum ipſo calice, & plerumque etiam fructu in principio ſuo eſt globoſus, & pellucidus, idemque quod folia & turiones efficiens, & tandem ovula ſive fructum, ſive, ut clarius dicam, gemmas, ſive bulbillos ſeminales cogens & coquens modo infra dicendo.

VII. Subſtantia autem ſucci nutrititii plantarum nihil aliud eſt, quam aqua maſſulis gelatinoſis ex terra ſolutis turgida, & per dictas iteratas circulationes & digeſtiones in qualibet plantæ ſpecie ſpeciales in ſuccum nutrititium plantarum ſpecialem digeſta, cocta & depurata plurimis exhalationibus per ſupra probatos poros & trachæas. Terra autem gelatinoſam hanc ſubſtantiam accipit vel ſponte a putrefactis ſingula hyeme decidentibus foliis arborum, herbarum & graminum, fortuitisve animalium excrementis, corporibusque putrefactis, aut artificiali ruſticis nota fimatione, præ omnibus vero animalium capillis, ungulis, & ſanguine humano, ſicut certo experimento didici, aſſeverareque poſſum, quod gramen circa civitatem Mediolanenſis Ducatus, Lodi dictam, ex nulla ratione lætius altiusque germinet, quam a ſtragibus cladibusque numeroſis hominum ibi factis. Quam facile autem maſſulæ gelatinoſæ quibuslibet corporibus adhæreant, dum aqua ſolutæ ſunt, aquaque exhalet gelatinoſis maſſulis relictis, & ſpiſſeſcat, atque indureſcat, ut non niſi magno motu iterum abſtergi queat, ſicque nutritionem peragat tam in plantis, quam animantibus, præcipue his dormientibus & motus nullos conſtrictorios tonicos, tritoriosve exercentibus, cuilibet Phyſico notum eſt, & videri poteſt ex ſolo ſic dicto dentium hominis tartaro, aliunde non veniente, quam a ſalivæ gelatinoſitate & dentium continua quiete, ubi enim maxima dentium quies, nullusque exercetur tritus, ſc. in dentium angulis, hic provenit tartarus.

VIII.

VIII. Neque tacendum eſt, quod aeris Auſtrina conſtitutio vegetationi plurimum proficiat, Septentrionalis econtra obſit, quare doctiores hortulani arbores ſuas præcoces conſtanter ita plantant, ut tergum illarum muro vel ædificio ab aura ventisque Septentrionalibus ſit munitum; idem multorum ſæculorum experientia confirmant Vineæ Tockavienſes in Ungaria, a quibus ventos Septentrionales per montium carpathicorum tractum benigna natura ita arcuit, ut ſoli venti meridionales, præcipue Auſter & ſol meridionalis ad eas pertingere poſſint, ſicut Archiater Regius Dreſdenſis Erndtl recte & in ſua hiſtoria naturali Warſavienſi præclare monuit. Imo fertilitas totius Regni Ungariæ a ſimili ſitu, coronæque montium pendet, ſicut olim jam in medicina caſtrenſi explicui: Idem fit in Rhingovia ad Rhenum vino Rhenano celeberrima: Vineæ tam Tockavienſes, quam Rhingovienſes præterea nullas alias vites alunt, quam bacca globoſa viridi, quas in Auſtria Cervänl, in Rhingovia vero Riesling vocant, utpote uvas dulciſſimas tenuiſſima pelle veſtitas ferentes, ubique autem his vicinæ vineæ ferunt vites vel baccis albis vel flaventibus, quæ minus cito matureſcunt, plus muſti tamen, ſed minus dulcis ferunt, & in Rhingovia Grobb vocantur: qui Cervänl in vineis ſuis plantant, gaudent optimo vino, cæteri copioſius aſt vilius reportant, in noſtra Germania ſtantibus ſimul reliquis. Plura de his vide in Tabula & Diſſertatione de Vite fini appenſa. Nulla planta in hortis velocius & prius ex unanimi hortulanorum obſervatione vegetat in primo vere, quam donec noctes, poſt nives ſcilicet montium colliquatas, tepere incipiunt: verbo, ab auſtrina anni conſtitutione, id eſt, calida & humida, totius globi terreſtris fertilitas, omniumque climatum pendet: frigus & nimia ſiccitas impedit omnem vegetationem, calor continuus absque prægreſſo in præcedente hyeme ſufficiente nive exſiccat fontes ex montibus ſcaturientes, & fluvios terramque exſiccat, ita, ut etiam pluviæ mediocres deinde interpolatæ non amplius debite penetrent.

IX. Proportionavit tamen DEUS mille modis calorem ſuum ſingulæ plantæ externum, ut ideo diverſæ in ſingulo climate inveniantur plantæ, in alio climate non vegetabiles: Plantæ ideo Africanæ & Creticæ externe copioſo tomento caneſcunt, ſicut ipſæ noſtri climatis plantæ aquaticæ, dum forte ex ſiccitate anni extra aquas frigidiores diminutas vegetare habent, magis pubeſcunt, ut ſcilicet ſupra allegata pelluciditas attemperetur. Idem experimento egregio corroboravit egregius olim Mechanicus Regius Gertnerus Dresdenſis, quo hortus botanicus perpetuo virens inſtitui, & in hoc omnes plantæ Aſiæ & Africæ &c. vegetantes & fructificantes conſervari poſſunt, etiam in frigidiſſima hujus mundi plaga, & ut in hoc fiat ſingulæ plantæ calor externus naturalis.

X. Fit ſcilicet & excavatur accurata & paulo profundior, media, ellipſis, 15. 20. vel 30 pedes longa intra terram, cujus apex unus Auſtrum, alter Septentrionem reſpicit, circa ultimum etiam in linea elliptica ædificium exſtruitur auram ſeptentrionalem arcens, feneſtris ſuis cubiculorum in hyeme calefaciendorum intra hortulum terminatum, ſicque teporem tunc intromittens, quibus additur altera pars paulo humilior quam media ellipſis elliptice concavo-convexa tanquam operculum priori proportionatum, ex ligno & vitreis feneſtris proportionate conſtructum, in 2. vel 3. partes transverſales ſibi accurate contiguas diviſum, & ſic per partes facile vel transportatu, vel pro luſtratione & ventilatione hortuli facile apertu, elevatuve, more, quem hybernacula hortulanorum neceſſe habent; in ellipſi intra terram excavata areolæ, & ſcamna fiunt, ſive alia ſpatia, pro plantandis & locandis plantis & quidem ſecundum clima ſuum naturale, quod in ellipſi intra 2. focos zonam torridam repræſentante facile eſt proportionatu; in æſtate hortulus manet apertus, in hyeme operculo ſuo operitur, & vel feneſtris vel una alterave parte ſua elevata hybernaculorum more debite ventilatur, & temperatur, ſicque hortus ſemper virens facile conſtruitur. Confer folium & radix in vocabulario.

XI. Sic dicta mimoſitas ſive ſenſibilitas certarum plantarum, quæ Senſibiles ſive Mimoſæ dicuntur, hanc theſin de vita plantarum externa non infringit, manus enim tangentis, calor, frigus, vel ſiccitas eſt, quæ cauſat, ut folia ſeſe in illis contrahant, plurimæque illarum facile absque omni ſigno mimoſitatis palpantur, dum digiti palpantes aqua vel ſola ſaliva humefiunt, plantæque deorſum ſive infra folia palpantur: ex quo merus harum plantarum mechaniſmus a cauſis phyſicis materialibus pendens iterum corroboratur.

XII. Idem confirmatur obſervationibus & experimentis tam propriis, quam aliorum, vegetabilia propagandi, tanquam media egregia analogica, quibus fructificationis modi in plantis tam varii atque diverſi tam inter ſe, quam cum aliorum de his ſententiis clarius faciliusque æquari poſſunt, & procul dubio aliæ etiam adhuc incognitæ veritates ex iis facile produci novæ.

XIII. Supra in vocabulario ſcilicet de caule, foliis, radicibusque plantarum demonſtravi, quod componantur omnes ex iisdem omnino partibus, ita, ut quælibet harum partium alterius vices &

officium

officium ſupplere poſſit? quod omnes componantur ſimilibus tubulis, veſiculis, membranis, cellulis, trachæis cortices & laburnum conſtituentibus, per quæ ſuccus nutritius ex terra in radices, ex his in caulem ſive caudicem, ex hoc in ramos, ex ramis in folia &c. propellitur, & quidem facilius velociusque in partes ſuperiores, tanquam locos, ubi a radiis ſolaribus teporeque aëris externis tam ipſæ dictæ partes plantarum extremæ teneriores, quam ſuccus nutritius in iis contentus rarefiunt, ideoque eo, ubi minor eſt preſſio, & reſiſtentia, quam Ariſtotelici ſuctionem olim appellarunt, quam ipſa natura etiam ſponte adeo probat, ut nemo eam negare audeat.

XIV. Ubi enim ſylvæ Fagorum & Pinorum v. g. in Auſtria lege ſcientiæ œconomicæ ita cæduntur, ut intra ſingulum ſpatium 30. annorum iterum nova earum copia ſuccreſcat, ad novam ligni meſſem apta, ibi ſingulo trigeſimo paſſu arbor ſenior fertilis relinquitur, a cujus ſeminibus quolibet anno deciduis nova ſoboles arborum denſiſſime ſponte ſeritur: denſiſſima hæc ſylvula intra 10. vel 15. annos in arbores 15. pedibus longiores, alias vero multo breviores longe eminentes excreſcit, quarum longiores ſive longiſſimæ intra 30. annos tantum in vaſtas arbores adoleſcunt, humiliores vero omnes, ad quas radii ſolares ob umbram harum longiorum pertingere nequeunt, emoriuntur & ſuffocantur omnes, niſi mature pro uſu & utilitate œconomica a rhedariis, ſimili tenui ligno indigentibus, exſcindantur, ſicque majus ſpatium & nutrimentum majoribus fiat. Ex ratione hac defectuque ſufficientis caloris plantæ alpinæ omnes ſunt minores, frugesque & uvæ ad vias Regias plantatæ multo pulvere conſperſæ ob depravatam pelluciditatem ſuam tardius ſeriusque matureſcunt, imo triticum, Secale ibi ſata, fatuas, id eſt, inanes ſpicas ferunt.

XV. Ex quibus omnibus clariſſime patet, tam ſupra allegatus aſcenſus ſucci nutritii ad ſummitates & extremitates plantarum, quam ipſe modus nutritionis harum, neceſſitasque apricationis ſolaris proportionata, tanquam prima cauſa vegetationis; proportionatam dico cuilibet plantarum ſpeciei dictam humorum rarefactionem, quoniam plures plantæ, nimis ſcilicet pellucidæ, radiosque in ſe nimium cogentes, radios ſolares calidiores non ferunt, ſed ſolum aërem tepidum; inter has eminent plantæ Aurantiæ & citreæ ex ſemine natæ, quæ, dum radiis ſolaribus calidioribus immediate exponuntur, aduruntur & pereunt, ſicut *Cochlearia*, & aliæ plantæ plures nimis pellucidæ.

XVI. Patet ſimul ex dictis, quod bullulæ, veſiculæve plantarum Malpighianæ & Grewianæ in variis plantis variæ ſint figuræ, exiguisque orificiis inter ſe communicent, & in ſe invicem hient, tubulosque forment nodoſos, ſimiles circiter Aludel chymicis conſtructis, aut vaſis limphaticis chyliferisque humanis ab Anatomicis paſſim depictis; tales etiam tubuli cum reliquis intertextis ſibique lateraliter contiguis membranas ſive lamellas laburni & corticis, componant, per quas, ubi minor eſt preſſio & major rarefactio, facilis fiat progreſſus, difficilior vero vel nullus eo, ubi major eſt preſſio & pondus, atque hic iterum vel modo naturali ſcilicet ex radicibus ſurſum verſus extremitates, vel ſupradicto inverſo modo, dum rami terræ implantantur, ex ramis in radices, tunc officio ramorum defungentes Ideo non miramur amplius, quod plantæ præcipue ſic dictæ perennantes novem modis ſequentibus propagari poſſint. Scilicet:

A. Radicibus, quibus plantæ plurimæ intra terram ſoboles juniores proferunt, ſponte vel levi arte ablactandas, & transportandas: hunc modum etiam hortulani exercent radicibus *Mirabilis* & *Aſparagi*, eas novis areolis poſt ſat longum tempus ſuæ effoſſionis, implantando, ſicque tres, imo quatuor annos compendifaciendo, ut turiones, flores, fructusque majores adipiſcantur: idem exercetur *Allii*, & *Cepæ* radicibus, in quarum baſi manifeſtam ſucci nutritii primi ordinis ciſternam communem hic obiter moneo: idem hic modus ſeſe per radices ſolas propagandi absque ullo fructu & ſemine, plurimis plantis etiam eſt naturalis, veluti *Pervincæ*, *Apocyno* &c. raro fructificantibus niſi intra vas anguſtum earum radices coërceantur.

B. Minus cognitus & hucuſque minus conſideratus eſt modus, quo plurimæ plantæ ſeſe propagant, ſcilicet per bulbillos, quos plantæ vel in ſummitate, vel in foliorum alis, vel etiam in ima radice ferunt, & quibus ſeſe non aliter ac ſeminibus ſuis traducunt: recte & attente hi bulbilli a me examinati aliud non continent quam ſupra III. de ovo ſeminali recenſita: talia ova bulbilloſa una cum ordinario fructu mixta ferunt in ſummitate *Stellaris lutea* Cl. Dill. omnes *Cepæ* & *Allia* ſilveſtria, ad foliorum alas autem hic in Viennenſi agro paſſim fert ſimilia *Dentaria*, & *Saxifraga ad foliorum alas bulbifera* T. *Lilium ſilveſtre ad foliorum alas bulbiferum*, *Biſtorta* in agro Viennenſi rara, &c in radicibus eadem fert *Saxifraga vulgaris*, hic in Auſtria rarior illa, ut putem ſolam variationem ex climatis diverſitate: omnes hæ plantæ, ut alibi etiam jam monui contra aliorum opinionem, ſimul etiam florent, & alium præterea ſuum ſpecificum ferunt fructum: diu poſt bulbillos jam maturos & deciduos, tales etiam bulbilloſos cirros probabiliter etiam habent omnium plantarum laburna & corti-

ces, licet de illis Malpighius & Grevius in ſuis plantarum anatomiis ſileant; nam Triumfetti experimenta inferius alleganda, contra quæ Malpighius ſcripſit, hosque cirros bulboſos plantarum in illo ſcripto admiſit, illos ſatis evincunt, mirorque valde Neotericos, quod nullus illorum, horum Triumfettianorum experimentorum mentionem fecerit, fructificationem (extricando ſcilicet hos cirros vel ad ſummos ramos, vel ad foliorum alas) egregie demonſtrantes, cum omnibus reliquis modis, quibus plantæ propagari poſſunt, utpote quorum totum fundamentum in his bulboſis cirris laburni & corticis latere mihi videtur; ſed ſi clarius demonſtrentur, ſummum impendet plantarum ſexuali generationi periculum!

C. Per Vimina, ramosque arborum juniorum, vel juniorum fruticum, hos ſcilicet a ſenioribus præſcindendo, & præciſos lege artis terræ implantando, quo modo Salices in Germania pro ſepibus, Roſmarinus pro deliciis, in Italia vero teſte Rajo ex Columella & Varone, Plinioque Ficus & olea plantantur & traducuntur: hoc modo curioſus quidam Græcii naturæ Myſta anguſtius pro plantis hortuli ſui hybernaculum habens, commodiſſime utitur pro ſuis ficubus, has ſcilicet ſingulo autumno præſcindendo ad radicem, & ſic in hybernaculum projiciendo, ſequente vero vere illas iterum plantando, ut nihilominus fructus ſuos tunc, & quidem copioſiores & meliores, quam alias, proferant: hoc modo ex natura ſua utuntur ſponte plurimæ arborum maximarum ſpecies in America, dimittendo & prolongando ramos ſuos uſque ad terram, hancque illis perforando, novasque radices & arbores ſic agendo, denſiſſimasque ſilvas efficiendo, ut merito mirari habeam regiones in Europa ligno pauperes, cur has altiſſimarum arborum ſpecies ſibi non accurent, & in ſuo climate probent.

D. Ablactatione a C. parum diverſa, attamen certiore multo, quam illa C. hac utuntur hortulani paſſim, dum ſcilicet junior fruticis vel arboris ramulus ad medietatem uſque inciditur, terræque lege artis inſeritur, ita, ut eo in loco, in quo inciſus eſt, intra paucos menſes radices agat, deinde præſcindendus a ſeniore matre: hoc modo in Germania Vitis, Tunicæ pluresque frutices & arbores maxima cum multiplicatione paſſim propagantur, herbæque ſic dictæ flagellantes ex ſua natura eo ſponte utuntur, veluti Pentaphyllum majus repens, Viola Martia &c.

E. Quintus modus eſt inſitio ſive inoculatio a ſe parum diverſa, inſitio enim dicitur, quando integer ramulus junior alii arbori lege artis implantatur; inoculatio autem appellatur, dum loco ramuli exigua gemma alteri arbori lege artis implantatur: utroque modo meliores majoresque producuntur fructus, quam arbor, cui inſitio vel inoculatio facta eſt, naturaliter profert, præcipue dum antea ſilveſtris fuerat, de qua inoculatione & inſitione omnes Phyſici emphatice monent, ut maxima diligentia adhibeatur, ut oculi & arboris inoculandæ lignum ligno, cortices corticibus, & quidem iis accurate lateribus, quibus antea mundi plagas reſpiciebant, adaptentur & conſolidentur.

F. Sextus modus arbores fruticesque traducendi parum adhuc eſt notus, eo tamen efficacius probans & demonſtrans, quod omnis nutritio, fructificatioque per ſolum laburnum corticemque in arbore fiat, vocaturque a meis patriotis annulatio: deglubitur ſcilicet caute ex ramulo quodam extremo præciſo arboris nobilioris fructus, portio annularis corticis cum laburno, una alterave gemma prægnans, hac corticis cum laburno portione alterius arboris vel fruticis ramulus decorticatus, craſſitie priori æqualis, induitur, legeque artis cera arborea munitur, ut omnia eveniant, quæ de inſitione promittuntur & exſpectantur.

G. Septimus modus transplantatio nuncupatur, fitque dum 2. arborum vel fruticum ſibi vicinorum rami craſſitie inter ſe æquales ad medium uſque inciduntur, locique vulnerati colligantur, etiamque cera arborea, muſco &c. muniuntur, quo idem fit effectus, qui ſupra de D. eſt dictus.

H. Octavus modus fit in ſemper virentibus per folium, eo modo, quem ſupra in vocabulario in F. de folio recenſui.

I. Vulgariſſimus modus fit, quo omnes plantæ ſponte utuntur, per ſemina in terra levi ſpongioſa, poroſa & gelatinoſis maſſulis prægnante ſata, in plurimis ſpeciebus plantarum; pauciores veluti Arundines, Nymphææ &c. terram aquoſam, pauciſſimæ ſolam aquam, cui innatando vegetant, aut aliæ petras, arborumque cortices &c. pro ſua germinatione neceſſe habent: hæc ſemina anatomia vegetabilium, effectus, & Phyſicorum unanimis conſenſus a bulbillis B. imo etiam, ſicut infra ſequetur, a gemmis E. partibus ſuis integrantibus III. non differre agnoſcit, ſed ſolo modo fiendi, ſcilicet quod gemmæ, & bulbilli ſponte naturæ, ſemina vero actu generationis fiant ſecundum Neotericos, mihi vero plane non videntur a ſe differre, ſed quod omnia eodem modo ſponte naturæ

fiant,

fiant, ſolo modo bulbillorum Triumfettianorum in laburno & cortice extricatione cum vel ſine floribus comitibus, quod etiam Cæſalpinus jam cognoviſſe fertur, cujus tamen egregia opera nunquam legi, neque vidi.

XVII. Nam ex unanimi Phyſicorum experientia, item III. certum eſt, quod ſemina non niſi foliola conglobata & vel ſecundina vel teſta tecta ſint, quod his iisdem partibus gaudeant & prædıtæ ſint gemmæ E. hæ autem alias partes non habeant, neque contineant, quam ramuli teneriores, cortex, radix, folia, caulis A. C. F. G. & bulbilli B. I. eadem affirmat experientia, quod ſecundum ſupra probata de cortice & F. omnium plantarum nutritio & fructificatio fiant per ſolum librum, laburnum & corticem: quod folia ſemina, gemmæ, bulbilli, cum ipſo dicto libro conſtent ex multis tubulis, veſiculis, membranis lamellatis, trachæis, & poris. vid. vocabularium. Certiſſimum etiam eſt, quod folia, gemmæ, bulbilli & fructus ſive ſemina partibus ſuis conſtitutivis dicto libro ſive laburno ſint contigua & meræ tantum productiones, ex illo tanquam ex radice ortum & totam ſuam ſubſtantiam, parteſque conſtitutivas habentia, ſive in ramorum plantarumque ſummitatibus, ſive in ramorum cauliumque lateribus: clariſſima ergo fluit concluſio, quod ipſe hic liber ſive laburnum ſuis extremitatibus ſive ſummis ſive lateralibus abeat, denſetur, conglobetur, explicetur vel cogatur ſupra in vocabulario de foliis, radice, caule, & III. IV. V. &c. paſſim probata vegetatione vel in folium, vel in gemmam, vel in bulbillum, vel in florem tantum ſterilem, vel in fructum ſive ſemen ſolum a flore remotum, vel in florem & fructum ſemenque ſimul, vel in radices & caulem C. D. &c. iisdem omnino partibus cum ipſo laburno conſtantia, imo inter ſe plane ſimilia, ſoloque ſitu & numero partium ſuarum conſtitutivarum accidentalibus a ſe diverſa.

XVIII. Hæc autem ſi fiant in plurimis absque omni ſpermate vegetabili, quare in ſeminibus ergo hoc ſperma adeo neceſſarium putatur, a reliquis ſupra probato modo plane non differentibus?

XIX. Fieri autem folia, germina, gemmas, bulbillos, corticem ſive laburnum, radices &c. absque prævio flore, ſive ſic dicto neotericorum generationis actu omni, qui in ſolo ſemine & ad id ab illis ſupponitur, & quod fere in omni planta flos antecedat, ex ſupra datis experimentis & in vocabulario paſſim probatum eſt: ſupra probati bulbilli, vera ſemina, B. fiunt in omnibus plantarum partibus, partim ſummis, partim imis, partim mediis ſive lateralibus absque omni comite vel prævio flore aut generationis vegetabilis actu, ſunt tamen partibus ſuis conſtitutivis internis & eſſentialibus ſecundum probata ſeminibus ſimillimi, & quare ſemina absque actu tali generationis fieri nequeunt? cum idem ſemina & fructus a flore tota planta remota clare oſtendant, neotericique experimento phyſico poſitivo & actuali nullo revellere poſſint, ſed quæcunque argumenta adferunt, ſunt conjecturalia, comparativa, & a ſimilitudine tantum probabilia, nihilominus tanti ipſis momenti, ponderisque, ut circumſpectiores hoc in negotio v. g. Rivinium in plantarum ſexus iniquiores juſto proclamare non erubeſcant.

XX. Quid & quantum flores & antheræ ſpermatificationi contribuent pauciſſimis horulis tantum durantes, in Tradeſcantia, Ephemero, Convolvulo Hiſpanico; imo illi flores pauca minuta ſolum durantes, ut in plurimis graminibus ſativis & ſilveſtribus? ad hæc velut in Tradeſcantia, Ephemero; Convolvulo Hiſpanico tantum noctuflori flores, & ideo tantum in aere frigidiuſculo, aut plane frigente humidoque rarefactionem humorum ſupra probatam maxime neceſſariam ad vegetationem, efficientem unicam cauſam omnis elaſticitatis, motus progreſſivi, fermentativi, digerentis &c. in omnibus plantis impediente &c.?

XXI. Clariſſime contra patet ex ſupra probatis, & allegatis experimentis, quod laburnum ſive liber in fruticibus & arboribus, ejusque variæ lamellæ tam in ſummis ramulorum apicibus, quam etiam ad horum latera per radios ſolis, aerisque externi auſtrini conſtitutionem, cuilibet plantæ interne, ſcilicet ſuis partibus conſtitutivis, & externe proportionatam, ſuccum nutritium ſpecifice coquant, variisque ſuis lamellis, tubulis & veſiculis, quibus quilibet liber conſtat, in varias partim ſoboles, partim teſſeras ſuæ germinationis & fructificationis, flores dictas, abeant, externis ſcilicet lamellis in calicem, interioribus laburni in floris petala, reliquis interioribus forte magis tubuloſis in ſtamina & antheras, maxime intimis vero in varios fructus & ſemina vel nuda vel tecta vaſculis, ſimillima ſupra probatis gemmis vel bulbillis, vel etiam in flores tantum, ſcilicet absque lamellis intimis, & ideo ſteriles, nullique ſemini vel fructui inſidentes &c. XIX. idque ex ſpecifica plantarum harum in ſuis laburnis texturam, lamellarumque &c. numero, ſtructura, ordine, elaſticitate, mobilitate, varietateque ſuccorum in illis contentorum ab aura, aqua &c. externis plus minusve convenientibus.

XXII. Sicut enim certum eſt, quod non omnia ſemina, ex defectu quarumdam talium lamellarum, ſint fertilia, id eſt germinantia, ſed ſterilia & fatua ſint, ſic etiam certum eſt, quod plurimi fructus plantarum una cum floribus ſuis integerrimis (utpote quod etiam morbus ſeniorum arborum & fruticum eſt) v.g. poma, pyra, pruna vix infantiam aut pueritiam in ſuis matribus adepta, ex mala talium lamellarum laburni tam in arbore, quam in ipſis fructibus catervatim, etiam diu poſt florem, abſque ulla cauſa externa manifeſta decidant, & pereant; ab hac varia diſpoſitione & numero ratio etiam pendet, quod ex ejusdem plantæ ſemine plantæ diverſo flore generentur, veluti Aquilegia viſcoſa flore ſtellato ex ſemine ejusdem viſcoſæ flore cucullato.

XXIII. Corylus adultior & nimis ſenex, teſte etiam Godſched in Flora Pruſſica, non amplius fructificat ex dicta ratione, ſed ſolum floret: idem facit Juniperus ſenio nimio confecta, & ſicut Corylus inde arboreſcens tantum ſingulo anno floret, ſcilicet Corylus, Juniperus vero arboreſcens neque amplius floret, neque fructum fert: ſicut quilibet curioſus conſiderare poteſt non ſine luctu Heri, primum in Coryleto Weſtphaliæ ad confinia Friſiæ ad D. de Tondorff ſpectante, alterum vero in Junipereto ad B. Mariæ ſplendorem in confiniis Bohemiæ cum Miſnia. Ex quibus experimentis abſurditas fructificationis generativæ in vegetabilibus iterum clariſſime apparet, dum hoc modo per majorem ætatem plantarum ſexus mutaretur, atque ex neotericorum Hermophrodito, Corylo ſcilicet mas fieret; eaque abſurditas tanto major groſſiorque fiet, dum ſexus talis maſculinus ſola arte humana iterum in hermophroditum facile mutari poteſt; ferro ſcilicet & ſecuri frutices dictos ad radicem uſque exſcindendo, ut ex radicibus nova mollioraque vimina & germina creſcant, certe & brevi fructificantia, id eſt una cum floribus etiam fructus ferentia in Corylo, in Junipero vero vel flores vel baccas tantum. Idem experimentum valet de omnibus arboribus Monæciis ſenibus.

XXIV. Nam theſis XXII. veritatem quotidiana experientia demonſtrat, dum arbores ſeniores ex occalleſcentia lamellarum tubulorumque &c. laburni ſui, primo omnes ad unam ſerius in anno fructificant, deinde fructus ſuos ſenſim abortiuntur, tandem vero plane ſterileſcunt cum vel ſine flore, facile tamen iterum curabiles ſola inſitione vel inoculatione artificiali ſupra dicta.

XXV. Lamellæ etiam bulboſæque cirroſitates arborum laburni in fructum uſque productæ manifeſte apparent etiam in pyrorum fructibus, quorum ſtructuram ex meris tubulis, veſiculisque contextam & cancellatam admirare lector in ſpecimine fructus pyri anatomiſato doctiſſimi D. Archiatri Trew in commercio literario Norimbergenſi; hi autem cirruli quantum ſcirrheſcant, & quam facile in duros lapides degenerant in pyris ſenio confectis, patet cuilibet pyra talia comedenti: experientia autem docet, quod ſi ſcirrhi in fructibus pyri ſenio confectæ fiant, quæ antea in juventute ſua fructus molliſſimos & ſuccoſiſſimos ferebat.

XXVI. Mutationem & variationem ſexus plantarum etiam a cauſis externis accidentalibus pendere, eſſentialemque non eſſe plantis, neque immutabilem, Fraxinus probat, quæ ex certa obſervatione modo flores & fructus tota planta remotos, modo in eadem arbore remotos, modo non remotos fert, & quod mireris lector, hoc accidens in una eademque arbore pro variatione annuæ conſtitutionis occurrit. vid. Pontedera, & ipſius Linnæi Genera plantarum, cujus ingenioſiſſimi viri laborem & doctrinam in Botanica ſatis laudare nequeo. Item hic egregius Author cum ſuis aſſeclis Bryoniam aſperam ſive albam baccis rubris C. B. Androgynum dicit, ego illam in Auſtria & Miſnia conſtanter Diæciam obſervavi, ſicut idem etiam teſtatur Cl. Dillenius in ſua Flora Giſſenſi, cum Joanne Bauhino & Rajo: manifeſto iterum ſigno, quod hæc planta pro variatione externa aeris ſive climatis &c. ſexu variet, ſexumque plantarum accidentalem & non eſſentialem clare demonſtret probetque evidenter, variabile & inſufficiens Sexualiſtarum ſyſtema, aut lapſum in plantarum ſexu. Eandem variationem ſexus omnis in eodem Coriſpermo aperte fatetur Linnæus in Gen. Plantarum.

XXVII. Anatomicæ in vegetabilibus obſervationes Grewii & Malpighii de ſupra allegatis gemmis, quæ duplicis generis ſunt, ſcilicet vulgares minores, tantum germiniferæ, & majores geminiferæ & ſimul floriferæ & fructiferæ, docent, cum ipſa authopſia, quod jam perfectæ & tanquam abſoluti embryones lateant tribus, quatuor, vel in noſtro climate ſex menſibus ante ſuam efflorescentiam, ita ut in vere &c. prodeant & explicentur tantum, jam diu antea perfecti, & quod revera illius anni flores & fructus non ſint ſtricte, ſed prægreſſi anni, licet adhuc tenerrimi & embryonales tantum, qui ſucceſſu temporis in magnitudinem &c. debitam a cauſis externis expandi debent, ad quid ergo deinde deſuper coitus ille vegetabilis, unde conceptus fiat?

XXVIII. Scio & recordor ſecundum neotericos hos embryones tantum & ſola conceptacula eſſe ſive uterum, ubi autem ſunt ovaria fæminea, ſi comparatio non claudicet? ut autem ſciant Neoterici, certique ſint, verum eſſe fructum jam formatum omnibus ſuis partibus tenellis latentem

in

in his gemmis, Illuſtriſſimum Fabium Columnam adeant, qui de Oſmunda Regali ſive Lunaria, in qua nullum adhuc pollen ſpermale Neoterici detexerunt, neque unquam demonſtrabunt ulla arte, expreſſe notat (vid. Rajus in hiſtoria plant.) quod perpetuo habeat ad radicem & ſupra eam in petiolo folliculum quemdam exiguum (mihi gemmam) Ari ſimilem flori, qui totam plantam veluti fœtum in nucleo ſive ſecundinis aut gemmis complicatam continet, cum ipſo etiam racemo fructifero, poſt annum explicandam & perficiendam!

XXIX. Quæſo! quid flores Juglandis, Coryli, Morique, fructus tam diu antecedentes, ad horum fructus contribuent? tam ſero poſt flores prodeuntes? ita, ut dum horum gemmæ prodeunt, flos jam diu ante 4. imo plures ſeptimanas, in Corylo vero menſes, periverit. Quod autem horum fructus etiam in ſupra deſcriptis gemmis lateant, facile patet ex eo, quod hæ arbores ſive frutices ſic dictæ nuciferæ, vulgo Kern-Obſt / inoculari nequeant, neque ulla ratione hucuſque inoculari potuerint; idque non ob floriferas gemmas, quæ ſatis mature in his prodeunt, ſed ob defectum gemmarum fructiferarum, quæ non prodeunt, niſi in imis ramorum lateribus & tempore ſeriore veris, ubi inoculationi neque locus, neque tempus amplius ſupereſt; quærant ergo Sexualiſtæ ex illorum ſententia cauſam phyſicam aptiorem & clariorem hujus negotii, ſi illorum ſexus forte meliorem ſuppetidet.

XXX. Magna ſunt, quæ Linnæus de plantarum generatione primis ſuis magnis & profundis cogitationibus cogitavit, & ut veritatem fatear, tam excelſa quam profunda, ſimplices autem illi ſunt, qui poſt ſecundas cogitationes meliora non ſciunt, aut meliora ſcire geſtiunt: ſi flores Corni attentius conſideraſſent, item Ceraſi, Pruni ſilveſtris &c. imo plures alios, cognoviſſent facile laburni lamellarum varias imbricatasque tam in his floribus, quam eorum petiolis explicationes.

XXXI. Flos autem Corni a nemine deſcriptus, & quidem ſilveſtris in Auſtria vulgariſſimus tam bacca rubra quam alba, ternus, quaternus, imo quinus & 6. &c. quaſi in faſciculo prodit, quorum ſingulus longo petiolo plus quam unciali nititur, prodeunt autem omnes hi petioli ex medio alius floris, ſicut in aliis floribus ſtamina, hi petioli uncia ſemis plerumque ſunt longiores, quorum cuilibet floſculus parvus ſtellatus, id eſt ex 4. petalis mucronatis conſtans, Tournefortiano picto longe minor inſidet, flos hic calice nudus eſt, 4. continet in medio ſtamina cum apicibus, mediam lineam longa, apices aut antheræ horum ſunt orbiculares & convexæ, cum tubo ſive piſtillo quodam in medio, ſtaminibus breviore, ſed quem nullo microſcopio Muſchenbroeckenſi cavum perſpicere, id eſt, in eo nullam cavitatem percipere potui: eundem & ſimillimum complexum flores Ceraſi fructu rubro ſulcato habent.

XXXII. Figuram floris Corni lectori ſiſto 77. figura △. cujus flos imus pedunculos florum ſtellatorum obvallans magnitudine & figura naturali ſiſtitur, color hujus ex pallido luteo viret, & nonnihil villoſus eſt, & nihil aliud quam corticis externi hiatus, floſculi minores ſtellati pedunculis nixi una cum ſtaminibus, antheris & piſtillo flavent, ſuntque paulo majores picti quam naturaliter ſunt, paulo tamen etiam minores, quam quos figura Tournefortiana exhibet: flos hic in Martio jam effloreſcit, ob anni vero 1743. ſerotinam conſtitutionem longioremque hyemem in Aprilis principio in agro Viennenſi floruit, in valle ſupra laudata Döblingenſi, ideoque tempore adhuc præcipue de nocte valde gelido.

XXXIII. Flos iſte Tyronibus facile videbitur compoſitus ex meris regularibus unius generis, ſed difformibus, flos petiolorum faſciculum obvallans in hac figura & in ipſo flore depicto, pedunculo brevi nititur, ſæpiſſime vero ipſum deprehendi ſeſſilem ſua ima baſi pedunculos florum minorum continentem, immediateque ſitum ſupra externam libri lamellam: ex hac itaque figura & deſcriptione hujus floris clariſſime, ſi unquam alibi, libri lamellarum & laburni variæ excreſcentiæ, ſquamoſitates & imbricationes lamellarum, harumque variæ explicationes apparent. Nam

XXXIV. In pedunculis floſculorum horum manifeſtæ claræque ſex lamellarum Cl. Dillenii pyxidationes ſive articulationes, vaginationes, & imbricationes, ut in Equiſeto apparent, & quidem ex fine gemmæ cujusdam in ultimo autumno factæ, reliqui articuli ſunt germina molliora & teneriora hujus veris: ab hac 5plice ſive 2plice pyxide uſque ad dictum florem minorum floſculorum pedunculos circumdante incluſive ſeptem ſunt veluti articuli ſive pyxides, ſingulus articulus attente examinatus nihil eſt quam finis & productio diverſarum laburni lamellarum, ita ut in imo articulo a pictore non ſatis clare expreſſo, finiantur & ſubſiſtant tres lamellæ externæ libri, producantur vero his inferiores & intimiores lamellæ laburni uſque ad articulum breviſſimum ſecundum, in hoc ſecundo articulo iterum, quantum ex ſimilis ſuæ cum priore craſſitiei æquatione, nulla vero alia

alia arte, concludi poteſt tres aliæ lamellæ laburni interiores prioribus ſubſiſtunt, & aliæ iſtis adhuc intimiores producuntur, faciuntque longiſſimum internodium, poſt quod eodem plane modo 4. breviores omnibus prioribus lamellis iterum intimiores laburni continuantur, ita ut jam infra florem majorem ſive perianthium involucrumve commune petiolorum florigerorum quædam lamellæ petaloideæ fieri, id eſt, colorata petala quædam fingere incipiant, quale quid etiam, ſed breviſſimis tantum crenis finis internodii longioris jam ſimulat.

XXXV. Ex ipſa baſi petalorum, ſive medio hujus floris majoris ſeſe erigunt dicti pedunculi, flores minores ſuſtinentes cum ſuis ſtaminibus, apicibus, tubo, & fœtu, quæ probabiliter nihil aliud ſunt, quam maxime intimæ laburni lamellæ magis tubuloſæ & bulbilloſæ, ex ſua textura in deſcriptam figuram luxurioſam ſeſe ulterius extendentes, erigentes & explicantes: ſimiles lamellarum corticis & laburni imbricationes in omnium arborum fruticumque floribus manifeſte apparent, eæque variæ pro vario ſuo complexu: ſic floris Pruni ſilveſtris pedunculus proxime ad ultimos ramulos format talem lamellarum imbricationem breviſſimam gemellam, cujus infima ad principium pedunculi per microſcopium manifeſte oſtendit 4. vel 5. lamellas laburni, obiter etiam jam in petala virentia quaſi crenatas, ex harum medio ſurgunt & pergunt reliquæ his intimiores in forma pedunculi, qui vix lineas duas longus aliquot lamellis ſuis externis in calicem manifeſte petaloideum ſive quinquifidum definit, lamellis magis internis & tenerioribus abit in 5. petala floris, intimæ in baccæ pericarpium ſtamina, apices & tubum, maxime intimæ vero in nucleum, folia ſeminalia continentem, facta & conglobata ex maxime intimis libri lamellis: ſimillimam ſtructuram oſtendit flos Ceraſi fructu rubro cordiformi ſulcato, vulgo Hertz-Kirſchen.

XXXVI. Omnia hæc magis corroborantur plantis illis, quæ fructus ſupra & ſimul infra terram in & ex ſuis radicibus ferunt, id eſt, ab aliis fructibus ſui generis non differentes fructus, ſive capſulas ſeminales, quarum non una eſt, neque paucæ ſunt, ſed probabiliter longe plures, quam Rajus in ſua plantarum hiſtoria pag. 918. deſcribit, ſcilicet Lathyrus amphicarpos Moriſ. Aracus amphicarpos Stapel. Vicia infra & ſupra terram ſiliquas ferens T. &c. ad quorum radices per terram nullum pollen ſpermaticum penetrare poteſt, & in quorum radicibus probabiliter ante omnes flores & abſque omnibus floribus veri fructus fiunt, ſicut ſupra allegati bulbilli in Saxifraga, Dentaria &c. palpabile iterum argumentum, quod fructus revera abſque omni generatione & ſpermate vegetabili fiant, ex meris ſcilicet lamellarum membranoſarum in vegetabilibus ſive plantis bulbilloſis cirris varie ſecundum ſuam texturam ſupra dicto modo in varios fructus excreſcentibus, & quidem in omni plantæ parte, prout DEUS eam creavit, ut pro ſingula ſua ſpecie ſpecificum ferat ſemen: maxime vero & ad ſenſus manifeſta fit hæc fructificationis methodus, quod ſcilicet flores nihil materiale poſitivum & directum ad fructificationem conferant, per fructificationem Pilulariæ Vaillant &c. Cl. Dillenii, item per Calamarias & Subulariam Cl. Dillenii in ſua hiſtoria aurea Muſcorum, in quibus abſque omni flore, apicibus ſive antheris, infra & ſupra terram fructus perfectiſſimi fiunt, nullaque pollinis materia ſpermatica demonſtrari poteſt. Agricolarum certiſſima etiam eſt obſervatio, quod frumenta ex Veris & æſtatis magis humida conſtitutione, ſicut 1743. in plurimis Europæ ditionibus, ſpecialiter in Auſtria & Tranſilvania, culmos longiores & robuſtiores, pauciora vero ſemina, eaque corruptibiliora producant, econtra vero a Vere humidiore & æſtate ſicciore, poſtea ſuperveniente, culmos breviores & tenuiores, ſemina vero copioſiora ferant: recte itaque ex hac obſervatione fluit concluſio, quod pars culmi bulbilloſa ſuprema, a nimia anni humiditate nimis mollis culmo addatur, fructificationi vero dematur, ubi autem ab æſtate ſicciore dicta pars culmi eſt ſiccior, minusque extricabilis, tunc in ſemina abeat, culmoque dematur: atque hoc abſque omni reſpectu & cooperatione floris, qui in graminibus aliud oculo phyſico eſſe non videtur, quam tubuli minuta portio ex culmo in ſemen uſque, eo in loco, ubi ſeminum ſulcus eſt, continuata, & a creſcente ſemine abrupta, atque extra glumas protuſa: quam ſententiam demonſtrat florum horum color in plurimis graminibus ſulphureus, in quibus ſcilicet culmorum ſtriæ ſive tubuli etiam ſulphurei coloris ſunt, in paucioribus tamen ſilveſtribus illorum color eſt croceus, & in gramine paluſtri minore ruber, & tunc in illorum culmis ſtriæ ſive tubuli etiam apparent vel crocei vel rubri: quomodo ergo hæc agricolarum obſervatio cum Sexualiſtarum ſpermatificatione concordat, & cum cauſa coloris horum florum conciliari poterit clarius? ad oculum nudum confirmata mox infra ſequente experimento Sigesbeckiano, in Leucois inſtituto, & infallibili. Corroboratur etiam hæc ſententia, quod in locis calidioribus ex eadem ratione, veluti Ungaria finitima & in Bannatu Piſa, ut in Germania, non fructificent, ſed minora ſemina eaque nigra ex optimo ſemine germanico, ſaltem tertia vice ſata, producant, & quaſi in ſilveſtria tranſeant. His ſi addantur obſervationes de fructibus fruticum & arborum per inoculationem vel transplantationem productis, quod ſcilicet horum figura per inoculationem vel transplantationem mire immutetur, & a vulgari ſive naturali maxime deflectat, & quaſi mediam ſive tertiam ſpeciem inter fructus arboris inoculandæ, & alterius inoculatæ

forment,

formↄnt, non ſecus ac animalium omnes ſic dictæ tertiæ ſpecies, aliud ex hac fructificatione iterum concludere non licet, quam quod ambarum arborum ſive potius ſtolonum & arboris inoculatæ tubuli, & lamellæ in unum coaleſcant, & ſimul in fructum uſque abeant eundem, qui ab utriusque fructibus ideo fit difformis: certum enim eſt, quod in unum continuum coaleſcant, certum etiam eſt, quod ipſorum ſtolonum fructuumque tubuli, lamellæ, & veſiculæ a ſucco matris, cui implantati ſunt ſtolones, evidentiſſime immutentur, ſicut figura, & ſapor fructuum non tantum ad ſenſus probat, ſed etiam ſtolonum horum cortex, quo ad omnia ſua ſic dicta accidentia: ſicut quilibet in pyro ſic dicto Bergamotenſi vera, id eſt, cujus ſtolones Citro implantantur, item Malis implantatis Cydoniis arboribus, videre poterit: cum econtra ex unius ejuſdemque ſpeciei plantæ ſemine nunquam tanta metamorphoſis eveniat: certum etiam eſt, quod Vitis certa hujus principii arte ita putari poſſit, ut eodem, quo hac arte putata eſt, anno copioſiſſime fructificet, & quidem ita, ut ex nimia fructificatione eodem adhuc anno pereat Vitis, imo integra vinea; quomodo ergo & qua lege naturæ ſolo florum coitus actu hoc explicari poteſt a Sexualiſtis, ſepoſitis meis principiis Cæſalpinianis? dicant etiam, quomodo fiant fructus Limonis & Aurantiæ fœtiferi aliter; & quidem conſtanter in eadem planta!

XXXVII. Bulboſam autem omnium plantarum in ſuis laburnis conſtitutionem ſatis clare oſtendunt ſupra deſcriptæ gemmæ & bulbilli, imo omnes flores & fructus artificioſiſſimis ſuis tricis ante ſuam explicationem ſeſe vel in ſummis apicibus ramorum, aut ad latera foliorumque alas tempore ſuæ fructificationis ſeſe oſtendentes, clarius autem probant Malpighio quondam paradoxa experimenta Triumfettiana Romæ ſæpiſſime coram integro choro doctiſſimorum virorum, præcipue Malpighii, atque omni cum circumſpectione & cautela repetita, & ibi adhuc hodie notiſſima, dum Triumfetti (puto, quod fuerit Lælius) varias plantas aut comburebat, aut quaſſabat in mortario, harumque cineres aut pultem cum terra puriſſima vacua omni ſemine & aliunde apportata, varieque coram foro civili præparata miſcuerat, irrigandoque & debite fovendo hanc terram per tempus debitum, easdem ſemper plantas quaſi phænices iterum conſtanterque produxit & reſuſcitavit.

XXXVIII. Summus Triumfetti adverſarius hoc in experimento erat Malpighius, primo rem impoſſibilem proclamans, ſucceſſu vero experimentorum plurimorum conſtante convictus, rem eo declinavit & explicuit, quod Triumfetti plantas non plane combuſſerit, aut non plane conquaſſaverit, ſed ſive in cineribus tantum uſtulatis, ſive plantarum quaſſatarum pulte reliquerit plantarum quosdam bulbillos incorruptos in plantarum omnium ſubſtantia latentes, ſicque plantas ſemper easdem in ſua terra iterum produxerit: hoc Malpighius ſcriptis publicis mihi ignotis publicaſſe dicitur, ſpecies autem facti non ab uno, ſed a pluribus viris authoptis Romæ, dum ibi vivebam, eſt mihi narrata & confirmata, quam ulterioribus experimentis propriis quilibet curioſus corroborabit: bulbilloſos hos cirros egregie etiam ſciunt Phyſici practici, ruſtici & hortulani ex eo, quod in eo arboris cujuslibet loco, ramuli NB tenelli, ubi ſemel fructificatio facta eſt, ſequente & pluribus annis ex eodem etiam puncto fructus iterum fiat. Heu quanta ignorant inflati reformatores!

XXXIX. Lamellarum laburni tales varias luxurioſas a cauſa externa valde variabiles varias in flores & fructus non raro monſtroſas productiones absque magno apparatu ſpermatificationis, coitus &c. in vegetabilibus ſive plantis egregie etiam illuſtrant experimenta Sigesbeckiana actis Wratislavienſibus communicata de Leucoi floribus ad lubitum mutatis & mutandis in plus minusve proliferos, florentes & refloreſcentes fructiferos & ſteriles.

XL. His addantur, quæ ſupra paragr. 81. uſque ad 89. paſſimque in vocabulario dixi, & præterea momenta argumentorum Sexualiſtarum toties in viros innocentes eosque tam mortuos quam vivos invectorum trutinentur, quæ ſunt:

a. Vaillant obſervationes & cantilenæ de horis matutinis venereis plantarum, harumque teſticulorum ſive antherarum irritatione & punctura aci, organorumque omnium, quæ in floribus occurrunt non aliter explicandorum.

b. Experientia de palmarum fertiliſatione, qua flores maſculos aliarum palmarum a fructu tota planta remotos fæcundos reddunt incolæ afri.

c. Experimentum Geoffroy junioris de Mays, qui flores imperfectos hujus plantæ præſcidit, & ſic plantam ſemiſterilem effecit.

d. De hortulano, qui Cucumeris aut Peponis flores maſculos tanquam ſteriles carpſit, fæmininos vero & piſtilliferos reliquit, ſed fructum nullum retulit.

XLI. Vaillantiana experimenta poëſin ſapiunt, eadem nunquam ſponte ultra 30. annos Botanices ſtudioſus obſervavi, neque ullam unquam antheram obſervavi elaſticam, id eſt, pollen cum impetu projicientem, neque Germanus, cujus natio ſola ad veritates inveniendas nata in Europa eſſe videtur, cum Bohemis, Anglis, Longobardis & Suecis, ſuis hucuſque obſervavit; probetur ergo

ergo coram foro debito & fiat proceſſus coram teſtibus. Credulus & ſuperbus Gallus Vaillant accinit iis, quæ pridem putare & produxere probabiliter Malpighius, Grevius &c. ſupra dicti.

Palmarum impræguatio allegata negatur ab authoptis Malabarenſibus Horti Malabar. tom. I. de Papaya. Item ab experimento Tournefortii de Lupulo fæmina fructifera in Horto Regio Pariſ. in Europa mecum quæ multis milliaribus diſſitum marem non habet: Geoffroy & aliorum reſponſum, quod ſemina in aëre circumvolent, Platonis plaſma aëreum ſapit, naturæque animalium eſt contarium, quæ inde, ut ſupra jam dixi, in aſthmata &c. procliviora eſſent, quam Diemerbroeckii famulus frumenta ventilantis: quod ſemina hæc incolæ afri palmarum dicto modo transferant quidam, D. Ludvvigio credam, ſed quod in omnes palmas transferri ſic poſſint, ob copiam palmarum in Africa harumque excelſitatem impoſſibilem dico & probabo; forte etiam æquivocatio hic latet, ſicut in eo, ſi dicerem, quod ideo Fici ſemina in Germania ſint ſterilia, eoquod a certis magnis gravibusque muſcis, quæ ſucco ficorum, fructus hos ſcilicet proboſcidibus ſuis perforando continuo, & ſic horum magnitudinem & dulcedinem mire augentes ab incolis Græciæ ad Ficus arbores catervatim ab una arbore captæ, ad aliam continuo transportantur, in Germania noſtra deſint.

XLII. Geoſtroy experimentum plantam Mays ſterilem non reddidit, ſed illius fructuum numerum & forte magnitudinem, quam Gallus tacet, imminuit; neque mirum, quoniam DEUS numeravit & deſtinavit etiam hominum (procul dubio etiam plantarum) capillos, & ideo etiam Mays florum comam præ reliquis hujus plantæ partibus calori & radiis ſolis magis expoſitam, ideoque ſupra probatæ fuctioni Ariſtotelicæ; hoc autem ab adverſariis peto, ut ſolvant & dicant, quomodo per clauſtra integumentoſa & ſpathacea conorum ſeminalium Mays arctius clauſa, quam ſi manus mediocribus viribus comprimerentur, pollen ſeminale penetrare poſſit, & quidem per tubos ſeminum non vel vix pervios capillares longiſſimosque, in quibus non vel vix apparet manifeſtus hiatus; ex illis etiam quæro, unde pollen veniat ad illos conos feminiferos dictos, qui diu poſt flores emarcidos & omni farina exhauſtos producuntur, & nihilominus plura majoraque ſemina proferunt, quam reliqui, qui ſunt tempore florum, authopta enim ſum in Ungaria inferiore, quod hæc certa ſint. Contradicant Americani quidquid volunt, id non admitto, niſi in ſuo climate. Hæc eadem difficultas ſupra dictum adverſariorum argumentum de Palmis premit, cui adverſarii etiam reſpondeant, ſed, ut petunt ipſi ingenui viri Linnæani, per teſtimonia & experimenta.

XLIII. Cucumerum aut ſic dictorum omnium cucurbitiferarum plantarum flores, ſive, ut ingenioſiſſimi & maxime artificiales in Botanica viri dicunt, Maſculi, fruſtra a DEO creati etiam non ſunt; omne enim creatum ſuam habet, ut Wolffius dicit, actionem & reactionem, non autem majorem, quam floribus competit, ſcilicet parti ſubtiliſſimæ maximeque pellucidæ &c plantæ, mire ſupra probatam ſectionem & humorum coctionem Ariſtotelicam juvanti, & quod magis eſt, nectar pro ſeminibus coquenti, quæ etiam verum & unicum in tota planta eſt nectarium; quod alii in appendiculis quærunt, forte ubi ſuccus nectareus (ſi venenoſus non eſt) magis eſt concentratus, & adhuc magis probandus, ſicut ipſa Cryptogamia in fungis, quorum ſemina nullus, quam Mickelius vidit. Idem teſtante Cl. Dillenio, ab hac ſententia fructificationis in cæteris non multum alieno: quod vero ſemina fungorum a coquis, quando fungos ad eſcam præparant, aqua illos macerando, aqua extrahantur, hæcque aqua terræ ſuperfuſa, ex ea fungos producat, idem eſt dicere, quam quod fungi iidem creſcant a fungis a pedibus humanis conquaſſatis, aut ex lapide Neapolitano fungifero, Mappa dicto humefacto, aut quæ Triumfetti de cineribus plantarum, aut plantis quaſſatis ſupra dicto modo probavit.

XLIV. His generalibus præmiſſis, pluribus vero aliis non minoris momenti omiſſis & ad aliud tempus reſervatis, intellectui tamen clariſſimis, dilucidatis & probatis, æqui bonique animi lector judicet, & hæc cum illis, quæ duriores Critici contra mortuos & vivos paſſim in ſuis ſchediaſmatis ferunt, contra illos ſcilicet, qui ſexus plantarum horumque abſurditates, ut ſolidi viri authoptæ, veris ſolidisque principiis phyſicis nixi, necdum admittere poſſunt, æquo animo trutinet, judicetque, an actus voluntarii generationis, etiam ab externo, ut de Palma dicunt, exerceri in plantis poſſint & hi ulli corpori mechanico competant, aut quadrent? aut ſana ratione verisque experimentis probari poſſint?

LXV. Utor autem & amplector, ſub alia, ut cum Philoſophis loquar, ſpecie & cauſa, floribus & toto fructificationis in plantis modo, cum Rivino & omnibus Botanicis Magiſtris, non aliter autem, quam ſigno principali facile cognoſcendi & dignoſcendi plantarum genera ſpeciesque, & quidem, ſicut ſupra jam monui, non claſſificationis gratia, methodosque neſcio quales, naturales, ſusque deque mixtas maxime hæterodoxas inſtituendi, ſed ut dixi, ut plantæ externe facile dignoſcantur, deinde, ut illarum vires, a ruſticis, plebeis, animalibus, imo etiam viliſſimis inſectis addiſci

ſci queant; & pudet me maximorum voluminum botanicorum neotericorum, quod in illis ne gri contineatur de viribus plantarum novis in tantis voluminibus deſcriptarum, qui tanta nova urgent, & inculcant, & continuo in ore volvunt contra alios. Aſt ſatis, ad alia progredior, quæ magis ſunt utilia, & generi humano ſive civitatibus neceſſaria.

XLVI. Quomodo ſcilicet a priore plantarum vires inveſtigari poſſint, de quo nemo melius, quam Hoffmannus & Linnæus ſcripſit, quibus pro modulo meo etiam ſequentia addo, ut deſiderio plurimorum Botanophilorum ſatisfaciam, huicque meæ introductioni ad rem botanicam nihil deſit, quod cognitionem plantarum tam externam quam internam juvare poteſt; puto vero ſcrutinium plantarum virium vel a priore, & ideo adhuc mera probabilitate nixum, & multis exceptionibus obnoxium, vel a poſteriore, ſcilicet ſola experientia ex meris obſervationibus effectuum in corporibus vivis & mortuis factis pendere.

XLVII. Scrutinium a priore, & quidem probabile ſolum fit

1. Ex plantarum ſic dicta ſignatura antiquis magni æſtimata, a recentioribus minus recte meo judicio plane rejecta.
2. A plantarum climate, regionibusque, in quibus creſcunt, copioſius quam alibi.
3. A loco ſpeciali, in quo vegetant.
4. A charactere vegetationis & fructificationis, quibus plantæ plures inter ſe conveniunt.
5. A ſapore plantarum, earumque partium.
6. Ab odore earundem.
7. A colore & facie ſive habitu plantarum, horumq; convenientia aut differentia cum aliis plantis.
8. A plantarum inſectis ſimilibus cum aliarum plantarum inſectis.
9. A plantarum uſu & effectu apud bruta & plebem.
10. Per analyſin Phyſico-Chymicam.
11. Caſu fortuito & fato.
12. Per obſervationes accuratas ponderis ſpecifici ſingulæ plantæ harumque partium tam organicarum, quam elementarium chymicarum, aut ex iis chymice præparatorum, v. g. Extracti gummoſi, reſinoſi, ſalis fixi lixivioſi, medii, ſalſi &c.
13. Ratiocinio & æquatione virium & qualitatum notarum in brutis, inſectis &c. qui tamen modi omnes experientia corroborari debent, abſque qua tantum probabiles manent.

XLVIII. Signatura ſive ſimilitudo plantarum, harumque partium cum certis corporis humani partibus, aut monſtris antiquos docuit, quod radices Orchidis ſterilitati humanæ medeantur, Linguæ cervinæ figura cum liene conveniens lienis morbis medium docuit. Seminis Milii Soler, lapidum Meſpilorum, Perſicorum &c. ſimilitudo cum ſabulo & calculo renali, ſucci Chelidonii flavedo cum colore Icteri concolor, Scrophulariæ radix grumoſa & ſtrumoſa cum Scrophulis conveniens &c. docuit antiquos uſum dictorum contra morbos dictos, quorum plura videantur in König Regni vegetabilis pag. 601. meo judicio non plane inania, præcipue dum plura ſigna ex ſequentibus ſimul concordent. Ad ſignaturam hanc etiam pertinent nomina plantarum in variis linguis non raro valde propria, virtutemque plantarum non raro pulcherrime exprimentia, atque etiam omnibus Philoſophis ſigna ad placitum dicta, v. g. Sideritis in Auſtria & Styria vocatur Fußpeer-Kraut/ alibi Glied-Kraut/ quæ nomina herbæ hujus efficaciam in morbis apoplecticis, paraliticisque optime exprimunt. Idem puta de Ariſtolochia vera & non ſpuria radice cava: Idem Cardiaca, Scrophularia &c. verba exprimunt. Ariſtolochia multiflora Riv. in Auſtria copioſiſſime, ſicut etiam in Comitatu Cellejenſi creſcit: Auſtriaci hanc vocant Wolffs-Kraut/ a Cellejenſibus ſive Veneto-Styris fere eadem ſignificatione ex communicatione D. Popovitſch nempe Wouczeck vocatur, remedium indicans contra morbum pecudis ejusdem nominis, quo pecudes quaſi aqua intercute afficiuntur, herbam interne pecudi propinando in decocto, & externe in lotionibus & injectionibus, dum tumores incidunt: hujus Ariſtolochiæ multifloræ decoctum aqua factum ſpecificum eſt externum contra ſcabiem, ſi eo partes ſcabioſæ aliquoties quotidie laventur, aut totum corpus ſcabioſum paucis vicibus balneetur: Auſtriaci decoctum ejus vino factum feliciſſime adhibent contra ulcera colli pedumque in bobus & equis externa.

XLIX. Plantarum regiones ſive civitates climataque natalia, in quibus copioſius & ſponte creſcunt, quam alibi, indicant, quod morbi certi ibi vel inter plebem vel bruta endemii graſſentur, qui vel curari vel præſervari dictis herbis poſſunt; de plagis enim Septentrionalibus certum eſt, quod ibi ex defectu herbarum leguminoſarum, aliorumque vegetabilium eſculentorum, ſicut inter diu navigantes in mari ex eadem ratione, Scorbutus valde graſſetur, contra quem efficaciſſima Cochlearia copioſe ibi creſcit: in Carinthia & Styria vero pro ſcrophuloſa & ad hydropem prona plebe copioſum

Mo. Bot. Garden, 1898

copioſum eſt vincetoxicum, ibi vero, ubi copioſe creſcit Tamariſcus, morbus frequens ſpleneticus & hypochondriacus inter plebem frequens obſervatur cum lurido faciei colore: ubi Abſynthium, ibi ventriculorum hepatis biliſque imbecillitates & febres frequentes eſſe, traditiones medicæ docent: admirabile eſt, quod Fehr de thermis Wisbadenſibus refert, quod nullibi, quam ibi copioſiorem viderit Verbenam, ut ſcilicet cephalalgiæ ibi in loco calido & ſulphureo endemicæ medium eſſet; in vicinis contra ibi acidulis Schwalbacenſibus nec Abſynthium, nec Verbenam, nec Cichorium dari aſſerit, quoniam horum defectum acidulæ dictæ ſupplerent; copioſam autem ibi obſervavit Bryoniam pro acidulis hauſtis, forte diutius remorantibus iterum ejiciendis: nullibi febres intermittentes magis populares ſunt, quam in pagis & civitatibus ad aquas ſtagnantes ſitis, aſt etiam nullibi, quam ibidem copioſius creſcit Phellandrium.

L. Natalis locus ſpecialis plantarum v. g. in aqua, montibus, locis ſiccis arenoſis &c. plantarum ipſorumque locorum vires non raro clariſſime indicat: ſic Kali geniculatum nullibi quam in aquis ſalſis creſcit, ideoque ſalinas indicat, ſi inveniatur: plantæ in udis & aquis & ad eas creſcentes omnes fere acres ſunt, ut Ranunculus, Perſicaria, Cardamine, Nummularia, Petaſites, Siſymbrium &c. quæ vero plantæ in locis ſabuloſis creſcunt, reſinoſa complexione gaudent, ut Pinus, Picea, Abies, Aloe in Africa &c. quæ in terris fimoſis, nitroſis, veluti in ruderibus pagorum & civitatum creſcunt, oleo fœtido abundant, ut Eryſimum, Chenopodium fœtidum, Naſturtium, Aſparagus, imo præterea etiam plerumque ſimul acria & venenoſa ſunt, ut Stramonium, Hyoſciamus, Cicuta, Cynapium &c. Solum elatius montanum, ventilationibus aëris liberis expoſitum puriores, magiſque defæcatas, minus corruptibiles ſanioreſque producit plantas & fruges, & plerumque, ſi perennes ſint, a nivis hyemalis pondere curvatas, cæterum vero ob ejusdem nimis diuturnam durationem, & aërem frigidum omnes plantas in alpibus humiliores: nullibi quam in alpibus creſcit Meum, Allium montanum radice ſquamoſa, Doronici ſpecies, Geum, Dryas Linnæi, Seda alpina &c. aſt ut ſupra jam monui, pauciſſima gramina, & inter ea prædominans gramen cirroſum ſive bulbiferum Scheuchz. ſaltem in alpibus noſtris Auſtriacis.

LI. De charactere plantarum valet, quod plantæ eodem fructificationis modo vegetantes viribus etiam iisdem conveniant: ſic enim plantæ flore perfecto ſimplice monopetalo, cum ſeminibus nudis 4. foliisque villoſis, v. g. Pulmonaria, Bugloſſum, Borrago, Lithoſpermum &c. inodoræ ob terreſtre glutinoſum ſubaſtringens in iis prædominans principium, virtute vulneraria pollent: flore monopetalo plano gaudentes plantæ cum ſeminibus nudis plurimis, veluti Malva, Althæa, Alcea &c. ob gummoſam ſuam complexionem humorum acrimoniam temperant: Plantæ flore monopetalo & ſeminibus nudis duobus ſolidis, foliiſque circa caulem verticillatis, antiquis ſtellatis, gaudentes, diureticæ & aperientes ſunt: Parietaria, Blitum, Atriplex, Chenopodium, Spinachia, Mercurialis ob uniformes fere ſuos fructificationis characteres ſuccumque mucidum alvum lubricant, & acrimoniam humorum ſalſam temperant: Plantæ flore labiato & ſeminibus nudis quatuor vegetantes, ſimulque odoræ, ob oleoſam aromaticam ſuam virtutem nervis, membranoſis & glanduloſis partibus interne & externe proſunt: ſi graviter præterea oleant, veluti Galeopſis, Horminum, Lamium, Sclarea, Cardiaca &c. virtutem præterea ſedativam habent. Umbellatæ plantæ odoratæ ſeminibus nudis 2. donatæ humores craſſos incidunt, flatulentiæ medentur, diureticæque ſunt: fœtidæ vero non nimis acres viſcera aperiunt, craſſos humores in viſceribus ſtagnantes reſolvunt, alvumque movent; acriores vero & fœtidiores, ut Cicuta, Thapſia, Cynapium, venenoſæ ſunt, præcipue dum præterea in aquis creſcunt, ut Cicutaria Riv. ſive Sium virulentum C. B. Plantæ flore perfecto ſimplice pentapetalo bacciferæ vel pomiferæ, abſterſiva aperiente, attamen ſimul nutriente & temperante gaudent virtute: Graminifoliæ bulboſæ flore hexapetalo vel polypetalo vel petaloideo cum capſula tripartita gaudentes, ut Allia, Cæpæ, Tulipa, Lilium, Martagon, Narciſſus, Ornithogalum, Stellaris &c. principiis turgent acribus oleoſis mobilibus ſubtiliſſimis, multo tamen viſcoſo involutis, hinc urunt, ſtimulant, præcipue vaſa diuretica, ſtomachum, inteſtina, ipſaque orificia in ano hæmorrhoidalia, ideo etiam vermibus inimica, & plurima illorum vomitoria ſunt; calore tamen cinerum &c. afflata, ſicque acri mobiliori ex iis fugato, & ſolo mucoſo remanente, uſu topico emolliunt, reſolvunt, & ſopiunt, ſi ſimul amara, ut Squilla, non fuerint: florem compoſitum habentes plantæ ex meris regularibus in diſcum congeſtis, & quodamodo acres & amaræ, ſimulque odoræ humores turgefaciunt, vaſa ſtimulant, menſes pellunt, vermibus inteſtinorum adverſantur: quotcunque vero inodoræ ſunt, floreſque dictos in faſciculum congeſtos habent, ſalino principio absque orgaſmo aperiente, & abſtergente, diuretica, & neſcio quali ſeparativa, imo etiam, ſi atrovirent, ſedativa virtute gaudent; & ideo ſi Cardui hi conciſi pro pabulo vaccis præbeantur, copioſiſſimum & puingue lac cauſant, dolendumque eſt, quod practici ex herbis his non niſi Carduum benedictum & maculatum in uſu habeant, pulcherrima vero Cirſia negligant. Flore compoſito ex meris irregularibus gaudentes omnes amareſcunt, ideoque incidunt, aperiunt, abſtergunt, & ſubaſtringunt, non ſine

ſine ſtimulo: Plantæ, quæ flores compoſitos habent ex Regularibus & Irregularibus ſimul diverſi generis, de omnium plantarum diverſorum florum viribus participare videntur, quas deinde reliqua ſigna concurrentia a priore magis determinant: ſic enim Sol Riv. mucilaginoſo ſuo principio nulli Malvæ cedit, excellit tamen virtute ſua anodyna. Doronica magis acria, aromatica, reſolventia & ſudorifera ſunt, quam Hieracium &c. Graminifoliæ flore imperfecto ſtamineo preditæ plantæ & ſimul glumiferæ, principio abſterſivo aperiente dulci ſeminibusque farinaceis demulcentibus gummoſis nutrientibus & emollientibus plus minusve ſedativis, attamen etiam ſubaſtringentibus & diureticis pollent: Plantæ, quæ omni flore carent, foliis tamen ornatæ, veluti Muſci & Equiſeta, ſunt aſtringentes, diureticæ & ſedativæ: flore fructu & foliis carentes plantæ, veluti fungi & tubera eſculenta, naturæ ſi non inimicæ, ſaltem vix proficuæ videntur: Notam interea Neotericorum de ſeminibus fungorum hic præterire nequeo, qua probare ſemina volunt, coquorum ſc. aqua, qua fungi ab illis ante coctionem fuerunt macerati & loti, ſi terræ ſuperaffundatur hæc aqua, fungos productura: hoc argumentum ad ſenſus non eſt, neque ſatis probatum, ego contrarium ſtatuo & probo, ignoſcant ingenui viri non niſi experimenta amantes! dicoque, in omni aqua ſive humore viſcoſo, ſeminium latere fungorum, quæ in locum congruum effuſa, in fungos excreſcit; ideoque iterum hic latet æquivocum! lapides fungiferos Mappas dictas interim ruminentur, & hortulanorum noſtrorum Viennenſium terras ad lucroſam fungificationem arte & multa ſcobe lignea præparatam interim volvant, ſic alia cogitabunt ſecundis cogitationibus & experimentis. Confer, quæ ſupra de Muſcorum ſeminibus jam dixi.

LII. Sapor plantarum

a. ſalſus excretiones ſtimulat, abſtergit & aperit.
b. acidus aſtringit, orgaſmo humorum, putredini, & venenis reſiſtit, præterea tamen ſtimulat.
c. alcalicus laxat veneni inſtar (id eſt, lixivioſus) omnesque excretiones laxat, ſed viſcerum robur proſternit.
d. acris cum oleo odoro, ſive cum odore mixtus ſtimulat, attenuat, & ſimul orgaſmum humorum concitat, ſolique ſcorbuto prodeſt, ubi omnis motus humorum & fluidorum languet.
e. Oleoſus acris, id eſt, acris in planta, ex qua aqua nihil extrahit, ad odorem potius pertinet.
f. Amarus ea præſtat, quæ ſupra de plantis flore compoſito ex meris Irregularibus dixi.
g. Auſterus & aſtringens vaſa imo totum corpus aſtringit & conſtringit, ſæpiusque in eodem corpore repetitus ſcirrhos & ſenectutem accelerat.
h. nullus, & odor nullus, manifeſte indicat plantæ vires temperantes & nutrientes.
i. dulcis ſal & oleum copioſum non nimis fermentatum indicat, cui ſi fermentum additur, continuata, citaque fermentatione ſapor fit exæſtuans: viſcoſo vero præcipue animali additus abſtergit, incidit, & ſimul parum nutrit.
k. mixtus ex pluribus nuncupatis ſaporibus, de totidem ſaporum virtutibus participat.

LIII. Odor ſuavis plantarum ſubtilis olei copiam indicat, & quo facilius, magis ſponte, latiusque talis odor diffunditur, eo copioſius mobiliusque oleum, magisque halituoſum in planta latet oleum, quo gravior ſive fœtidior plantæ odor eſt, eo craſſius & cum acido magis mixtum eſt in planta oleum, & amareſcit, atque perpetuo ſanguinis æſtum concitat, atque pro ſuo acido ſimul diureſin: temperate fragrantes herbæ, attamen odore gratæ omnes excretiones inſenſibiliter promovent, præcipue tranſpirationem, ſuntque vera cordialia & alexipharmaca, præcipue cum acido temperato mixta: ſi fœteant plantæ, continent ſulphur narcoticum, præcipue vero cæteris ſuperioribus & ſequentibus coindicantibus concurrentibus etiam non raro, ſed plerumque, lethale.

LIV. Color plantarum venenoſarum omnium, quotquot recordor, eſt ab herbarum medicarum ſive ſanarum multum diverſus, illarumque folia conſtanter vel ex atro virent, ut in Napello, Belladona, Solano, Ranunculis &c. vel pulvere lutulento quodam quaſi aſperſa ſordeſcunt, ut Cicuta adulta: triſtis præterea eſt tota illarum facies, hominum animaliumque oculos minus alliciens; imo earundem flores & fructus, licet ſæpe, ut in Napello inſignes, conſtanter pilis & villis horrent, vel luridum colorem præ ſeſe ferunt: Herbarum vero ſanarum, harumque florum & fructuum facies tota pulchrior, amænior, odoreque jucundior eſt: Quotcunque plantæ partes habent colore turgidas, & tingentes, partium tenuium ſunt omnes, virtutemque habent, attenuandi, incidendi & aperiendi abſque æſtu; an vero color florum ruber acidum copioſius latens in planta, cæruleus alcali in vegetabilibus mihi ignotum (ſcilicet abſque arte) flavus acrimoniam, albus moderatum & ambiguum ſaporem indicet, ſtatuere necdum poſſum cum aliis; hoc tamen certum eſt, quod herba quaſſata chartæque ab Heliotropio cæruleſcenti affricta, quali ſaccharum obvolutum ab exteris ad nos defertur, dum maculam rubram cauſat, acidum contineat, ſic charta hæc inde vireſceret, quod tamen factum fuiſſe nunquam recordor, planta alcalico ſucco prægnans foret; ſi charta talis

ab affricta herba immutata manet, planta neque acida, neque alcalica judicatur. Huc etiam pertinet plantarum habitus externus cum aliis congeneribus æquatus, certum enim eſt, quod plantæ eundem habitum præ ſeſe ferentes viribus inter ſe conveniant, licet fructificatione a ſe differant: ſic Ranunculi, Nemoroſæ Riv. Pulſatillæ, Fritillariæ, Anemones, Trollius Riv. Napellus &c. ad ſe invicem viribus valde accedunt, ſicut Hyoſciamus, Petum & Nicotiana &c. Doctiſſimus Botanicus D. Linnæus in quodam loco ex ſimili habitu Parietariæ cum alia planta alexipharmaca meo tenui judicio recte Parietariam egregie alexipharmacam judicat, quam valde antiſpaſticam ſcio. Id de colore præterire ſilentio nequeo, quod ſcilicet flores plantarum purpurei, v. g. Violæ, in regionibus calidioribus Ungaricis nulli dentur, ſed omnes albi ſint.

LV. Quotcunque plantæ ab iisdem inſectis afficiuntur & amantur, plerumque iisdem gaudent viribus, ſic Rajus recte obſervavit, quod a pulicibus terræ omnes plantæ acriores, veluti Lepidium, Naſturtium, Perſicaria acris, Siſymbrium Sii folio præ reliquis erodantur, hæcque eroſio ſigno ſit ejusdem virtutis in his plantis: ab eruca annulis aureis & nigris inſigni idem obſervavit, depaſci Jacobæam plerumque, interdum tamen etiam Senecionem, inde etiam has herbas viribus iisdem convenire, concludit: Culices noctivagi, vulgo Schnacken & Gölſen nullibi libentius habitant, quam infra alas Gratiolæ, hæc ubi non creſcit, tunc alas tectumque in Salicibus quærunt, quæ ſicut Gratiola valde amareſcunt, foliolaque Gratiolæ valde ſimilia habent: ſi ſupra recenſitæ muſcæ ſicivagæ in Germania obſervarentur, certe indicarent, aut Ficos in vicinia, aut plantam cum Ficibus affinem: inſecta illa coccos in radicibus Knawel & Polygoni vulgaris producentia plantarum harum affinitatem clare indicant: eruca illa campi meſſor dicta certis ſolum delectatur plantis, formicæ arboribus reſiniferis minus inſidiantur, magis cariophyllis hortenſibus &c.

LVI. Vires plantarum indagandi & obſervandi modus etiam egregius eſt, qui fit in brutis, inſectis, vel plebe; a Ciconia enim, quæ Ibis dicitur, Ægyptii clyſteres didicere: quomodo Muſtela ſeſe Ruta contra ſerpentes muniat, vide in Aloedario Mindereri; odorem foliorum cannabis viperæ & ſerpentes timent, ita, ut manui illo munitæ non reſiſtant: per cervum claudicantem continuo in balnei Mannersdorffenſis ad Leydam ſcaturigine jacentem, recentiſſime balneum dictum inventum eſt. Floribus Allii montani radice ſquamoſa vulgo Victorialis, ſicut floribus fabæ avidiſſime veſcuntur Damæ montanæ, pelle ſua celebres, quam tam fortem forte habent ab his floribus? Floribus Tiliæ apes adeo delectantur, aſt etiam ab eorum ſucco ſurſum deorſumque adeo purgantur, ut toto tempore, quo Tiliæ florent, apes non mellificent, probabili indicio, quod florum horum recentium ſuccus aut infuſum etiam homines purget, ſaltem ſenſibiliores. A plebe celeberrimas Arnicæ vires contra contuſionem Fehrius didicit, ego plurima alia in hoc opere & alibi dicta.

LVII. Analyſis Phyſico-Chymica plantarum, harum partes elementares ſat clare detegit: fermenteſcibilitas earum ſucci probat ſuccum dulcem ad ſpiritualeſcentiam & oleoſitatem aptum; ineptitudo econtra ad fermentationem, defectum ſufficientis olei intime cum aqua mixti, promptitudo vero ad putredinem, plantarum alcaleſcentiam probat. Chymicæ autem deſtillationes, extractiones, calcinationes, &c. partes plantarum elementares oſtendunt, aquam ſcilicet, oleum, ſal, terram, horumque pondus, & conſtitutionem, ſive ſpecialem mixturam in ſua complexione ſive textura: non autem ſufficit cum plebe chymica de plantis tali modo examinatis dicere, quod contineant multum ſalis, multum olei &c. ſed quantitas, pondus cum reliquis qualitatibus eorum quantum poſſibile eſt, determinari etiam debet, ſcilicet quantum & quale ex eodem plantæ pondere operatio chymica obtinuerit, quantumque ſic dicti capitis mortui reſtiterit &c. neque præſtat herbas ſemper eodem modo tractare, absque ulla alia re addita, aliave prægreſſa præparatione; multorum enim vegetabilium olea fragrantiſſima & delicatiſſima fiunt, ſi cum multa aqua communi addita deſtillentur, aliæ etiam partes ex plantis extrahuntur aqua, ſcilicet gummoſæ, aliæ ſpiritu vini, ſc. reſinoſæ &c.

LVIII. Caſu & fato Chinchinæ vires a ſitibundo febriente, dum ex palude bibebat, in qua creſcebat arbor, foliaque deciderant Chinchinæ, inventa eſt corticis hujus efficacia contra febres intermittentes: Cacao uſum pro ſic dicta Chocolata annonæ penuria docuit; Tanaceti vires contra hydropem ab ægro ex errore Abſynthii ſubſtituti & decocti, vide in E. N. C. olei Terebinthinæ potentiam excitandi mictum cruentum & gonorrhæam, fato detexit Boerhaven ebrius pharmacopæus contra ſitim nocturnam vitrum plenum oleo Terebinthinæ, aquam putans, hauriendo.

LIX. Quod omnibus creatis certum ſpecificumque a ſumma Sapientia deſtinatum ſit pondus, certum eſt, quanto vero vegetabilia integra inter ſe, aut horum elementa & præparata ab aliis pondere differant, aut inter ſe conveniant, in aëre, aqua &c. necdum conſtat, poſteriſque commendari meretur.

LX. Ra-

LX. Ratiocinio & æquatione qualitatum ſic dictarum in plantis notarum, cum aliis aliarum plantarum ignotis, multa etiam detexit Scientia Medica, ſic ante pauciſſimos annos D. D. Ernſting detexit ſeminis Phellandrii efficaciam contra febres intermittentes, poſtquam didiciſſet egregias illius virtutes medicas in brutorum morbis, idem puta de aliorum cogitationibus, quod Parietaria virtute polleat alexipharmaca, hucusque omnibus Medicis ignota; ſcilicet ob habitum ſuum cum aliis talibus plantis.

LXI. Omnes autem hucuſque a priore inveniendi veritates medicas modi, nullius in arte medica ſunt valoris, niſi a poſteriore, ſcilicet per experimenta, non per vitas & neces (exceptis fatis) ſed innocentiſſima corroborentur, ideoque traditio fidelis de plantarum viribus ex obſervationibus facta & ad poſteros traducta omnes ſupra dictos modos longe antecellit. Utinam vero cujuslibet plantæ unica virtus efficaciaque ſpecifica conſtaret, quam antiquorum compoſitiones & mixtiones adeo obſcurarunt, ut non niſi ſeri poſteri illam iterum eruere potuerint; plurimi autem Medici necdum ſatis intelligant, quod ex multiplice variaque ſpecierum mixtura etiam multiplex alia, variaque, ipſis fabris necdum nota, emergat nova virtus: eſt autem certiſſimum innocensque, utiliſſimum tamen experimentum de Theriaca Andromachi, quod illius v. g. ſcrupulus vel drachma ſemis hauſtu aquæ fontanæ ſoluta, ante ſomnum veſpertinum potata, in ſenſibilioribus altero mane aliquoties alvum ſolvat, per ſe autem ſumpta alvum cohibeat. Illuſtris Mederi pulvis antepilepticus ex 14. vel 15. ſimplicibus vegetabilibus & unico animali conſtans ad pauca grana infantibus propinatus, & repetitus alvum purgat, non ſecus ac pulvis antipleuriticus ſecretiſſimus Mynſichti eodem modo repetitus, licet nullum omnino purgans aut laxans illos ingrediatur; manifeſto certe experimento, quod ex novis corporum compoſitionibus novæ reſultent vires necdum a priore notæ.

APPENDIX,

De Vitis ſpeciebus, Vinorumque varietate & differentia, præcipue in Auſtria, tanquam Specimen publicum de utilitate imo neceſſitate Botanices in vita humana civili etiam absque reſpectu ad Medicinam.

TABULA VITIS,

Præ Tournefortiana perfectior & clarior ex propriis obſervationibus.

			integro.	orbiculari.	rigido.			alba.	
					molli.	globoſa.	æquali.	flava.	
		ſimplice	ſinuato.	ſubrotundo	tenui.			rubella.	
					craſſo. bacca	turbinata, piſo	3plo &c.	rubra.	†
	ſativa, folio	3phyllo	laciniato.	cordiformi	glabro.		majore.	viridi.	
Vitis					aſpero.	ovali.		cæruleſcente	
		4phyllo			villoſo vel			bruneſcente	
					lanato.	oblonga & non nihil		nigra.	
		5phyllo			viridi.	adunca T.			
					rubello.				
					variegato.				
	ſilveſtris vulgo Labruſca.				virgato.				
					pellucido.				

	odora	acidula.		farcta	5unciali.
†		dulci.	uva		pedali.
	inodora	dulciſſima.		laxa.	cubitali &c.

De ſilveſtri notabile eſt, quod una illius ſpecies in Auſtriæ inferioris inſulis Danubianis ſit vulgariſſima, baccam habens globoſam nigram piſi grano æqualem, carne rubella: hanc diu pro exotica ab avibus in ventre eo delata habui, quoniam vitium in Viennenſi agro creſcentium bacca nigra baccæ omnes carnem habent aut virentem, aut rubram & tingentem, expertus autem poſtea ſum, quod trans Danubium, ubi vites baccis rubris coluntur, vinumque rubrum in Auſtria præcipue fit (inter quod nobiliſſimum & delicatiſſimum, atque ultra annum ſponte naturæ dulce manens eſt, & excellit Freydorffenſe) copioſe ſeratur in vineis vitis folio integro ſubrotundo, glabro minore, utrinque viridi, bacca globoſa nigra dulci, carne rubella, Auſtriacis die ſchvvarzen Cervänl dicta:

dicta: hujus ſilveſtris baccæ ſero matureſcunt in ſilvis, & a primo frigore ſponte decidunt, ſunt dulciſſimæ, & in fine guſtus amaricantes, fiunt eſca gratiſſima pueris, Turdis, Garrulis Bohemicis Ln. & Gallinaginibus: Vitis hæc longiſſimis ſuis ſarmentis arbores dictarum inſularum ſcandit, & notabile eſt de hujus ſeminibus, quod ea a ventriculis & digeſtione avium vel maneant ſola incorrupta, vel quod facile absque cultura in climate Auſtriaco germinent, reliquarum vitis ſpecierum vero omnium ſemina vel corrumpantur, aut ſaltem absque cultura non germinent, quoniam ex mea & filii mei ſedula obſervatione in omnibus dictis locis nullam aliam vitis ſilveſtris ſpeciem invenire in Auſtria hucuſque potui, licet Turdi & Sturni omnium vitis ſpecierum, ſpecialiſſime albæ Cervänl, baccis avide veſcantur, & non raro integras vineas deprædentur; videtur itaque ex hoc, hæc vitis ſpecies præ reliquis omnibus Auſtriæ climati congruere.

1. Harum ſupra deſcriptarum vitis ſpecierum appellationes pro diverſitate gentium & Authorum tam variæ & obſcuræ ſunt, ut nemo illas intelligat; peſſimæ autem illæ ſunt apud Botanicos, quæ deſumuntur vel more recentiorum ab hominibus, veluti Columella, Apitio, vel a patria Corintho, Damaſco, Veſuntio, Francia &c. ut ideo mirum non ſit, quod vitium hiſtoria apud omnes adhuc magis incompleta & imperfecta ſit, quam Hieraciorum, nihilque de ea certius ſit, quam quod ex diverſitate harum ſpecierum vitis vinorum omnis differentia & variatio, in eodem climate & loco fere innumera pendeat, prout ſcilicet eæ vel puræ, vel plus minusve mixtæ inter ſe in vineis plantantur, quæ omnia a vitium loco, hujus ſitu, climate, ſolo, annorum varia temperie & tempeſtate, vitium ſenio, vel juventute, cultura, muſti ſive ſucci uvarum expreſſi fermentationis modo &c. etiam atque etiam infinitis modis immutantur.

2. De ſitu vitium ſive potius vinearum conſtat, quod a tergo munitus eſſe debeat a ventis frigidis ſeptentrionalibus, & ſeptentrionali-orientalibus, ut vineæ Toccavienſes in Ungaria, Rhingovienſes in Germania ad Rhenum &c. anterius vero apricationi ſolari præcipue meridionali expoſitus eſſe debeat, ſicut eædem modo dictæ Toccavienſes &c. & quidem in climatis frigidioribus germanicis absque multa umbra, ut ſcilicet omnes vites in eadem vinea ſimul apricentur, ideoque locus ſit declivis in collibus & montibus mediocribus, non vero horizontalis, ſive planus, neque in valle, dum certum eſt, quod vineæ in noſtro frigidiore climate, in planitie aut in ſummitatibus altiorum montium ſitæ vinum conſtanter proferant acidius, & quod altiorum montium, imo etiam planarum vinearum uvæ ſerius maturentur, quam collium, imo in montibus altiſſimis & ſic dictis alpibus, ob ſufficientis caloris defectum nullæ amplius vites germinare, multo minus fructus ferre poſſint: quod

3. A climate diverſo diverſa fiant vina ſive uvarum ſucci etiam ex eadem vitis ſpecie, docent vinum Toccavienſe in Ungaria & Rhingovienſe in Germania ad Rhenum, vinum montis Moſchati ad Choroneuburgum, & aprini ad Döbling, & Nusbergenſis in Auſtria, agroque Viennenſi &c. omnia ad unum producta ex eadem & mera fere vitis ſpecie, quæ mihi dicitur Vitis folio integro ſubrotundo glabro utrinque viridi, bacca globoſa viridi dulci, uva farcta, vulgo in Auſtria & Ungaria Cervänl, in Rhingovia vero die Riesling, quæ eadem ſpecies ex Rhingovia a glorioſiſſimo Imperatore Romanorum Carolo V. quondam in Hiſpaniæ Eſcuriale transplantata unicum adhuc hodie ibi præbet vinum pro potu ordinario aptum; eſt tamen longe aliarum qualitatum, præcipue ſaporis, odoris, coloris &c. quam modo nominata vina ex eadem ſpecie, ſicut hæc eadem a ſe invicem iterum longe diverſa ſunt: De eadem vitis modo dictæ ſpecie etiam ertum eſt, quod primo & originaliter a Romanis ex Italia in Rhingoviam fuerit transplantata, in Italia vero longe aliarum iterum qualitatum, quam omnia ſupra dicta vina, ferat vinum. Idem certum eſt de vino Melneckenſi in Bohemia, ab Imperatore Carolo IV. ex vitibus Burgundiacis producto: ſicut etiam de vitibus in inſulam Schüt minorem Ungariæ a Principe Eugenio ex monte Polciano Italiæ translatis: de vino petroſo ſive ſaxoſo, vulgo Steinvvein Herbipolitano etiam conſtat, quod ejus vites a Conrado I. Imperatore eo fuerint traductæ ex vitibus Ungaricis, quod poſt tot centenos annos ſaporem & odorem eosdem exquiſitos adhuc habet hodie, quos præſeferunt vina Ungarica Magnovaradinenſia, ſuaque generoſitate dictis vinis vix cedit, omnia vero vina Germanica, Gallica & Italica &c. longe ſuperat; acidius tamen eſt, majoremque quantitatem tartari continet, & minus oleoſum eſt, copioſiore tamen ſpiritu ardente turget, quam ultimo dicta vina: eſt autem ſpiritus vini nihil aliud, quam oleum ſubtiliſſimum cum aqua per fermentationem intime mixtum.

4. De vitibus etiam omnibus ex uno climate in aliud translatis præter jam dicta id memorabile eſt, quod bonitate ſui ſucci ſucceſſive ita minuantur ſingulo anno, ut primo poſt ſuam transplantationem vinum nobilius & primæ ſuæ origini ſimilius producant, quam ſpecies congeneres ſive eædem indigenæ in eodem loco unà ſatæ; ſecundo vero & tertio anno ſucceſſive degenerant & muſtum

ſtum ſive vinum proferunt idem, quod præbent ſuæ congeneres ejusdem loci indigenæ: quod exemplo ſuo egregio nuper docuit Illuſtriſſimus D. D. C. M. vites Cervänl Toccavienſes in ſuas vineas Weidlingenſes transferendo. Confer plura ex infra ſeq. 7. Cæterum de climate vitibus congruo etiam certum eſt, quod æqualiter, & magis, quam plerumque Germanicum eſt, calere debeat, præcipue autem, quod noctes tepidæ, cum reliquis ſupra in introductione dictis pro vegetatione, neceſſe ſint. Quantum

5. Locus in eodem climate, imo pars ejusdem loci immutet vinorum & uvarum qualitates in eadem vitis ſpecie, docetur inde, quod vinum ex eadem vitis ſpecie fiat acidius, magisque tartareum, quæ ſata eſt in montium altiorum cacuminibus, quam quod fit eodem anno ex ejusdem montis medio cum collibus æquali, & quod vinum ex tali medio monte aut colle iterum differat ab uvarum vino ſive muſto, quod in imo monte ex eadem vitis ſpecie eſt productum: certum enim eſt, quod in cacuminibus montium altiorum ſatarum vitium uvæ ſerius eodem anno maturentur, quam quæ in collibus aut in pede ejusdem montis & anni fiunt; in medio autem harum ſitarum vitium uvæ medio etiam inter easdem tempore maturentur, imo ante tres annos in Auſtria uvæ in ſummorum montium viniferorum cacuminibus ex defectu ſufficientis æſtatis plane non maturuerunt. 174?. a præcoce gelu omnes uvæ & vineæ Herbipolitanæ fuerunt ſideratæ, quotquot Cellam pagum reſpiciunt, quæ vero vineæ & vites ejusdem montis partem adverſam obſident, laudabilem præbuerunt vindemiam: parvus & anguſtus eſt locus in Bohemia ad civitatem Auſſig, in quo ſita eſt vinea vinum ſic a ſuo plantatore nuncupatum Potsdalskienſe ferens, & ſupra meram petram ſita: ſicut etiam ille locus in Ungaria, qui vineas Toccavienſes, verum & regium vinum ejus nominis ferentes, continet, quibus tamen vina, ex vineis proxime adjacentibus collecta, omnia cedere ſemper debent: certum etiam eſt illud Poëtæ, quod ferat non omnia tellus; de vineis enim certum eſt, quod in udis plantari nequeant &c. quod vero vites Cervänl ſupra dictæ in vineis ſic dictis muralibus agri Viennenſis plantari nequeant, ſecundum quorumdam relationem, verum non eſt; ideo vero ibi nullæ harum vitium occurrunt, quia a Dominis vinearum partim non ſinuntur plantari, partim eradicantur, ne a vineatoribus, avibus & vulpibus illarum uvæ tanquam optimæ & gratiſſimæ auferri poſſint: & ideo colunt in dictis vineis meras vites Grobe, cum paucis infra dicendis Weiſſe, ut mirum non ſit, quod harum vinearum vina ſint omnium acidiſſima, & ante triginta annos in dolio potabilia non fiant, donec ſcilicet maxima pars tartari per inſenſibilem aquoſarum partium exhalationem, & a ligno dolii imbibitionem, ſicque dictarum partium oleoſearum & ſpirituoſarum concentrationem ex iis fuerit ſeparata &c. interim obiter de hujus ſortis vino notabile eſt, quod dolium 30. amphorarum capax, vinoque tali impletum, pro ſuo, ſingulo menſe peragendo, ſupplimento, vulgo Auffühl-Wein, neceſſe habeat ad minimum amphoram unam per annum, & ideo intra triginta annos requirat & conſumat triginta amphoras; vinum autem, quo conſumptum in dolio ſuppletur, conſtanter excellentius eſſe debet, quam vinum dolii ſupplendi: ex quo œconomi, qui has vites æſtimant, calculum ducant, quanto pretio hæ vites pro ſua cultura, vinoque conſervando conſtent! Phyſicus autem determinet, quale hoc vinum ſit poſt triginta annos in dicto dolio reſtes, an ex ſuppleto, aut primo contento, aut mixto? Cæterum de vitium loco generaliter id etiam notandum eſt, quod vites locos ſiccos & zonas temperatas ament, humentes & paludoſos cum tota zona torrida & polari vero fugiant. Plura vide 6. 7.

6. A ſolo ſive terra, cui vites implantantur, in eodem etiam loco & climate, magnæ fiunt vinorum mutationes in eadem vitis ſpecie, longe enim alias qualitates habet ſupra dictum vinum ex Cervänl montis Döblingenſis aprini, quam vinum montis Moſchati in Auſtria non procul a ſe diſſitorum: amborum horum montium infra ſupremum ſtratum ſuæ terræ fertilis, ſtratum eſt ex arena ſemipetrefacta ſat profundum; Potsdalckienſis vinea mera petra in Bohemia nititur: Toccavienſium in Ungaria vinearum ſtratum dictum conſtat ex terra ſigillata rubra, qua Kelcferi, celebris quondam in Tranſilvania Medicus, teſte Tractatu ſuo de peſte Daciæ, pro medicina valde uſus fuerat. Vineæ Moſellanæ in Germania nituntur & ſcatent lapide ſciſſili nigro ſulphureo, vulgo ſchvvarze Schiefferſtein, unde procul dubio harum vini ſpecialis odor & ſapor, quales fere omnia ejusdem vel diverſæ regionis, & vitium ſortis vina præſeferunt, & Germani vocant den Grund-Geſchmack: præſtantiſſimum pro vineis ſolum eſt, ſaxoſum, ſufficiente terra fertili tectum, velut vinum ſaxoſum Herbipolitanum, in Auſtria Moſchatum, & Döblingenſe &c. clare docet: poſt hoc ſolum arenoſum, eadem terra ſufficienter tectum, aut cum eadem ſatis mixtum.

7. Quod anni temperies omnis vitis ſuccum valde immutet, quando ſcilicet vehementer, aut minus, aut non ſatis, neque diu, neque æqualiter, neque mature calet &c. docet, proh dolor! ſatis ſuperque quotidiana experientia, præcipue in noſtra Germania, ex omnibus regionibus vitiferis ultima, & magis ſeptentrionalis, frigidiorque: dum econtra vitis zonæ torridæ regiones non tolerat,

lerat, & pro climatis fervidioris ratione vel vinearum ſitus, v. g. per vineas planas, vel in montibus altioribus, vel vitium vegetandi modos, v. g. labruſca inſtituendo, vel vineas plantando ex vitis ſpeciebus, quarum uvæ in noſtro frigidiore climate nunquam maturantur, veluti pergulæ dictæ ſive bacca ovali, vulgo Geisduten, mutari & adaptari debent. Ex hac ratione in Servia, Macedonia, Græcia &c. ob nimium fervorem æſtivum plurimæ noſtrarum vitium ſpecies baccis globoſis plantari pro vineis nequeunt, quoniam earum baccæ paſſæ fiunt, quod a fervidiore æſtate etiam in vineis Toccavienſibus Cervänl ſæpe jam evenit, quibus incolæ illius loci pro ſuo vino concentrato, has ſcilicet quaſſatas nonnihil vino recente macerando, & deinde unà exprimendo, feliciter utuntur: circa Niſſam in Servia obſervavi, plantari meras vites bacca nigra globoſa, carne alba, quarum uvæ & baccæ altero tanto majores fiunt, quam in noſtro climate: ſic etiam in tota Servia, Sirmio, totoque illo tractu inter Niſſam & Vidinum, mera hæc vitis ſpecies colitur, aliudque vinum quam rubrum non datur, ex vitis ſpeciebus, quarum baccæ in noſtro climate raro matureſcunt, ibi vero vinum adhuc acidulum producunt, & ſat diu conſervabile: Carlovicenſe rubrum in Sirmio non procul a Petrovaradino generoſiſſimum & maxime exæſtuans eſt, neſcio tamen, an ex ſingulari vitis ſpecie, aut ex vinearum loco, aut ſitu, aut ſolo?

8. Sic etiam vitium, vinearumque cultura, harum ſcilicet ſoli repetitæ in anno ſuffoſſiones & ventilationes radicum, ſarmentorum debitæ putationes, erectiones, & fulcrationes, atque in certis nimis frigidis Provinciis Germaniæ in hyeme neceſſarii modi terra & aliis vites obtegendi, ſoli fimationes debitæ &c. bonitatem vini valde juvant & mutant tam exceſſu, quam defectu: certum enim eſt, quod labruſca vinum ferant vilius, & baccas uvasque minores, quam vites debite putatæ, eæque iterum viliſſimum omnium & acidiſſimum, imo amarum ferunt vinum, dum illorum terra ſive ſolum circa radicem minus aut nunquam debite ſuffoditur, illiusque radicibus hoc modo libera ventilatio & permeatio ſive commercium cum aëre externo præcluditur: ex hac cultura neglecta integras vineas vidi factas ſteriles & ſilveſtres tempore belli. Putantur autem vites ex duplice ratione, ſcilicet primo, ut ſuccum ferant dulciorem, deinde ne in eodem anno nimis fructificent, & nimia fructificatione eodem adhuc anno pereant, extracto & exſucto ſcilicet omni ſucco ex radice: illud obtinetur ſarmentorum pellucidorum cura per dictam putationem; hoc vero ne plures gemmæ eidem viti ſinantur quam tres ad ſummum, reliquæ vero omnes amputentur; ſi plures gemmæ relinquantur, plura fient ſarmenta pellucida, quæ radicem exhauriunt, copioſiores ferunt uvas & baccas, ſed illas laxas, has minores & acidiores, & tunc vitis perit: manifeſtum iterum argumentum, quod fructificatio a coitu florum non pendeat. Sicut flores plantarum v. g. Afrarum ex artificiali defectu caloris omnes maſculini fieri poſſunt, ex quo experimento ſolo Neotericorum in plantis polygamia monæcia & diæcia pendet, utpote in plantis vel exteris æſtu egentibus, vel indigenis, locis aſperis frigidis vel umbroſis gaudentibus.

9. Annoſitas ætasque nimia vitium etiam fructificationi obeſt ea & tanta ratione, quam in introductione de omnibus arboribus & fruticibus jam dixi & probavi: antiquiores enim vites perpetuo ſerius & parcius primo fructificant, baccasque ferunt acidiores & minores & pauciores, tandem ex nimio ſenio, id eſt, ligni duritie & bulbillorum ſive cirrorum occaleſcentia plane ſterileſcunt, ut ideo vineatores ſingulo anno ſedulo vites ſeniores eradicent, junioresque plantent, aut traducant, ſi operæ ſuæ pretium ex ſuis vineis reportare velint, alias reliquis ſupra dictis omnibus licet diligentiſſime præſtitis vineæ illorum omnes certo certius ſterileſcunt; In Auſtria enim vitis ultra 18. annos debite non fructificat, ſed tunc germina fert ramoſa vel furcata, quæ dum vineatores advertunt, vitem eradicant, aliamque ejus loco plantant; quia tales vites ramoſæ ob nimiam ſuam ramoſitatem & pelluciditatem, & radicis &c. lignoſitatem illo anno nimia fructificatione pereunt: atque ex hac pelluciditate uvæ germinum in vite putata pellucidorum baccæ conſtanter dulciores ſunt, quam vitis Pergulanæ, in cujus utriculis ex defectu pelluciditatis ſuccus non ſatis a ſole coquitur, & fugitur, & ideo etiam diutius durat hæc aut labruſca.

10. Omnium etiam uvarum ſpecierum ſuccus in quolibet climate & loco iterum immutatur varia arte humana, quæ vel ante expreſſionem vel fermentationem adhibetur, vel poſt has: ante uvarum expreſſionem certæ integræ provinciæ, teſte König in ſuo Regno vegetab. uvas a vite carptas aliquot ſeptimanis in loco temperato ſtramini imponunt, ſic fermentationi internæ, ſicut alii poma & pira, relinquunt, ut fere paſſæ fiant, & poſtea exprimunt, vinumque tale in Helvetia vocant Straw-Wein. In Hiſpania &c. uvarum maturarum petiolum ad medietatem uſque incidunt, & in vite relinquunt, donec exſiccentur & paſſæ fiant; alii ante expreſſionem, veluti Toccavienſes, uvas paſſas addunt ſucco ſive muſto pedibus expreſſo, eas macerant, conculcant, deinde ſupra prelum accumulant, muſtumque ſponte abſque preſſione defluens ſeparatim colligunt, tanquam vinum concentratum primarium, ingentiſſimique pretii, deinde parum premunt, & vinum concentratum

tratum ſecundarium exprimunt, & colligunt, poſt hoc majore expreſſione vinum tertium exprimunt; viliſſimum fit, quando uvis mediocriter expreſſis aqua ſuperfunditur, & reſtes ſuccus ex uvis fortiſſime exprimitur, quo modo vina tenuia fiunt, in Italia vini Piccoli, in Germania die Klauer dicta. Muſtum ſic expreſſum vel ſtatim doliis infunditur, & in cellas pro ulteriore fermentatione deportatur, aut, quod Rhenani faciunt, levi foco fovetur, & ſic fermentatio in doliis fere clauſis acceleratur, vel quod plerumque, ſed pejus, fit in Germania, in vaſis cilindricis apertis aliquot dies relinquitur, & deinde doliis infunditur & reſervatur; alii muſto varia alia ante fermentationem addunt v.g. herbas, radices & flores vel pro Abſynthite, vel pro certo ſapore & odore, v. g. quidam quantitatem florum Sambuci in petia ligatorum addunt pro vini Neccarienſis odore: in Tyroli civitate Regio-Lauterenſi raſuram ligni Alni pro gratia addunt: muſtum ſic præparatum vel purum relinquitur & conſervatur, vel cum aliis muſtis aliarum ſpecierum vitis vel regionis, ut in Auſtria cis- & transdanubiana, vel cum vinis antiquis & ſemicorruptis, & diutius non conſervabilibus, ut in Italia, miſcetur, & pro diſpenſatione conſervatur: vel muſtum recenter expreſſum & dulce, more circa Spoletum Italiæ & apud plurimos vinipolas recepto, pro longiore conſervatione dulcedinis, & fucandis aliis vinis, ad certam quantitatem uſque coquitur, & a magna parte phlegmatis evaporatur; unde vini in Italia Cotti, in Germania Bund-Wein: tales artes vina ſive Muſta immutandi ſunt plures, quas brevitatis cauſa præterire hic cogor.

11. Ab his itaque hucuſque recenſitis tot cauſis tam puris, quam inter ſe mixtis magis minusve, ut & præcipue ex tot vitis ſpeciebus tot fiunt vinorum ſpecies & differentiæ, de quibus vinorum ſpeciebus, variationibus, & differentiis ſpecialiter ex vitis ſpeciebus variis pendentibus mox plura ſequentur ſpecialiora, poſtquam quædam de vindemiarum laudabilium raritate in Auſtria, imo in tota Germania, ejusque cauſa quædam dixero: ſcilicet

12. Ex ſupra dictis paſſim conſtat, quod Germaniæ Provinciæ ſint ultimæ ad Septentrionem, & quod poſt has paucæ vel nullæ amplius earum dentur vitiferæ, ideoq; quod ex omnibus regionibus vitiferis ſint frigidiſſimæ, & idcirco pro ſupplendo ſufficiente vineis calore vinicolæ ſumme neceſſe habeant pro plantatione ſuarum vinearum, ſitum, locum, ſolum, aliasque artes, vites ſuas a frigore hyemali conſervandi; & his omnibus non obſtantibus, ſi cœlum in æſtate non favet 7. tam rara ſit vindemia laudabilis in Auſtria, imo tota Germania, ut nunc, quo hæc ſcribo, ſedecim effluxerint anni, quod continua nobis ſit vindemiarum laudabilium inopia, & quidem tanto detrimento, ut immenſus vinicolarum labor hucuſque perditus, nulla unquam laudabiliſſima vindemia ſolvi poſſit.

13. Rationem ſi inquiram hujus, non invenio aliam, quam quod vinicolæ Auſtriaci & Germani omnes vineas ſuas ad clima non ſatis accomodent, merasque plantent & colant vites, quarum uvæ in frigido noſtro climate non niſi ſero, & difficulter, imo nunquam, niſi a fervida in noſtro climate rara, æſtate matureſcunt, quales eæ præcipue & ſpecialiter ſunt, quæ baccas & uvas majores ferunt, vinum copioſum præbentes, plerumque tamen ob raritatem in noſtro climate æſtatum fervidiorum, vinicolarum omnem ſpem avaram eludentes.

14. Tales autem in Germaniæ, præcipue autem Auſtriæ vineis ſpecialiter & vulgares ſunt vites folio ſubrotundo anguloſo bacca globoſa alba ſemine majore, quas Auſtriaci die Groben, Rhingavienſes vero die Groppen vocant: quæ ſpecies dum annus ſat fervidam, longam, & æqualem habet æſtatem, ob magnas ſuas uvas & baccas copioſum, non tamen excellens & generoſum, ſed acidum conſtanter fert vinum, quod in doliis omnium reliquarum uvarum tardiſſime fit potabile, vid. 5. & ſicut æs alienum ſeſe abſorbet, ſumptus ſupra ſumptus accumulat, & poſt optimam vindemiam vini potabilis defectum diu adhuc continuat, ita, ut pauperes cives, vino aſſueti, ob paupertatem a vini potu diu abſtinere, & ad potum cereviſiæ vilis non ſine ſanitatis ſuæ detrimento tranſire cogantur: ad hæc harum uvarum ſuccus ſive vinum tam acidum eſt, ut nemini niſi pingui & obeſo profit, macilentis vero periculoſum ſit, omnibus vero naturis adeo inimicum, ut potatum ſtatim iterum, & continuo per urinam ab iis, multis & repetitis actibus e ſuis corporibus eliminetur: beneficium naturæ ab Auſtriacis nimii æſtimatum, quod renum calculis, inflammationibus, mictu cruento, in Auſtria non raris, luere babent: harum uvarum ſuccus etiam præterea omnium corruptibiliſſimus eſt, & niſi dolium continuo plenum ſit, aut inter diſpenſationem quotidie ſulphuretur, citiſſime ſitum ſive byſſum contrahit, vulgo er lauft an; quantum autem tales ſulphurationes hominibus ſedentariis noceant, docet quotidiana experientia, ita ut ab his ſolis pendeant tam frequentes hæmoptoës illorum, qui hæc vina continuo bibere habent: atque hæc ſpecies vitis, ſicut ſupra jam monui, in Auſtria cisdanubiana inferiore eſt vulgatiſſima, ita, ut integri fere vinearum tractus ex ea mera ſint constructi, raraque ſit vinea, in qua hæc ſpecies reliquis numero ſuo non prædominatur. Sicut in tota via ſic dicta montana ad Rhenum, vulgo die Berg-Straſſen, in qua

mire celebratur acidiſſimum vinum ſic dicti montis renalis, vulgo Nehrberg vel Nehrſtein, non quod renes juvet, ſed quod lædat mihi.

15. In Auſtriæ inferioris transdanubianæ vineis vulgatiſſima eſt vitis folio laciniato bacca globoſa alba ſemine minore, Auſtriacis vulgo die Weiſſe Muſcateller, Wirtembergenſibus forte & J.B. die Veltliner & Rhæticæ, quæ cœlo ſatis favente, ut prior, ſat copioſum, melius tamen fert vinum, primo tamen anno odorem urinæ murium habens, quem poſt annum iterum deponit, & ſic dictum montanum induit, citiusque quam primum ex uvis Gropen fit potabile, nunquamque eſt tam acidum: ibidem circa Haslbach & Hollebrune in vineis prædominatur vitis folio largiſſimo integro aſpero ſinuato ſubtus lanato bacca globoſa flava pellucida majore, uva fere pedali farcta, quæ cum Gropen matureſcit, aſt longe generoſius, citiusque potabile & ſaniſſimum præbet vinum, vocatur in dictis locis See-Weinbeer, circa Polsdorffe vero, ni fallor, die Augſter: ibidem cum cæteris mixtim colitur vitis folio rubente profunde laciniato laciniis anguſtis bacca globoſa majore fuſca ſive bruneſcente pellucidiſſima uva farcta: vulgo ibi die Aſcher: hujus baccæ & uvæ omnium citiſſime & facillime maturantur, dulciſſimæ ſunt, copioſum optimumque omnibus notis vinum ferunt: ibidem mixtim cum reliquis vitibus colitur vitis folio integro cordiformi glabro ſubtus lanato bacca globoſa viridi piſi grano non multo majore pellucida dulciſſima uva farcta brevi fertiliſſima, quoniam fere plures uvas, quam folia fert, vocatur ibi die Fränckl: hujus uvæ etiam optimum præbent vinum, & facile citiſſimeque, ut Aſcher, maturantur: in eadem Auſtria transdanubiana celebre & laudabile vinum eſt Fraudorffenſe, aliis Freidorffenſe rubrum, quod ſponte naturæ ſuæ, dum cœlum mediocriter tantum favet, ultra annum dulce perſtat, cœlo autem clementiore multo diutius, fitque fere ex meris uvis vitis ibi plantatæ folio integro ſubrotundo minore glabro utrinque viridi, bacca globoſa majore nigra dulci carne rubella, uva ſemipedali farcta, vulgo Auſtriacis die ſchwarzen Cervanl, quarum vinum ſicut omnia reliqua vina rubra Auſtriæ, Ungariæ, & totius Germaniæ bonitatis ſuæ omnibus notis ſuperat, ita climati Auſtriaco maxime congruum, imo indigenam puto, ex obſervatione ſupra de vite Auſtriaca ſilveſtri data: ut ideo neque experiri neque capere valeam, quo hoc ab omnibus Auſtriacis vilipenſum vinum ſua ſat magna copia ſingulo anno deveniat, cum fere a nemine illud bibatur, interim tamen conſtanter conſumatur, probabiliter ſub ſpecie vinorum exoticorum.

16. Ibidem trans Danubium circa Cicersdorff &c. etiam alia ſat bona & ſana vina rubra fiunt, Frauendorffenſi tamen inferiora, quoniam ex vite bacca nigra, carne vel rubra vel virente fiunt, ſunt tamen eadem optima pro illis, quorum ſanitas vinorum ſulphurationes ſive vina ſulphurata non fert; omnia enim vina rubra abſque perditione rubedinis ſulphurari nequeunt, vinaque Auſtriaca rubra id peculiare habent, quod in ſuperficie ſua intra dolium aliqualiter evacuatum byſſum ſive cutem vappidam forment, quæ totam vini ſuperficiem obtegit, & vinum ab exhalatione partium ſpirituoſarum præſervat, hæcque cutis circumquaque circa vinum ſenſim ſeſe extendit, & ſacci inſtar involvit, & cum decremento vini ex dolio, ſenſim ſubſidet, ut vinum incolume integrumque fere uſque ad ultimam menſuram ex dolio dimitti poſſit: in eadem Auſtria transdanubiana cum cæteris ſupra dictis uvis albis mixtim & ſparſim etiam colitur vitis folio integro ſubrotundo glabro minore utrinque viridi, bacca globoſa rubella dulci majore, uva farcta, Auſtriacis vulgo: die rothen Cervanl: vitis laudabilis, imo excellens, & cum ſequente ſive ſive ſupra recenſita conſorte, bacca viridi omnibus ſuis qualitatibus æqualis. Ibidem ſparſim cum aliis vitis ſpeciebus mixtim creſcit & in vineis circa Polsdorff colitur vitis folio integro ſubrotundo glabro minore ſubtilibus ſtriis rubris virgato bacca rubra magna dulci globoſa uva laxiore longa, Auſtriacis vulgo die rothe Muſcateller: Excellens vitis ſpecies, cujus baccæ cito & facile in noſtro climate matureſcunt, & paulo ſerius, quam infra laudandæ vitis folio Apii J.B. baccæ, vulgo Auſtriacis die Wellſche Trauben; & niſi hujus vitis ſpeciei baccæ facile ab omni intemperie deciderent ab uvis ſuis, omnibus reliquis vitibus poſt Wellſche anteponerem: nihilominus hæc vitis ſpecies præ pluribus aliis vitis ſpeciebus mixtim tamen cum Weiſſen & Groppen coli & excellere dicitur in vineis Jumpeltskirchenſibus, & inde etiam harum vino ſpecialis differentia ſua fieri: ibidem ſicut etiam cis Danubium, ſed magis ſparſim, quam Groppen, colitur, vitis folio integro maximo craſſiſſimo aſpero ſinuato bacca globoſa albente majore uva farcta longiſſima, non raro pedali, vulgo die Weiſſe, item Mehl-Weiſſe in Auſtria, vinum præbet melius cœlo favente, quam Gropen, aſt ejus etiam ſerius difficiliusque ſicut ſupra taxatæ Gropen, baccæ in noſtro climate maturantur.

17. Cis Danubium in Auſtria inferiore nulla, quantum ſcio, fiunt & coluntur vina rubra ſive vites bacca nigra, ſed cum Gropen ſparſim & mixtim in omnibus fere vineis colitur, imo vitis folio obiter laciniato bacca globoſa viridi pellicula deglubili, Auſtriacis vulgo die Schmeckende, aliis Muſcateller. Item vitis folio laciniato utrinque viridi pellucido, bacca globoſa alba, Auſtriacis die Weiſſe, Wirtembergenſibus & J.B. forte die gute Edl-Trauben, quæ etiam in Burgundia vulgaris dicitur, optimaque eſt, a vineatoribus tamen Germanicis non ſatis ideo excolitur, quia ejus

vinum

vinum non ſatis durabile dicitur, licet ſecundum Phyſicam experimentalem omnia vina ultra annum non durabilia, ſint maxime matura, ſaniſſima, maximeque oleoſa, dummodo fuerint in principio dulcia absque aſtrictione. vid. 8. Durabilia vero præcipue 14. taxata, omni & toti Reipublicæ Germanicæ pernitioſa phyſice moraliter, atque ob dictas ibidem cauſas multo cariora & pretioſiora, quam vineatores hucuſque perponderarunt.

18. Poſt 16. & præ 17. copioſius inter vitem vulgarem Gropen in vineis cisdanubianis Auſtriæ colitur vitis folio ſubrotundo integro minore ſubtus albente, bacca globoſa minore alba: Auſtriacis vulgo die Silber-Weiſſe, Alſatis, quibus vulgaris eſſe dicitur, forte ſicut etiam J. B. Edl-Trauben, Weisfreiſchen: aſt hujus baccæ difficulter ſeriusque, attamen etiam citius & facilius, quam Gropen in noſtro climate maturantur, vinum etiam ferunt ſat copioſum, & multo melius, citiusque potabile, quam terribile vitis Gropen: atque ex hac ſpecie cum intermixtis paucis Gropen vineæ Brunenſes ſunt conſtructæ: quarum vinum macilentæ complexioni amicum eſt, minimeque eſt acidum, valde tenue eſt & læve, non nimis ſpirituoſum, & poſt tres annos, imo citius fit potabile, id eſt, jam depoſuit omnes ſuas fæces & tartarum: ſapore & tenuitate ſua ad vinum Moſellanum adeo accedere mihi mihi videtur, ut non dubitem, quin vineæ Moſellanæ ex eadem mera vitis ſpecie ſint conſtructæ.

19. Præ hac & omnibus reliquis in Auſtriæ cisdanubianæ vineis copioſior eſt vitis folio integro ſubrotundo glabro minore utrinque viridi, bacca globoſa majore viridi dulci, uva farcta breviore, Auſtriacis vulgo Cervanl, Rhingovienſibus die Riesling, mater vini Regis Toccavienſis, Rhingovienſis, optimique Auſtriaci, & vulgatiſſima communiſſimaque in omnibus Auſtriæ cisdanubianæ vineis poſt Gropen, aut ſaltem cum Silber-Weiſſen 18. æqualis, ex eadem mera & ſola integræ ſupra dictæ vineæ & forte plures ſunt conſtructæ, plerumque tamen cum admixtis Gropen colitur, ita tamen, ut, quo plures vites hujus ſpeciei in vinea ſunt, eo magis vinum Auſtriacum nobilitetur: vinum ex hac ſpecie pura productum, veluti ſupra dictum Rhingovienſe præter alias dotes, etiam fere immortale ſive incorruptibile eſt, ita, ut ſolum ſit, quod trans æquatorem a navigantibus citra ullam corruptionem devehi & iterum reportari poſſit, quod idem phænomenon quidem etiam Regi vino Toccavienſi concentrato proprium eſt, ſed tantum ex defectu fluoris & aquoſitatis, Rhingovienſi autem eſt ex copioſo ſuo ſpiritu ardente, principiisque ſuis reliquis intime mediante hoc ſpiritu cum aqua mixtis & cohærentibus, & ideo a ſe invicem nullo fermentationis motu facile diſſolubilibus. vid. 3. Accedit etiam huic vino ea bonitas, quod poſt paucos annos v. g. tres vel 4. intra dolium potabile fiat, civibusque potum conſtantiorem, meliorem, vilioreque pretio ſuppeditet. Ex hac etiam ſpecie fere mera omnes vineæ Znoimenſes in Moravia ſunt conſtructæ, ex quibus inter reliqua beneficia id etiam cives illius civitatis manet, quod vinum conſtanter melius vilioreque pretio habeant, quam omnes Auſtriaci, quibus menſura vini falerni 24. crucigeris venumdatur, quæ Znoimæ vix 12. crucigeris conſtat.

20. Experientia de hac vitis ſpecie docuit, quod quo pauciores hujus ſpeciei Cervanl vites in una vinea ſunt, eo vilius & acidius, tardiusque potabile vinum fiat; optimum eſt, quod ex meris Cervanl exprimitur, mediocre, quod fit ex mixtis uvis Gropen, melius, quod exprimitur ex admixtis uvis Silber-Weiſſen, idem puta de cæteris melioris notæ vitis ſpeciebus ſupra recenſitis admixtis, unde tot vinorum in eodem climate, imo loco &c. differentiæ, quot uvarum ſpecierum cum aliis miſcelæ pauciores vel copioſiores, ſimplices vel compoſitæ, quæ differentiæ deinde iterum mille modis variantur a ſupra dictis cauſis externis, ſcilicet vinearum ſitu, loco, climate, ſolo, anni diverſa temperie, vitium cultura majore vel minore, & vario fermentationis modo, vitiumque ſenio &c. copioſum etiam hæc ultima vitis ſpecies fert ſuccum, copiaque ſucci cum Gropen certat, licet enim Gropen una uva & vitis copioſiorem ſuccum præbeat, quam una Cervanl, certum tamen eſt, quod vinea conſtructa ex meris Cervanl eandem, imo majorem quantitatem muſti eodem anno ferat, quam vinea ejusdem quantitatis conſtructa ex meris Gropen, quia Gropen vitis ſingula majus ſpatium pro ſua plantatione & vegetatione in vinea exigit, Cervanl vitis vero minus, quo fit ut plures vites Cervanl in vinea ejusdem quantitatis plantari poſſint, ſicque numerus harum, quantitatem uvarum Gropen ſuppleat, unaque Cervanl plures ferat uvas, quam Gropen. Hæc vitis ſpecies, ſi facilius citiusque ejus baccæ in Germania matureſcerent, ſuperaret facile omnes reliquas vitis ſpecies, ob hunc vero nævum vineatorum Germanicorum immenſos labores nulla unquam vindemia ſolvendi capax eſt, ut merito miſeri iſti homines ſufficientes cauſas haberent, aliis modis ſtudendi & excogitandi, quibus aliæ vineæ conſtrui poſſent, quæ, etiam ſepoſito nonnihil avaro copioſæ vindemiæ quolibet anno colligendæ deſiderio, ingentem ſuam operam quolibet anno certe ſolverent, &, dum cœlum favet, non læve lucrum illis afferrent, hocque modo non tantum plane indemnes fierent, ſed etiam non raro multum lucrarentur.

21. Conſtruendæ ſc. in Auſtria & tota Germania vitifera vineæ forent ex meris vitibus, quarum uvæ ſive baccæ cito & facile etiam a mediocri æſtate matureſcunt, ab æſtate vero fervidiore & longiore, tam rara in Germania, plane excoquerentur, & excellentiſſimæ optimæque fierent.

22. Citius vero & facilius maturantur baccæ vitis ſupra laudatæ Auſtriacorum Aſcher, & Fränckl, item Wellſche Trauben, quæ vitis eſt folio Apii J. B. mihi folio tetraphyllo laciniato, rariſſima in Auſtria, & tota Germania: Item vitis folio obiter laciniato, inferne hirſuto, ſuperne glabro, bacca globoſa alba dulciſſima, pelliculis tenuibus, uva magna laxa, vulgo Auſtriacis die Leichler, harum vitium baccæ omnium dulciſſimæ ſunt, ſat copioſum præterea præbent ſuccum, ut dolendum ſit, quod a Germanis magis non colantur. His proxime accedunt baccæ vitis folio laciniato utrinque viridi pellucido, bacca globoſa alba, Auſtriacis vulgo die Silber-Weiſſe. Item ſupra 16. laudata vitis rothe Muſcateller dicta. Has Vineatoribus pauperibus pro reportando operæ ſuæ pretio annuo, & ſi cœlum magis favet, non lævi lucro, commendo, ut eas magis colant & plantent vel ſolas inter ſe mixtas, vel cum Cervanl; ditioribus vero, qui lucrum & mercedem ſuorum laborum exſpectare poſſunt, plantationem Cervanl relinquo. De qua ſpecie a Cornicibus, Turdis, Sturnis & vulpibus diſcant, quod ſuccus ejus reliquarum ſpecierum omnium ſuccum dulcedine ſuperet, ut ideo ab his præ reliquis ita impetantur, ut plures Vineatores illam in Auſtria plantare nolint: dolendum autem etiam eſt, quod paupertas & inedia plurimos Vineatores cogat, ut has uvas ante vindemiam maturas præſcindant, & pro pane emendo in foris venumdent.

23 Cæterum, quod vitis ſecundum Baſilii Valentini aliorumque Alchymicorum fabulas cum auro tantam affinitatem habeat, ut non raro illius pampini, ſemina, aut pars baccarum pelliculæ aurea fuerint inventa, falſum eſt; quotquot enim pampinos aureos in variis gazophylaceis Germaniæ naturalibus vidi, arte facti ſunt: ſemina vero aurea putata, & guttæ illæ aureæ pelliculis baccarum vitis inſidentes aut aſperſæ, quæ ſæpe in manibus habui, & aliquoties ipſe probavi, ſunt combuſtibilia ab igne probatorio, imo etiam lævis candelæ, ſicut idem ex ſua experientia teſtantur Acta Wratislavienſia.

24. Cæterum quam ſpeciem J. B. vocat vitem uva barbata, vera vitis ſpecies non eſt, ſed uva degener ex vite qualibet ſupra dicta ratione a relictis nimiis gemmis nimium ſed debilius fructificante, aut a vite ſenio confecta.

Tantum de vitis vinorumque ſpeciebus & differentia ad nutum colloquii cum magno Mecænate publicæ utilitatis ſtudioſiſſimo.

Vitis ſpecies in Auſtria vulgares pleræque, in Diſſertationis textu allegatæ & in Tabulam contractæ ſpecialem, ut vites præcoces & ſerotinæ facilius magisque innoteſcant.

Vitis

- **ſativa**
  - **præcox, folio**
    - **integro**
      - ſubrotundo ſinuato, ſtriis ſubtilibus rubris virgato, bacca globoſa majore rubella facile decidua, uva longa laxa. die rothe Muſcateller.
      - cordiformi minore ſuperne glabro, inferne lanato, bacca globoſa viridi piſo vix majore pellucidiſſ. & dulciſſ. uva farcta brevi creberrima & præcociſſima. die Fränckl.
    - **laciniato**
      - **non pinnatim**
        - **obiter**
          - ſuperne glabro, inferne hirſuto, bacca globoſa alba dulciſſima majore pelliculis tenuibus, uva magna laxa. die Leichler.
          - utrinque viridi pellucido, bacca globoſa majore virente ſive alba, uva longa laxa. die weiſſe Muſcateller.
        - **profunde, laciniis**
          - latioribus, bacca globoſa majore flava pellucida, pellicula tenuiſſ. & pellucidiſſima uva majore farcta. die Augſter.
          - linearibus, rubente, bacca majore globoſa fuſca pellucidiſſima, uva farcta præcociſſima. die Aſcher.
      - pinnatim, umbelliferarum more: Vitis Apii folio J. B. 4phyllo. die Wellſche.
  - **ſerotina, folio**
    - **integro ſubrotundo**
      - **minore majore palma**
        - viridi aſpero ſinuato, bacca
          - ovali
            - alba. uva maxima laxa.
            - nigra. die Geisdutten.
          - globoſa majore
            - flava pellucida uva farcta ¾. pedis. SeeWeinbeer.
            - alba.
            - nigra carne cæruleſcente.
            - virente. / rubra. die Grobe. (cognita in Auſtr.
        - albente, quaſi farina aſperſo, bacca globoſa majore alba. die Weisklemer J. B. in-
        - aſpero inferne albente bacca globoſa alba minore. die Weiſſe. Item Mehl - oder Silber-Weiſſe.
        - glabro utrinque virente, bacca globoſa majore. die Cervänl, Riesling.
          - viridi.
          - rubente uva farcta brevi.
          - nigra carne rubella.
    - **laciniato laciniis linearibus**
      - palmari, bacca globoſa viridi majore, pellicula deglubili, uva farcta longa. die Schmeckende, vulgo Apina.
      - floreno vix majore, bacca piſo non maj. apyræna, uva laxa, vulgo Corinthica. die Weinbeerl. in hortis occurrit.
- Silveſtris & Labruſca omnium ſupra recenſitarum ſpecierum ſativarum, ex quibus Cervanl nigra bacca in Auſtriæ inferioris inſulis Danubianis ſola eſt vulgaris, baccasque fert piſo vix majores dulces non ſine amaritie, & ideo forte eadem cum vite Labruſca ſilveſtri Morlachiæ, ex qua vinum non ſine amaritie dulciſſimum vino Hiſpanico ſtomachali Cicios dicto ſimillimum fit; Notabile eſt, quod Labruſcæ ſpecies incognita, unica circa Cellejam ſex amphoras vini Domino ſuo ſuppeditet quolibet anno.

Hb. Flore Perfecto ſimplice Regulari Monopetalo Campaniformi.

- conico vel 5gono vid. tab. ſequens.
- pelviformi, in ſua baſi
  - aurito ſive 5. corniculis obſito vid. tab. ſeq.
  - non aurito, neque oris reflexo, & in ſuis oris
    - integro, in ſummitate diſcreto vel ſociato: ſem. tect. caps. 3part.
      - *Namparellia* Park. *fl.* / *Narciſſus luteus T.* { *luteo* / *pallido* { *unicolore* / *bicolore* / *variegato* } / *albo* } { *pleno* / *ſimplice calice vel tubo fl.* } { *terete* / *6gono* } { *longiore* / *breviore* } { *albo* / *luteo* / *aureo* / *ſulphureo* } *in oris* *
      - * { *fimbriato* / *integro* } *petalis circa tubum* { *explanatis* / *reflexis* } { *latifolius* / *anguſtifolius* / *juncifolius.* } { *maximus* / *medius* / *minor* } { *monanthos* / 2. *vel* 3. *anthos* / *polyanthos* } { *autumnalis.* / *vernalis.* }
    - multifido plùs minúsve profundè in ſummitate caulis, ſcapi vel ramorum
      - ſolitario: ſem. tect.
        - caps. 3part. *Campanula monanthos* T. { *pumila anguſtifolia Luſitanica.* / *Lychnidis folio Orient.* / *major Orientalis.* }
        - baccâ poly-pyr.p.m.r. vel luteola.f. Hb.
          - craſſis
            - virentibus. *Mandragora* T. *foliis* { *aſperis fr.* { *globoſo croceo fœmina* J. B. / *parvo ovato fl.* { *albo.* / *violaceo.* } } / *mollibus fructu rotundo* C. B. }
            - ſubcinereis. *Mandragora foliis ſubcinereis altera* Parkins.
          - tenuibus conſiſtentiæ gramineæ, forma Lilii fol. *Convallium monanthemum* Ru.
      - diſcreto vel ſociato: ſem. tect. caps.
        - 3partitâ
          - ſimpl. caule Hb.
            - cubitali. *Gentianella paluſtris anguſtifolia* Buxb.
            - triunciali: floris oris
              - 5 fidis in lacinias
                - mucronatas &
                  - Sinuatas: *Gentianella Helvetica verna amplo azureo flore.* Raji.
                  - non ſinuatas & ad ſingulã laciniã cum appendiculis
                    - nullis *Gentianella*
                      - *prima vel campanula pratenſ.* Lugdun. fl. tubuloſ. larg.
                      - *flore* { *vireſcente* / *ſubcæruleo* } { *longiore* / *breviore* } J. B
                      - *fugax* Barell. *fl.* { *albo.* / *cæruleo.* }
                      - *annua cæruleo flore in medio ventricoſo & ferè clauſo.*
                      - *æſtiva folio Centaurei minoris.* C. B.
                      - huc etiam accedit *Gentianella decima* Cluſii *fl. cærul. purpuraſc. multifido* ad fol. alas ſimul ſociato
                    - 2. intermediis mucronatis & ſic fl. inæqualiter x fidum effigiant. laciniis fl. marginatis lineâ albâ.
                      - nullâ *Gentianella* { *magno flore alpina* CB. / *autumnalis annua fol. Centaurei* Ru. *fl. ad lat. piloſis* CB. 5*fido in lacin.* 3-*fidas acutas.* }
                      - aliquâ. *Gentianella alpi. vern. maj.* C.B.
                - obtuſas & orbiculares: *Gentianella.*
                  - alpina { *lato acuto folio fl. minùs patulo* Barell. / *pumila verna minor.* T. / *autumnalis fol. lato rotundiore fl. amplo & reflexo* Barell. }
                  - *Violæ Marianæ fl. purp.* Barell. *fl.* laciniis long. & orbicularibus à reliquis differt.
                - emarginatas ſive cordatas. *Gentianella cordata azurea* Columnæ ſive *calice turgido pentagono* Raji.
              - quatrifidis & piloſis. *Gentianella* { *alpina verna minor.* C. B. / *cærulea oris piloſis.* C. B. / *purpurea minima* Columnæ. }
          - brevi: fol. in caule ſaltem imis.
            - Ocimi. *Campanula Ocimi folio caulem ambiente fl. pendulo* T. fol. obvallato.
            - ſubrotundis aſperis & crenatis. *Campanula fol.* { *Drabæ minoris crenato* T. / *ſubrotund. fl.* { 5*gono maj. alpina* T. / *cilindraceo min. vulg.* T. } }
            - Serpilli. *Campanula* { *Serpilli fol.* C.B. / *pumila repens maximo flore.* T. }
            - Lini. *Campanula Lini* folio T.
            - Salicis vel Perſicæ anguſt. { crenat. ſubtiliſſ. *Campanula Perſic. fol.* T. fl. num. var. / non crenat. *Campanula min. magn. flore* Moris. lat. fl. }
            - Lingulato. *Campanula* { *americana fol. rigidis flore patulo* T. / *nemoroſa anguſtifolia parvo flore* T. / *radice eſculenta* T. fl. varii color. tota lacteſc. huc acced. }
            - Rhomboidali & anguloſo. *Campanula Teucrii fol.* T.
            - Urticæformi. *Campanula nemoroſa* Moris. *Trachelium* J.B. fl. plerumque ſingular.
          - longâ ſiliquosâ: fl. etiam non niſi cœlo ſereno aperto, aliàs clauſo & cuſpidem teli 5goni effigiante. *Speculum Veneris* J.B. *fl.* { *ampliſſ. Thracicum.* / *minore vulg.* }
        - 5. part. vid. tab. ſeq.
      - conferto: vid. tab. ſeq.

Hb. Flore Perfecto ſimplice Regulari Monopetalo Campaniformi.

- Pelviformi in ſua pelvi
  - non aurito, neque oris reflexo & multifido plus minusve profunde
    - in ſummitate caulis & ramorum
      - conferto: ſem.
        - diſcret. ſem. tect. capſ. 5-part. ſubrot.
          - *Medium* vulgo *Campanula Mariana flore*
            - *albo.*
            - *rubro.*
            - *cæruleo* { *anguſto fere cilindraceo* / *largo*
            - *ex albo & cæruleo permixto* { *maculatim* / *radiatim*
            - *radice* { *fibroſa* / *tuberoſa fol. Atriplicis circa caulem ternis.*
        - nud.
          - 1. Lapathiformi. *Rhabarbarum*
          - 2. teſticulatis
            - glabris: caule cubito
              - minore *Gallium alb. latif. ſilvat.* Ru. malè quibusd. *Matriſylva*
              - longiore
                - erecto. *Gallium* { *altiſſ. montan. fol. anguſt & candic.* R. / *album latifol. erectum* Rup.
                - ſupino: *Gallium album ſupinum* Rup.
            - lappaceis. Hb. odore nuclei ceraſorum nigr. *Aſperula ſilvatica* Ru. *Matriſylva* off. de hac & omnibus *Galliis* confer. fl. 1lum tubuloſ. reg.
        - tectis
          - capſula
            - brevi
              - ſimplice
                - globoſa & hirſuta: fol. digitat. *Hydrophyllon* T.
                - longa 2corni: caule
                  - cubitali: fol. 2. adverſis.
                    - gramineis anguſtis. *Gentianella paluſtris anguſtifol.* Buxb.
                    - largis. *Gentiana*
                      - *Aſclepiadis fol.* C. B.
                      - *magna fl.* { *purpureo obſoleto* / *albo* / *aureo* / *punctato*
                  - palmari. *Gentianella*
                    - *autumnal. fol. Centaurei* R. fl. 5fido varians.
                    - *fugax* Clus. fl. laciniis trifidis laciniato 5. varians.
              - 2part. glandiformi: fl. ferè irreg. *Petum* Rup.
              - 3part.
                - alata: planta ingente annua. *Manihot fol.*
                  - *Ricini*
                  - *Ulmi* { *ampliore* / *anguſtiore* — Cl. Dillenii
                  - *Chamædris minima*
                  - *Betonicæ ſcandens.*
                - non alata fl. conferto ſpicat.
                  - laxè & ſparſim inter fol. lingulata
                    - homoſtichicè: *Campanula* { *repens fl. minore cæruleo* J. B. / *alpina glabra fl. dilutiſſ. cærul.* J.B.
                    - hæteroſtichicè: fol. in caule præter fl. ligulas
                      - nullis: ſed caule nudo: *Campanula moutana fol. obtuſ.* Mor.
                      - multis:
                        - uniformibus
                          - crenatis
                            - lanceolatis: fl. laciniis
                              - orbicularibus: *Campanula fol. ſerrato* H. Eiſt.
                              - mucronatis: *Campanula* { *Perſicæ folio* Rup. / *Anchuſæ fol. fl. oblong.* T. / *anguſtifol. nemoroſ. maj. magn. fl.* CB.
                            - cordiformib. fl. laciniis
                              - orbicularib: *Campanula fol. ſubr.* C.B.
                              - mucronatis: fl.
                                - minut: *Campanula fol. ſerat. rotund. Rapunculus* J.B.
                                - magno: *Campanula maj. & aſp. fol. Urticæ* CB. v. inf.
                          - non crenatis
                            - gramineis. *Campanula min. rotundif. vulg.* C.B.
                            - lanceolatis. *Campanula Perſicæ fol.* fol. non latior: & crenat. & fl. numerum varians.
                            - locuſtæformi: fl. { amplo: *Campanula rad. eſcul.* C.B. / exiguo: *Campanula Erinus min.* N.
                        - difformibus, imis ſc. ad rad.
                          - cordiform.
                            - crenatis: ſummis in caule mucronat. etiamque crenat. *Campanula min. rotundifol. alpina* C.B.
                            - non crenat. ſummis in caule gramin. non crenat. *Campanula rotundifol. vulg.* C.B. ſuprà ob ima f. fug. repet.
                          - mucronatis & crenatis: ſummis in caule anguſtior. non crenat. *Campanula fol. Echii fl. villoſ.* C.B.
                  - denſe & quaſi in ſpica vel thyrſo herbato
                    - homoſtichico: *Campanula media fol. inferius candida lanugine obſito* C.B.
                    - hæteroſtichico: fol. Hb.
                      - hirſut. fl. baſi
                        - conica fere: *Campanula* { *ſilveſtris cervaria maj.* H. Eiſt. / *hort. Rapunculi rad. rep.* C.B.
                        - ventricoſa: fl. thyrſo
                          - unico: *Campanula Trachelium in maritimis* L.
                          - multipl. denſo: *Campanula Bonon. parv. fl.* J.B. huc acced. *Campanula pyramid.* Val. lat. fl.
                      - glabris. *Campanula anguſtifol.* Tab. huc accedit *Campanula pyramidal. altiſſ.* lateraliter fl. accenſenda.
                  - denſiſſime conglomeratimque in faſciculo vel capitulo: fol. in caule & ramis
                    - gramineis
                      - hirſutis. *Campanula Trachelium capitat. hirſut. fol. gramin.* B. huc acced. *Trachelium altiſſ. aſperius fol. anguloſ. fl. parvo* J.B. ſimul tamen lateralit. florens
                      - glabris: fl. tubo
                        - recto. *Campanula alpina Tragopagi fol.* C. B.
                        - curvo: & ferè irreg. *Campanula Rapunculus ſilveſtris umbellatus anguſtifol.* Camer.
                    - lanceolatis / cordiformibus — vid. tab. ſequens.
            - longa vid. tab. ſeq.
          - bacca vel pericarpio vid. tabul. ſeq.
      - congeſto in ſpicam homoſtichicam &c. vid. tab. ſeq.
    - ad latera ſive fol. alas ſparſo &c. vid. tab. ſeq.
  - aurito ſive corniculis obſito, vid. tab. ſeq.
- conico & anguloſo. vid. tab. ſeq.

Hb. Flore Perfecto ſimplice Regulari Monopetalo Campaniformi.

- Pelviformi in ſuis oris multifido & in pelvi
  - non aurito neque reflexo
    - in ſummitate caulis & ramorum
      - conferto: ſem. tect.
        - caps. brevi 3 part. nô alat. ſubrot. fl. confert. denſiſſ. conglom. in faſc. vel capitulo: foliis in caul. & ram.
          - Lanceolatis, & in imo caule nixis petiolo
            - aliquo: *Campanula Rapunculus ſilv. latif. Camer.* huc etiam accedit: *Campanula fol. Echii.* C.B. in ſummis 2. alis ptæterea florens.
            - nullo &
              - alternis: *Campanula Trachelium petræum globoſ.* Ponæ.
              - inordinatis & denſis. *Campanula Trachelium ſpicat. fol. Echii* Moris.
          - cordiform. crenatis & in ead. planta
            - uniformibus. *Campanula Trachelium pratenſ. fl. conglomer.* Moris.
            - diſſormibus figurâ & magnitudine: *Campanula Trachelium min. alb.* J.B. lateraliter etiam ſimul florens.
        - Siliqua 5plice corniculatâ *Cotyledon afra* T. *foliis*
          - *orbiculatis*
          - *teretibus fl. pulcherrimo.*
        - pericarpio molli radiat. polypart. *Hypociſtis* T. *flore*
          - *albo.*
          - *palleſcente lineis purpureis & virent. diſtinƈto.*
          - *purpureo.*
          - *luteo.*
        - bacca polypyræna: *Solanum tuberoſum* T. fl. ſtellato & campaniformi ambigens.
      - congeſto in
        - ſpicam laxam homoſtichicam: ſem. tect. capſ. 3part. globoſa. *Campanula alpina glabra* J.B.
        - muſcarium: ſem. nud. 2. teſticulatis glabris. *Gallium* vide ſupra fl. confertos.
        - thyrſum herbatum vel non herb. ſem. tect. capſ.
          - 3part. fol. in ead. Herba
            - diſſormibus, imis ſc. pluſquã palmar. ſuperioribus minutis. *Campanula pyramidalis altiſſima* T.
            - uniform.
              - glabris
                - fœtidis: & irregular. crenat. *Campanula Saxatilis fol. Pulmonariæ Galloru͠.* Mor.
                - non fœtid. & regularit. crenatis. *Campanula ſerrat. folio* Moris.
              - lanuginoſis in parte averſa. *Campanula media, inferius candida lanug. obſito fol. fl. pendulo & homoſtichico*: Item *Campanula alpina pubeſcens fl. ſpica pyramidata* T.
          - multiplice corniculata: *Cotyledon.*
            - *folio oblongo fimbriato Cretica* Cl. Dill.
            - *flore*
              - *herbaceo, radice tuberoſa maj.* J.B.
              - *luteo radice tuberoſa repente* T.
        - faſciculum ſive umbellam
          - pendulam: ſem. tect. ſiliqua multipl. *Cotyledon Sanicula alpina* Cluſii.
          - arrectam: ſem tect. ſiliqua multipl. *Cotyledon afra fol. oblong. fl. umbellato* T.
        - ſpicam denſam: planta
          - fruticoſa: ſem. tect. capſ. 4part. ſpica
            - homoſtichica *Erica prima* Cl.
            - hæteroſtichica *Erica quarta* Cl.
          - herba: ſpica fl.
            - homoſtich. ſem. tect. bacca polyp. p.m. rubra. *Convallium* Rp. *fl.*
              - *albo*
              - *rubro verſus* / *plurium.* 1.
              - *variegato*
            - hæteroſtichica: ſem. tect. capſ. 3part. *Hyacinthus comoſus Byzantinus* H. Eiſtett.
        - capitulum cubicum: ſem. tect. bacca polyp. p. m. r. *Moſchatellina* Rup.
    - ad latera ſive foliorum alas
      - ſparſo: ſem. tect. capſ.
        - ſimpl. fl. ad foliorum alas
          - tantum. flore
            - 5fido minuto: *Glaucoides* T.
            - 6. vel 7fido inſigni & cilindraceo. *Gentiana calathiana verna violacea* Dalech.
          - & ſimul in ſummitate conferto
            - *Gentiana Aſclepiadis fol.* C. B. fl in baſi tubuloſo
            - *Gentianella major alpina flore* Barell.
              - *purpur. cærul.*
              - *aureo*
            - *Gentiana fugax* Clus 5fido fl.
        - 3partita: floreque ſimul in ſummitate
          - nullo: fol.
            - Urticæ
              - largo: fl. partim pendulo, partim arrecto: *Campanula maxima folio latiſſimo* C. B.
              - min. fl.
                - hæteroſtichico: villoſ. arrect. *Campanula fol. Urticæ,*
                  - *vulgatior & aſper.* fl. varii col. ſimpl. & plen.
                  - *oblongo minus aſpero* T.
                - homoſtich. glabr. & pendulo: *Campanula hortenſis radice Rapunculi repente* C. B.
            - Serpilli quaſi pinnato. *Campanula Serpilli fol.* huc accedit
            - longo mucron. *Campanula fl. ſingularibus per caulem ſparſis* T.
          - ſimul vid. tab. ſeq.
      - conferto / verticill. vid. tab. ſeq.
  - auriculis obſito, vid. tab. ſequens.
- Conico vel anguloſo, vid. tab. ſeq.

Hb. Flore Perfecto ſimplice. Regulari Monopetalo Campaniformi

- Pelviformi oris multifido & in ſua pelvi
  - non aurito: neque reflexo: ad fol. alas
    - ſparſo: ſem. tectis
      - caps. 3 part. fl. ſimul in ſummitate
        - diſcreto:
          - homoſtichico: *Campanula media folio inferius candida lanugine obſito* C. B.
          - hæteroſtichico: fol.
            - lanceolato
              - non crenato: *Campanula minor magno flore Erinus* Columnæ
              - crenato ſubtiliſſimè: *Campanula Perſicæ fol.* fl. ſitu ludens.
            - 5fido. *Campanula Cimbalariæ folio* C. B.
            - Urticæ
              - largo: *Campanula Cervicaria major levior* C. B.
              - minuto: *Campanula Rapunculus minor fol. inciſ.* C. B.
            - ſubrotundo
              - Alſineformi. *Campanula rotundifolia*
                - *minor alpina* C. B.
                - *Caetana* Boccon.
              - Ocimiformi. *Campanula hirſuta Ocimi folio caulem ambiente fl. pendulo* Boccon.
        - conferto: fol.
          - glabro: *Campanula pyramidalis altiſſima* T.
          - hirſuto & in eadem planta
            - uniformi *Campanula Trachelium pratenſe fl. conglomerato* T.
            - difformi. *Campanula Trachel. minus album* J. B.
      - baccâ globoſâ
        - 2pyræna. Hb. ſtellatâ aſperâ & lappac. *Rubia* T.
          - *ſativa* — *major Monſpeliac.*
          - *ſilveſtris* — *4 folia aſperr. lucid. peregrin.*
        - polyp. p. m. nigrâ venen. fl. ferè irreg. *Belladonna* T.
          - *vulgaris fl.*
            - *albo.*
            - *rubente.*
          - *fol. anguſtiore ſubhirſut. magno flore*
          - *fruteſcens*
            - *rotundifolia.*
            - *Nicotianæ folio.*
    - conferto: ſem. tect.
      - capſulâ
        - ſimpl. globoſ. & anguloſ. Hb. ſcandente. aphilla. *Cuſcuta* Rup.
          - *min.*
          - *maj.*
        - 3 part. flore conferto
          - laxè: fol.
            - glabris. *Campanula pyramidalis minor* Alpini.
            - hirſutis. *Campanula pyramidalis hirſuta* Valerandi.
          - densè: fol. hirſut.
            - lanceolatis. *Campanula fol. Echii* C. B.
            - gramineis. *Campanula Trachelium hirſutum altiſſ. foliis anguſtis parvo flore* J. B.
            - obtusè mucronatis. *Campanula Rapunculus montan. fol. Pulmonariæ Gallorum.*
      - baccâ 4pyr. flore
        - 5fido: caule ſcandente & claviculis donat. *Bryonia baccâ*
          - *nigra* / *rubrâ* fol.
            - *maculat.*
            - *non mac.*
              - *Plat. græc.*
              - *vitigineis*
                - *parvis*
                - *amplior. lucid. glabris ſubtùs hirſutis fr. magno nigro.*
        - 6fido: cauléque ſcandente ſine claviculis. *Tamnus* T.
          - *fl.*
            - *luteolo minore.*
            - *albo majore.*
          - *folio*
            - *Anguriæ American.*
            - *trifido Cretica.*
  - verticillato: ſem. tect. caps. ſimpl. *Gentiana magna fl.*
    - *albo*
    - *purpureo*
    - *luteo punctato* fl. ſtellato ambigens.
  - aurito ſive auriculis 5. obſito, in ſummit. primò, deinde p. m. æ. ad fol. alas conferto & quaſi in umbellā pendulam congeſto: ſem. pappos. tect. Siliqua terete conica 2plice vel 2part. fl.
    - reflexo: fol. in caule
      - incanis. *Beidelſar erectum incanum american. fl. incarnato violac.* Knauth.
      - aloëform. *Beidelſar fol. aloëtico perenni* Knauth. *Apocynum* T.
      - criſpo & veluti undulato. *Beidelſar hirſutum fol. undulato african.* Kn.
      - Simphytiform. rad.
        - fibroſâ viticulari: fl.
          - ex viridi rubente vel obſoleto vel albo. *Beidelſar* K.
            - *canadenſ.* / *american.*
              - *maj.*
              - *min.*
          - croceo. *Beidelſar Syriacum* Kn.
        - tuberoſâ. *Beidelſ. novæ Angliæ ſubhirſut. rad. tuberoſ.* Kn.
      - ſaligneo: fl. coloris
        - aurantii. *Beidelſar fol. Chamænerii fl. aurantio unicolore* Kn.
        - aliûs: fr.
          - villoſo: *Beidelſar afrum fr. villoſo fol. ſalicis*
            - *lato*
              - *glabro* Kn.
              - *hirſut.* Kn.
            - *anguſt. glabr.* Kn.
          - glabro: *Beidelſar Chamænerii folio latiore* Kn.
    - non reflexo: fol.
      - ſaligneo: *Apocynum fl. aurantio unicolore americanum.*
      - ſubrotundo. *Apocynum folio Androſæmi Canadenſe.*
      - ſimphyti. *Apocynum fr. viridi pallente afrum.*
    - Nota; dari *Beidelſar* & *Apocyna ſcandentia*, quorum verò florum figura & ſitus adhuc latent.
- conico, cilindraceo &c. vid. tab. ſeq.
- fimbriato in ſummitate
- ſolitario: ſem. tect. capſula ſimpl. *Nymphoides* T.
  - *maculis purpureis notata*
  - *non maculata*
    - *fl.*
      - *luteo aquis innatans.*
      - *albo indica.*

Hb. Flore Perfecto ſimplice Regulari Monopetalo Campaniform

Conico — aperto in oris ſuis

multifido ad baſin uſque in lacinias mucronatas ſolo annulo cohærentes, & ideo fere ſtellari in ſummitate diſcreto, in paucis ſociato vel conferto: ſem. tect. pericarpio polyp. *Ficoides* Boërhav. *folio* { *terete* | *triangulari* | *plano.* }

fimbriato vel laciniato in ſummitate ſolitario vel gemello: ſem. tect.
- capſula
  - terete ſimpl. *Soldanella fol.* { *rotundo* | *minùs rotun.* } Carinthiæ Alpium incola
  - 3part. turbinat. *Pancratium* vulg. *Narciſſus lut. minim.*
- bacca polyp. *Solanum tuberoſum minus folio Atriplicis* T.
- pericarpio polyp. *Ficoides* modò recenſit. ſi mavis, huc pertin imo etiam omnis *Namparellia* flor. tubi oras fimbr. habens

integro
- in ſummitate
  - ſolitario: ſem. tect. capſ.
    - ſimpl. *Gentianella concava Anglica* Raii.
    - 3 part. *Pancratium fl. tubo non fimbriato* aliis *Narciſſus luteus minimus,*
  - umbellato: ſem. tect. capſ. 3part. *Convolvulus umbellatus argent.* T. { *erectus* | *ſupinus* } { *latifol.* | *anguſtifol.* }
- ad latera ſive fol. alas
  - ſparſo: ſem. tect. capſ.
    - ſimpl. p. m. elaſtica. *Gentiana flore cæruleo integro* Raii.
    - 3partit. caule
      - erecto: *Convolvulus argenteus* T. { *erectus* | *ſupinus* } { *latifolius* | *anguſtifolius.* }
      - volubili: fol. in caule & ramis
        - cordato
          - aurito: fl. albo rad.
            - tuberoſa craſſiſſima. *Convolvulus Mechacacoanna* dictus.
            - fibroſa. *Convolvulus vulgaris* T. { *maj.* | *min.* }
          - non aurito: *Convolvulus* T. *folio* { *ampliſſimo Americanus.* | *ſubrotund.* fl. varii col. noctufl. & noct. odoro. }
        - oblongo: *Convolvolus foliis oblongis fl. ſuaverubente* T.
        - ſagittato: *Convolvulus minimus fl. varii coloris* T.
        - anguloſo, Althææ ſimili: *Convolvulus* T. { *argenteus Althææ folio angulato.* | *Turbith officinis dict.* confer fol. 3part. infra & (3angular. }
        - Linariæ *Convolvulus* T. *Linariæ folio* { *aſſurgens* | *humilior.* | *argenteus repens acaulis fere.* }
        - Betonicæ. *Convolvulus* T. *Betonicæ folio pulcher.*
        - inciſo tenuiter. *Convolvulus folio tenuiter inciſo argenteo elegantiſſimus* T.
        - multifido. *Convolvulus folio multifido glaber* T.
        - tripartito. *Convolvulus* T. *folio* { *in tres lacinias diviſo lanato.* | *Hæderæ* { *3partito* | *anguloſ.* { *glabro dentato viticulis hirſutis.* | *villoſus* { *major.* | *minor.* } } } }
        - 5. vel 7phyllo: *Convolvulus* T. *fol. 5. vel 7phyllo*
        - 3angulari. *Convolvulus* T. *folio triangulari angulis* { *acutis Scammonea Syriaca.* | *obtuſis Scammoneæ foliis æmulis.* }
        - Nummulariæ. *Convolvulus Nummulariæ fol. repens* T.
        - Piloſellæ. *Convolvulus folio Piloſellæ ramoſus incanus* T.
    - 5part. *Bammia* Riv. *Ketmia* T. qui ad capſulæ loculos non ſatis reſpexit.
  - conferto: ſem. tect. capſ. 3part. *Convolvulus* T. { folio { *Violæ Polyanthos Madraſpatanus* | *ſubrotundo maj. niveus polyanthos.* } | *luteus polyanthos* | *erectus* ſupra inter fl. in ſummitate recenſitus. }

ſtellatim dentato
- in ſummitate conferto: ſem. tect. bacca polyp. *Solanum tuberoſum maj.* vid. fl. campanif.
- ad latera ſparſo vel ſociato: ſem. tect. bacca polyp.
  - nuda magna pomiformi *Melongena* T.
    - *ſpinoſa fr.* { *rotundo* | *longo* } { *croceo* | *nigro.* } | *cum ſpinis* { *albo virentibus.* | *violaceis.* }
    - *non ſpinoſa fructu* { *oblongo* | *rotundo* | *incurvo.* } { *albo* | *luteo* | *ſuaverubente* | *violaceo.* }
  - tecta veſica: *Alkekengi* vid. fl. ſtellatus.

Quinquifido in ſummitate
- tantum ſolitario: ſem. tect. capſ. ſimpl. 2corni. *Gentianella minor acaulis* Barell.
- ad latera ſimul ſparſo: ſem. tect. fr. cucumerino echinato p. m. elaſtico *Elaterium* Rup. *folio* { *integro* | *diſſecto* }

5gono lateraliter ſparſo: ſem. tect.
- capſ. oval. 4part.
  - muricata *Stramonium* Riv. & T. fr. { *ſpinoſo* { *rotundo* | *oblongo* } *fol.* | *ſpinoſiſſ. ſive ferox.* } { *anguloſo & ſinuato fl.* | Alkekengi. } { *albo* { *plane* | *interne* foris *violaceo* } | *violaceo* | *purpureo* | *luteo* } { *ſimplice* | *pleno* | *prolifer.* } { *maj.* | *min.* }
  - glabra & lævi *Stramonium* Riv. fr. *glabro Malabaricum* fl. *violaceo* { *ſimplice* | *pleno* | *prolifero* }
- pomo.
  - 2part. ſem. compreſſ. & obſcure 4gnlis. *Genipa arbor* T. vid. arbores
  - 3part. variæ figuræ & ſapore fatuo: ſem. compreſſ. mucronatis & annulo marginatis. *Pepo.* T. { *vulgaris fol. aſpero minus verrucoſo.* | *major fol. oblongo aſpero non fiſſo.* | *fructu* { *globoſo* { *aurantia forma.* | *pilæ marinæ forma* } | *ſubrotundo* | *turbinato* | *ovato* } { *variegato* | *albido* | *croceo* | *flavo* } { *parvo* | *majore* | *minore.* } }
  - 5part. variæ fig. fatuo *Melopepo* vid. tab. ſequens.

Cilindraceo ſive campaniformi tubuloſo T. vid. tab. ſeq.

clauſo: vid. tab. ſeq.

Hb. Flore Perfecto ſimplice Regulari Monopetalo — Campaniformi — cilindraceo ſive campaniformi tubuloſo T.

conico
- aperto, 5gono ad latera ſparſo: ſem. tect. pomo 5part. variæ figur. fatuo ſtriato anguloſo & plerumque ſimul verrucoſo: ſem. utrinque compreſſ. *Melopepo* T. fructu { *compreſſo* | *clypeiformi* | *conico* | *turbinato* | *utrinque* | *citriformi* } { *parvo* | *maximo* } { *albo* | *flavente* | *luteo* } cortice { *tenero* | *craſſiore* } { *tuberoſo* | *verrucoſo* | *lævi* } fol. { *aſpero* | *glabro* } { *fiſſo* | *integro* } { *magis.* | *minùs.* }
- clauſo in ſummitate laxe ſpicato: ſem. tect. capſ. multipl. corniculata *Cotyledon Capenſis folio ſemigloboſo* Cl. Dill.

aperto — in ſummitate caulis & ramorum — conferto & quaſi faſciculoſo vel umbellato: intra Perianthium commune
- ſolitario: ſem. tect. capſ. ſimpl.
  - 2corni fl.
    - 4fido. *Gentianella cærulea fimbriata autumnalis* Columnæ
    - 5fido *Gentianella*
      - *fugax prima* Cl. *fl. ex cæruleo purp.* J.B. fl. lacin. acut.
      - minor { *verna cærulea ſtellato fl.* Cl. fl. lacin. grandib. | *flore ſtellato* Dalechamp: fl. laciniis parvis orbicularibus & crenatis. }
  - non 2corni. *Plantaginella* Cl. Dill.
- Diſcreto: ſem. tect. capſ.
  - ſimpl. 2corni. *Gentianella*
    - *calathiana verna* Dalechamp.
    - *purpurea minima* Cluſ. & Barell.
    - *autumnalis annua multiflora* Barell.
    - *minor verna fl. ſtell. cærul.* Cluſ. fl. laciniis varians { crenatis | non crena. }
  - 2partit. *Samolus* Rup. cujus petioli floriferi 2. foliolis amicti potius ramuli ſunt.
- ſociato: vel terno, 4ve: ſem. tect. capſ. ſimpl. 2corni *Gentiana Aſclepiadis folio.* T.
  - aliquod coloratum: ſem. tect. capſ. 3part. *Hæmanthus.*
  - nullum: ſem.
    - nud.
      - 2.
        - glabris
          - mononucleatis. *Gallium album* ſupra inter Campaniformes pelviform. recens.
          - 2nucleatis. *Cerinthe major* infra inter fl. Cilindr. clauſos recenſita.
        - lappaceis: *Aſperula ſilvatica* ſupra inter fl. Campanif. pelviform. recenſita.
      - 4. rugoſis radice
        - rubra tingente. *Simphytum* T. *Echii fol.* { *ampliore* | *anguſtiore* } *radice rubra fl.* { *albo* | *luteo* }
        - nigra non ting. *Simphytum* T. rad. { *tuberoſa* | *longa* } fl. { *arrecto* | *pendulo* } { *albo* | *purpureo* | *luteo* | *croceo* | *cinereo* } { *parvo* | *maiore* } { *odoro* | *inodoro* } fol. { *& facie Borrag.* | *ſubrot. aſper.* | *mucronato* * | Oleæ { *cinereo &* | *hirſuto* | *argenteo* } | Echii { *anguſto* | *lato* } }
        - * *lato & caule alato vulgare* { *villoſo villis* { *longis* | *brevibus* } | *non villoſo* }
    - tect.
      - capſula
        - ſimpl. 2corni *Gentianella*
          - *cruciata* C.B. *perennis radice cruciatim pertuſa* Rup.
          - *flore longiore* { *folio latiore Cruciata Marilandica* Raji. | *major virginiana fl. cæruleo* Raji. }
          - *Bellidis folio unicaulis alpina* Raji.
        - 2part. *Nicotiana* Riv. & T. vid. fl. irreg. *Monop.*
        - 3part. fol. largo gramineo: *Tuberoſa* Hortulan. vulgo *Hyacinthus Orientalis latifol.* fl. manifeſtè curvo & irreg.
        - multiplice corniculata. *Cotyledon* quæ *Sanicula alpina* Cluſ. *Cortuſa* Math. repetita. confer Siliquoſas mox ſequentes.
      - Siliqua
        - longa 2part. fol. pinnat. { cum impare. *Gelſeminum* Riv. *Bignonia* T. *Fraxini folio.* | abſque impar. *Gelſeminum capreolis donatum*: vid. fl. irreg. }
        - brevi corniculata *Cotyledon* T. { *quæ Sanicula alpina* Cluſ. fl. umbella pendula. | *fol.* { *ſubrotundo* | *terete* } afræ }
- in Muſcarium cong. ſem.
  - nud. 2.
    - glabris *Gallium album.*
    - lappaceis. *Aſperula ſilvatica* Rup. vid. fl. Campanif. pelviform.
  - tect. capſ. 3part. 3gona intra calicem cilindr. *Lychnoidea* Boerh. *fol.* { *Saligneo.* | *Melampyri.* }

clauſo: vid. tab. ſeq.

ad latera ſive fol. alas ſparſo &c. vid. tab. ſeq.

ſpicato
- homoſtichicè plerumque: ſem. tect. capſ. 3part. fol. gramin. fl. tubo.
  - integro non ſulcato: floreque
    - herbaceo. *Hyacinthus Æthiopicus.*
    - obſoleto. *Hyacinthus Hiſpanicus fl. obſoleto*
    - cærul. pallido. { unicol. | varieg. } *Hyacinthus ori. anguſtif.* confer. fl. thyrſatos ſeq.
  - ſulcato & quaſi ex laciniis imbricat. compacto: fol. ad rad.
    - ſupinis *Hyacinthus Anglicus ſive Belgicus*
    - erectis. *Hyacinthus Hiſp. fl.* { *ſtriato* | *non ſtriato* }
- Huc pertinet *Alöe folio in oblongum aculeum deſinente* C.B. cujus flos regularis cilindraceus eſt & fructui 3part. ſive capſ. 3part. inſidet. ab Hyacinthis differt fl. in ingens muſcarium ex plurimis ſpicis homoſtichicis compactum cong. caudice arboreſcente: fol. ingentibus mucronat. carnoſ. { *ſerratis* | *dentatis* | *lævibus.* }
- Scorpoidea ſpica. ſem. nud. 2. lævibus 2nucleatis. *Cerinthe major* T.

Thyrſato, thyrſo
- non herbato: ſem. tect. capſ.
  - 3part. fol. gram. rad. bulboſa. *Hyacinthus* { *major* | *minor* } *fol. vel caule* { *maculato* | *variegato* | *viridi* } { *ramoſus* | *non ramoſ.* } *fl. maximè* { *unicolor.* | *variegat.* } { *ſtriato* | *nonſtriat.* } { *ſcripto* | *non ſcripto* } { *longo* | *brevi* } * { *tubuloſo* | *campanulato* } { *ſimplice* | *2plice* | *pleno* } { *diſpoſito in thyrſo* | *faſciculo v. quaſi umbella* } { *denſè* | *laxè* } *in verſu* { *uno* | *2plice utrinque* | *nullo ſed inordin.* } { *vernalis.* | *ſerotinus.* | *brumalis.* }
  - multiplice corniculata radice tuberoſa *Cotyledon* T. *radice tuberoſa* { *repente* | *non repente* }
- Herbato; ſem. tect. capſ. 2part. *Rapuntium Veronicæ panonicæ folio* Cl. Dill.

Tubuloſo: vid. tab. ſeq.

globoſo: vid. tab. ſeq.

Hb. Flore Perfecto ſimplice Regulari Monopetalo

Campaniformi

cilindraceo

aperto ad lat. ſive fol. alas ſparſo vel ſociato

homoſtichicè: ſem. tect. bacca polypyr. p.m. rubra vel nigra *Polygonatum* T. — *non ſcand.* *latifolium* *majus* / *minus* *ramoſum* / *non ramoſ.* *magno* / *parvo* *fl.* *odoro* / *inodor.* * — *ſcandens* *anguſtifol.* *humile*

hæteroſtichicè: calice fl. terete: ſem. tect. capſ. ſimpl. 2corni *Gentianella* *cruciata* C.B. huc acced. vid. ſupra. *annua autumnal. fl. purpuro-cæruleo* * Barell. huc acced. vid. ſupra. *ſimplice* / *pleno* *varii color. & varieg.*

2part. *Samolus* T. huc ſpectat, ſi foliola petiolorum ſunt depoſita.

5gono: ſem. nud. 4. *Cerinthoides* Boërhaven.

umbellato vel faſciculoſo pendulo: ſem. tect. Siliqua conica 2part. vel 2plice pappigera: fol. H. anguſtiſſimis. *Apocynum Aſphodeli radice afrum* — latioribus. *Apocynum Daphnoidis folio.*

clauſo

in ſummitate caulis & ramorum confert. vel etiam congeſt. in

ſpicam homoſtichicam. Scorpoideam herbatam: ſem.nud. 2.nigris 2nucleat. *Cerinthe* fol. *ſpinoſo* / *lævi* *maculato* / *non mac.* *major* / *minor* fl. *albo* / *flavo* / *ſtriato*

hæteroſtichicam. laxam. ſem. tect. ſiliqua cornic. *Cotyledon fol. craſſo lato afra* Boerhav.

Muſcarium prægrande ex plurimis faſciculis ſive umbellulis compactum: vix irreg. ſem. tect. capſ. 3part. *Aloë ſobolifera Americana* Herm.

ingent. ſpicis homoſtich. compoſit. ſem. tect. capſ. 3part. caule caudicoſo: fol. ingent. mucronat. *Aloë fol. in prægrandem aculeum deſinent.* C.B. *lævi.* / *ſerrato.* / *dentato.*

circa & ſupra clavam ſpinoſam vel non ſpinoſ. acaulem monticulo vel fuſti ſimilem ſparſo: ſem. tect. bacca olivæformi *Melocactus* T.

Sulcatus occidentalis.
ſtriatus ſtriis ſpiralibus.
3gonus *unduloſus arboreſcens.* / *brevibus aculeis major.* / *repens.*
4gonus *repens.* / *arboreſcens: fol.* *ſtriatis* / *non ſtriatis* *ſpinoſis.* / *non ſpinoſis.*
5gonus repens.
monoclonos cereiformis.
tuberoſus lanuginoſus minimus.
ex globulis pluribus compactus.

globoſo vel Urceolari

in ſummitate caulis & ramorum

Diſcreto: ſem. tect. bacca polyp. *Ruſcus fl. & fr. in ſummitate* T.

ſpicato: laxe & quaſi muſcarioſ. ſem. tect. capſ. Simplice. *Cortuſa Americana* Herm. — corniculata 4plice. *Cotyledon afra* Boerhaven. fl. ex larga ventricoſa baſi in anguſtum tubum deſinente.

denſe: ſem. tect. capſ. 3part. florum ſpica

comoſa *Muſcari* Rup. *comoſum* *ramoſum* / *non ramuſ.* fl. *albo* / *obſoleto* *odoro* / *inodoro*

non comoſ. fol. gramin. junceæ tenuitatis. *Muſcari juncifolium racemoſum*

latioribus *Muſcari* *cæruleum inodorum* J.B. / *obſoletiore flore* Cl. *Moſchatum* C.B. / *luteum Moſchatum* Clus. / *flore* *vireſcente* / *albo* *odoro* / *inodoro.*

ad latera

ſparſo ſupra ipſorum fol. medium pronum: ſem. tect. bacca polyp. fol. ſpinoſo: *Ruſcus* officin: — non ſpinoſ. *Ruſcus* *latifolius* / *anguſtif.* *non ſpinoſus fr. folio inſidente.* T.

conferto & quaſi verticillato: ſem. nud. 1. lappaceo. *Parietaria* *vulgaris* / *Ocimi folio* / *minima annua* Luſit. confer fl. imperf. calicif. fl. enim verus vix eſt viſ.

Tubuloſo, Infundibiliformi & Hypocrateriformi T.

in ſummitate caulis & ramorum

Diſcreto vel ſociato: ſem.

ſolitario: ſem. tect. capſ. ſimp. gran. trit.

non majore neque 2corni *Plantaginella* Cl. Dill. hic repetitur ob fl. minutiem & obſcuritat.

convexo, multifido: fl. in ſummitate ſcapi ſolitario: ſem. nud. pappoſ. *Tuſſilago.* vid. fl. rad. non crenat. nam ambigit.

cilindraceo & quaſi tubuloſo multifid. fl. in ſummit. ſociato vel conferto: ſem. nud. pappoſ. *Jacobæa Betonicæ fol. montana* Barell. conf. fl. rad. non cren. / *Doria* *Limonii folio ſplendente.* Cl. Dill. vid. radiat. fl. rad. non crenat. ex obſerv. / *conſolida Saracenica.* Cl. Dill. Cl. authoris autem p. m. crenari dicuntur, quod etiam verum eſt.

Pelviformi multifido: fl. in ſummit. diſcreto, ſem. nud. papp. *Arnica* officin. *Doronicum Plantaginis folio alterum* C. B.

Doronicum T. *folio* *ſubrotundo ſerrato radice* *dulci.* / *Scorpii brachiata*; *incano Helveticum folio longo ſerrato.* J. B.; *oblongo digitalis plantagineo.* J. B.; *rotundo* *valde ſerrato rad. nigra Campoclarenſe.* / *Cacaliæ*; *Cyclaminis latiore, latifolium* C. B. rad. Scorpiiformi.

conf. fl. radiat. radiis non crenat.

ſquamoſo manifeſte, vix convexo & ſemper aperto: fl. in ſummit. diſcreto: ſem. nud. pappoſis *Aſter* *ſupinus luteus Maſſileoticus* Barell. / & aliæ ſpecies necdum ſatis obſervatæ vid. inter fl. radiat. radiis non crenatis.

pappig. ſquamoſ. vix convexo: foliolis ad calicem

cilindraceo: fl. ad fol. alas conferto: ſem. nud. pappoſ. *Virga aurea Leucoi fol. incano* T.

aciculatis, & ad baſin 2. latioribus: fl. in ſummit ob ramos virgatos conferto: ſem. nud. pappoſ. *Aſter parvo flore globoſo* T. huc accedit.

latioribus deltoid. fl. in ſummitate diſcreto: ſem. nud. pappoſ. rad. tuberoſ. & odora. *Helenium* fl. num. varians.

ſociato vel ob ramos virgatos conferto: ſem. nud. pappoſ. *Aſter autumnalis pratenſ.* T. Conyza media C. B. ſupra rep.

conferto umbellatim: ſem. nud. pappoſ. rad. tuberoſ. odor. *Helenium* officin. fl. numerum varians.

non nudo, ſed foliolis obſito non pappigero: fl. in ſummitate diſcreto: ſem. nud. ſolidis difformibus externis ſc. cordatis, internis gracilibus & foliolis imbricatis a ſe diſtinctis. *Aſteriſcus* T. *foliis ad florem rigidis fl. luteo* vel *aureo*, *odoro* vel *inodoro.*

breviſſimis & minutis. vid. tab. ſeq.

Hb. Flore Perfecto Compoſito ex meris Regul. & Irregularibus ſimul ſive fl. radiato radiis

- plus minusve ſubrotundis planis ſive orbicular.
  - non emarginatis veris fructui inſident. calice
    - nudo
      - pappigero: fl. in ſummit. conferto: ſem. pappoſ. calice fl. pelviformi. *Jacobæa afra perennis.*
      - non pappig. ſquamoſo cilindrac. in ſummit.
        - conferto & umbellatim 4no vel 5no: ſem. nud. ſolidis: foliis Hb. minus tenuiter, quam in Millefolio inciſis aut integris in plurim. *Ptarmica* T. *fol.*
          - *integr.*
            - *inodor.*
              - *long.* *criſtato.* / *ſerrato.* / *partim ſerrat partim integr.* / *altiſſima montana corimbis* * ★ *ex luteo compactis.* / *altera fl. min. comp.*
              - *Helenii Virginian.*
            - *odorato 2no vel terno ex eodem loco ſive lutea ſuaveolens.*
          - *multifido*
            - *Abſynthii æmulo.*
            - *incana pinnulis criſtatis.*
            - *Santolinæ facie fl. majore vel minore.*
            - *Tanaceti fl. purp.*
            - *Matricariæ flore* *aureo.* *toto.* / *ſemifloſc.luteol.* — *albo.*
            - *Millefolii* Boccon.
            - *conjugato argenteo.*
        - umbellato
          - laxe: ſem. nud. ſolid. *Parthenium. quod Matricaria* *vulgaris* huc accedit. / *foliis integris.*
          - denſe: ſem. nud. ſolid. *Millefolium* fol. laciniis *brevibus* / *Abrotani fl. varii col.* — *vulgare* / *maximum* odore *tenui* / *Camphoræ*
    - non nudo, ſed foliolis obvallato, pappigero: fl. in ſummit. diſcreto: ſem. nud. pappoſ. calice ſquam.
  - ſpuriis, calicis ſc. ſquamis floris radios fingentibus: calice nudo pappigero, ſquamoſo convexo vel cilindraceo: fl.
    - vix convexo. *Aſter Conyzoides flore flavente cernuo* Raji.
    - conico. *Crocodilodes* Lin. T. *Cnicus exiguus cap. cancellato.*
    - in ſummitate
      - Diſcreto: ſem. nud. pappoſ. *Elichryſo affinis latifolia non fruticoſa.* Volckam.
      - conferto: ſem. nud. pappoſ. planta
        - fruticoſa: *Elichryſo affinis fruteſcens.* Herm.
        - non fruticoſ. fl. quam Millefolii flos
          - majore. *Elichryſum Orientale.*
          - non majore. *Elichryſum vulg. fl.* *luteo.* / *varieg.*
        - reliquas *Elichryſi* ſpecies vid. inter fl. compoſ ex meris Reg. calice donatos floris radios fingente.
  - emarginatis veris & fruct. inſident. calice nudo, non pappig. plano & 5fido: flore in ſummit. conferto vel umbellato; ſem. nud. ſolid. *Partheniaſtrum* Cl. Dill. & NB. non Mikelii.
    - huc accedunt etiam: fl. in ſummit. diſcreto: ſem. nud. ſolid. foliolis imbricatis
      - diſtinctis. *Buphthalmum* T. *flore* *albo.* / *flavo.*
      - non diſtinct. *Chryſanthemum fol. Matricariæ fl. majore* C. B. quorum radii emarginati lati & velut præmorſi ſunt.
- Breviſſimis exilibus & partim vix manifeſte viſibilibus: calice
  - nudo
    - non pappigero
      - non ſquamoſo
        - plano 5fido: fl. in ſumit. conf. vel umbellato: ſem. nud. ſol. *Partheniaſtrum* Cl. Dil.
        - convexo & multifido: fl. in ſummitate Diſcreto vel ſociato: ſem. nud. ſolid. 2. vel 3dent. *Bidens Curaſſavica caule alato.*
      - ſquamoſo cilindraceo: fl. in ſummit. umbellatim 4no, 5no, vel conferto: ſem. nud. ſolidis. *Ptarmica* T. *fol. pennat. radiis fl. vix conſpic.* / *ſuaveolens* T. / *Tanaceti fol. incan. rad. brevior.*
    - pappig.
      - cilindraceo non ſquamoſo multifido: fl. in ſummitate ſociato rarius conferto: ſem. nud. pappoſ. *Jacobæa Senecionis folio perennis* Raji. cujus radii ſe ita ſpirant, ut vix appareant obiter intuenti.
  - non nud. ſed foliol. aciculatis obſito
    - tantum & ſolum & pappigero cilindraceo: fl. in ſummitate ſociato: ſem. nud. pappoſ. fl.
      - luteo. *Jacobæa* *Senecionis folio perennis* Raji. / *viſcoſa & hirſuta* Raj.
      - rubro. *Jacobæa africana minor.* quarum radii ſeſe etiam ut in prioribus ſpirant.
    - & ſimul 2. foliis latioribus ad baſin, pappigero ſquamoſo & convexo: ſem. nud. pappoſis. *Aſter paluſtris parvo flore globoſo* T. confer ſupra rad. orbicul.

Hb. Flore Imperfecto caliciformi ſive calici ſimili, vulgo non bracteato Raji.

Hb. Fl. Imperf. & calici floris ſimili, aliquot apices & ſtamina continente non graminifol. fl.

Bifido: vid. fl. perfect. regul. 2pet. ex quibus quidam huc accedunt. *Violæ vulgare.*

3fido: a fr.
- non remoto
  - in ſummit. ſolitario: ſem. tect. capſ. anguloſa 6part. *Aſarum* T. *fol.* *Cyclaminis* virgin.
  - lateraliter & ſimul in ſummit. conferto vel racemoſo: ſem. tect. capſ. veſiculoſa ſimpl. *Blitum* T. *erectum majus album vel rubrum. ſupinum minus album vel rubrum.*
- remoto
  - in eadem planta, lateral. & in ſummit. ſpicato: fr. 3cocco 3ſpermo. *Ricinocarpus* B. *fol.* *Circææ American. Violæ 3color. Afr.*
  - tota planta, lateraliter ſpicato: fr. capſ. teſticulata 2part. rad.
    - fibroſa. *Mercurialis* *teſticulata herbata* *incana. ſpicata* *fruticoſa* *Amigdali fol.*
    - viticulari. *Mercurialis montana* *ſpicata. teſticulata.*

4fido: a fr.
- non remoto, ſed ei ſubjecto vel inſidente in ſummit. vel lateral.
  - diſcreto: ſem. tect.
    - bacca globoſa p. m. nigra polyp. *Paris.*
    - capſ. 4part. polyſp. *Nepenthes* Ln.
    - capſ. 5part. polyſp. *Iſnardia* Ln.
  - ſparſo: ſem.
    - nud. 1. *Paſſerina* Riv.
    - tect. capſ. ſimpl. fl. 3fido vel 4fido *Camphorata* Cl. Dill. *hirſuta. odorata. Capenſis fol.* *fere 3fido. Eryngii.*
  - conferto:
    - homoſtichice: ſem. tect. capſ. ſimpl. polyſp. *Percepier.*
    - hæteroſtichice: fr.
      - 1ſpermo p. m. elaſtico: Hb. aſpera. *Parietaria.*
      - polyſp. ſimpl. 2corni. *Chryſoſplenium* T. ſpecies vid. inter fl. Perf.
    - quaſi umbellato vel muſcarioſo in ſummitate: ſem. nud. plurimis. *Thaliſtrum.* vid. fl. Perf.
  - ſpicato: ſem. nud. 1. *Petiveria* Ln.
  - racemoſo: ſem. tect. pericarpio quaſi bacca 1pyr. *Solanoides* Cl. Dill. vid. fl. perf.
- remoto tota planta, & in plurimis ſpeciebus tam in ſummitate quam ad fol. alas ſimul
  - ſpicato vel racemoſo: fr.
    - turbinato vel aculeato: fol. non pungent. *Spinachia* T. *capſ.* *non aculeata vulgaris. aculeata Cretica* *erecta. ſupina.*
    - non turbinat. fol. pungent. & urentibus. *Urtica* T.
      - *florida* *maxima* *Canadenſis* *virente* *fol.* *Mirrbidis. Coryli. lanceolato.*
      - *fructifera* *minima & minor* *noſtras caule* *rubente*
      - *fl. & fructifera ſimul.*
  - in globulos cong. ſem. tect. capſ. membranoſ. ſimpl. *Urtica pilulifera* T. *fol.* *ſubrotund. ſem. Lini. Parietariæ.*
- in ſummitate
  - muſcarioſ. ſem. nud. 1. *Knauvel muſcoſum alpinum*, aliis *Alchymilla muſcoſa.* forte *Theſium* Ln.
  - conferto: ſem.
    - nud. 1. fol.
      - gramineo anguſto & brevi. *Knauvel fol. viridi & albicante.*
      - Lini. *Linoſyris* Riv.
    - tect. capſ. 3part. *Pharnaceum* Ln.
  - ſpicato: ſem. nud. 1. 3ang. *Biſtorta* T. *radice* *intorta ſemel vel bis. magis & ſæpius intorta.*

Quinquifido a fructu
- non remoto
  - ad fol. alas ſociato vel conferto: fl. laciniis
    - cucullatis minutis: ſem. orbicul. tect. capſ. ſimpl. 5gona. *Paronichia* T. *erecta. ſupina.* *anguſtifolia. latifolia. Serpillifolia. Alſinef. cap. laxis. Polygonifolia capitul. echinat. Myrtifolia frut.*
    - planis: ſem.
      - nud. 1.
        - 3angulari. *Polygonum* T. *fol.* *Buxi rigido. Caryophylli fl. magno. lato majus & minus fl. maximo. oblongo.* *fruticoſum* *fl.* *ſparſis. brevi humifuſum* *non fruticoſ.* *ſpicatis Orient.*
        - globoſo verrucoſo: 2. vel 3nucleato *Beta* T. *fol* *planis* *ſilveſtris.* *flammeis* *maritima coſta* *criſpis* *ſativa* *aurea* *rad.* *viridi* *Rapæ* *minore* *alba. rubra. lutea.*
      - tectis
        - capſ. ſimpl.
          - 5gona 5valvi polyſp. *Ficoidea procumbens Portulacæ fol.* Cl. Dill.
          - oblonga ſtriata. *Herniaria* *herbacea* *viridis* *glabra. fruticoſa* *incana* *hirſuta.*
        - pericarpio 1pyr. ſem. cochleato. *Kali* T. *ſpinoſum* *non ſpinoſ.* *herbidum* *fruticoſ.* *fol.* *tenui longiore. craſſo brevi. capillac. villoſo. Tamariſci. Geniſtæ fronde.*
  - in ſummitate
    - conferto: ſem. tect. capſ. 3part. ter 1ſperma. *Dalechampia* Ln.
    - verticillato
      - 5natim: ſem. nud. 1. *Sedioides* Rup.
      - denſe: ſem. nud. 1. *Corrigiola* Cl. Dill. *Polygonum parvum fl. albo verticill.* J. B.
    - ſpicato, racemoſo, vel globuloſo. vid. tab. ſeq.
- remoto. vid. tab. ſeq.

6. & 8fido. vid. tab. ſeq.

Hb. non Graminifoliæ Flore imperfecto calici ſimili aliquot ſtamina cum apicibus continente

- 6fido & 8fido. vid. tab. ſeq.
- Quinquifido a fructu
  - Remoto, ad foliorum alas ſpicato vel racemoſo: caule globoſ.
  - non remoto, ſed ei inſidente ad foliorum alas & plerumque ſimul in ſummitate etiam congeſto in
    - ſpicam vel racemum: ſem.
      - nud. 1.
        - 3angulari: *Fagopyrum* T.
          - *erectum*
            - *ramoſum & multiflorum Perſicariæ fol.* Orient.
            - *vulgare & ſativum.*
          - *ſcandens*
            - *vulgare.*
            - *maximum americanum.*
        - Plano acuminate ovato: *Perſicaria* T.
          - *mitis*
            - *non macul.* *vulgaris.*
            - *maculata*
              - *maculis ferrum equinum referentibus.*
              - *fruteſcens Virginiana fl. albo*, vel *roſeo.*
          - *urens.*
          - *repens puſilla* Lobel.
          - *folio*
            - *Salicis in aquis fluitans & extra eas erecta.*
            - *breviore & latiore in aquis fluitans fl. ſpica ſpecioſa purpurea compactiore.* Rup.
            - *Nicotianæ altiſſima. Orient. fl. calice rubro.*
            - *ſubtus incano.*
            - *nigricante alpina fl. albo.*
            - *longo Valentina.*
            - *Lapathi major fl. purpureo.*
            - *Lepidii altera.* Boccon.
      - tect. capſ.
        - ſimpl. membranoſa, quæ antea calix in eadem planta
          - uniformi poliſperma
            - *Chenopodium* T.
              - *pes anſerinus* Tabernæmont. *1mus.* & *2dus.*
              - *folio*
                - *3angulari.*
                - *ſinuato candicante.*
                - *Betæ.*
                - *quercino odoratum.*
                - *longiore ſuaveolens* Mexic.
                - *Lini ſive ſcoparia.* Riv.
                - *Kali breviore cæſio altiſſimum annuum.*
                - *Coris fruticoſum.* Orient.
                - *Pſyllii incanum fruticoſum.*
                - *laciniato*
                  - *minus viridi.*
                  - *coma purpuraſcente.*
                - *capillaceo breviore humifuſum.*
                - *argenteo & ſerrato americanum.*
                - *& facie Blitti american.*
          - difformi, id eſt 2plicis generis: id eſt uno orbiculari cum flore cohærente & altero ſubrotundo intra 2. folia angulosa monoſperma a fl. in eadem planta remot.
            - *Atriplex* T.
              - †. foliolis ſemina a fl. remota obtegentibus, lilium gallicum referentibus
                - exacte. *Atriplex ſilveſtr. incan fl. roſeo compreſſ.*
                - obſcurius. *Atriplex fol.*
                  - *anguſto oblongo*
                  - *deltoideo vel haſta o*
              - ✳. *Atriplex* T.
                - *hortenſis ſive ſativa alba* & *rubra.*
                - *latifolia fruticans Halimus, erecta & humifuſa.*
                - *anguſtimo folio maritima.*
                - *procumbens & fruteſcens maritima hiſpanica.*
                - *argenteis foliis*
                  - *ampliſſimis fruteſcens* Orient.
                  - *Polygoni racemoſa fruteſcens Mauritanica.*
                - *minima erecta folio triangulari.* Cretica.
                - *frutex aculeatus pulchro flore.* Orient.
        - 3part. polyſp. fl. 10. ſtamina continente: *Cherleria* Lin.
        - 5plice: polyſp. fl. etiam 10. ſtamina continente. *Penthorum* Lin. (Rp.
    - in globulos: ſem.
      - tect. bacca conglom. Mori vel fragiformi polypyr. ſucculenta p.m. rubra & tingente. *Morocarpus*
      - erecto; fol.
        - ſcandente & volubili: ſem. tect.
          - conulo ovali ſquamoſo molli a fl. tota planta remoto. *Lupulus.*
          - bacca polypyr. a fl. in eadem planta remot. *Baſella* Boerhaven.
        - urente & pung. ſem. tect. capſ. membranoſa ſimpl. a fl. tota planta remot. *Urtica Canadenſ.* Forte?
        - non urente
          - digitato:
            - fœtido: fl. a fr. ſubrot. teſtaceo tecto membrana monoſp. tota planta remoto. *Cannabis* T.
              - *ſativa*
                - *vulgaris.*
                - *brachium craſſa.*
              - *erratica.* *procerior fructu minore.*
            - non fœtido largo & ſimul peltato; fructu 3cocco a fl. remoto in eadem planta. *Ricinus* T.
              - *vulgaris.*
              - *major caule vireſcente.*
              - *maximus caule geniculato.*
              - *minor american.*
              - *fol. profunde laciniat. Ceilan.*
          - non digitato, ſed mucronato longo & plerumque ſimul dentato: ſem. tect. capſ. aculeata, a fl. tota planta remota. *Spinachia ſemine aculeato* T. huc accedere videtur fl. 5fido.

Herbæ non Graminifoliæ Flore Imperf. calici floris ſimili, aliquot ſtamina cum apicibus continente,
& ſi una calix florum Rivini & Rupii computetur,

Hexafido tam in ſummitate, quam ad foliorum alas ſpicato plerumque, ſem.
- nudo 1. in plurimis ſpeciebus 3angulari, a flore non remoto: Hb.
  - ſucculenta & acida
    - †. *Acetoſa* T. *geniculis*
      - *nodoſis* C. B.
      - *non nodoſis*,
      - *folio*
        - *criſpo flore*
          - *albo.*
          - *rubro.*
        - *plano*
        - *lanceolato arvenſis*
          - *major.*
          - *minima* } mera varietas.
        - *non lanceolato minima*
        - *ſagittæ anguſto montana.*
        - *rotundo montana vel alpina.*
    - *. *Acetoſa* T. *ſem.*
      - *3angulari*
        - *aculeato Cret.*
      - *rotundiore*
        - *non aculeato*
      - *maxima*
      - *minor.*
      - *ſcutata repens*
      - *fol.*
        - *longiſſimo longipedo americana.*
        - *lanuginoſo* Oriental.
        - *rotundo bortenſis.*
        - *Ari lato montana.*
        - *ſubrotundo arboreſcens.*
        - *Limonis* / *undulato* } *flagellis non ramoſis.*
        - *Fagopyri pumila.*
        - *Calthæ peregrina.*
        - *Ariſari pallide pallente Nebroides.*
        - *Atriplicis lucida.*
        - *Ocimi Neapolitana.*
        - *lobato lobis multifidis minor erecta.*
        - *3fido Indica.*
        - *multifido.*
      - *
        - *aurito*
        - *non aurito*
        - *radice*
          - *longa.*
          - *fibroſa.*
          - *tuberoſa.*
  - exſucca non vel vix acida, ſed potius acerba
    - †. *Lapathum* T.
      - *minimum.*
      - *magnum ſilveſtre vulgare Hypolapathum* 1. Tabernæmont.
      - *aquaticum*
        - *maximum folio cubitali.*
        - *minus.* J. B.
      - *folio*
        - *acuto*
          - *plano.*
          - *criſpo.*
          - *flore aureo.*
        - *rotundo coſta & petiolo*
          - *virentibus.*
          - *rubentibus.*
          - *alpinum.*
    - *. *Lapathum* T.
      - *hortenſe folio*
        - *oblongo ſive ſecundum* Dioſc.
        - *lato ſubrotundo*
          - *vulgare Rhabarbarum Monachorum.*
          - *maximum* Orientale.
        - *acuto rubente.*
        - *anguſto magno fructu* Orientale.
      - *ſinuatum pulchrum Bononienſe.*
      - *fœtidum maritimum.*
      - *frutex humilis pulchro flore* Orientale.
- tectis capſ. 3part.
  - ſem. marginatis. Hb. ſcandens. *Dioſcorea* Ln.
  - vel 5part. ſem. non margin. capſ. toties 1ſperma, quoties locularis eſt. *Scheuchzeria* Ln.

octofido in ſummitate conferto; ſem. nud. 1. *Alchymilla* T.
- *major.*
- *minor.*
- mera variatio.

Huc acced. fl. imperfecto
- ſtamineo in longam tenuem ſpicam congeſto, necdum ſatis deſcripto: ſem. nud. 1. fol. Canacori *Saururus* Boerh.
  - *arboreſcens fr. adunco.*
  - *fruteſcens fol. Plantaginis.*
  - *hederaceus caule maculat. major & minor.*
- apetalo biſtamineo ſingularis ſtructuræ ad fol. latera circa caulem ſtellatorum non articulatorum ſparſo: ſem. nud. 1. a flore non remoto, Hb. ſtellata paluſtri. *Pinaſtella* Cl. Dill.
- mere ſtamineo; ſem. nuce fragili tecta bacca ovali 4gulari 1pyræna. *Bucephalon* Ln.
- tubuloſo abſque omnibus ſtaminibus & apicibus, piſtilloque a fr. in eadem planta remoto, qui eſt ſemen nudum 1. ſubrotundum calici 4fido plano, etiam omnibus floris partibus deſtituto inſidens, ad fol. gramineorum alas ſparſo; *Subularia* Cl. Dill. ſupra repetita. Hb. V.

Hb. Fl. Imperf.

granulato Illuſtr. Heuchero, cum ipſis ſemin. p. m. elaſticis conglomeratis ſupra foliorum dorſum: folio

ſtamineo, id eſt ex meris apicibus conſtante

- in ſummitate vel foliorum alis cong. in
  - florem
    - 4gularem margine criſpum: ſem. nud. 1. *Contrayerva fol. mucronato anguloſo* Ill. comm. lit. Norimb.
    - orbicularem diſcoideum: ſem. nud. 1. echinato, a fl. tota planta remoto. *Xanthium* T. vid. tab. fl. compoſ. ex meris Regular.
  - ſpicam longam tenuiſſimam: ſem. nud. 1. a fl. non remoto. *Saururus*. vid. finis tab. ultimæ prior.
  - capitulum ovale: ſem. nud. 1. a fl. non remoto. *Cantrayerva fol. Sphondylii* Ill. C. lit. Norimb.
- ad fol. alas ſtellatorum ſparſo: ſem. nud 1. a fl. non remoto. Hb. paluſtr. *Pinaſtella* Cl. Dill.
- circa caul. non ſtellatorum, ſed dichotomorum conferto, ex ſolis apicibus conſtante: ſem. nud. 1. depreſſo mucronato: Hb. ▽. *Dichotophyllum*. Cl. Dill.
- ſupra ipſa folia pinnata cum ſua capſula ſequente ſeminali ſimpl. ſparſo: *Salvinia* Mik. *Lenticula paluſtris*. C. B.

multiplice ſive compoſito ex pluribus pinnis in rhachi communi. vid. tab. ſeq.

ſimplice non compoſito, & ad rhachin communem integro, in margine

- non anguloſo, etiamque longiore quam lato, in quibusdam tamen ſpeciebus in mucrone ſuo laciniato plus minusve profunde. *Lingua cervina* T. & officin. *folio*
  - *plano & lævi vulgaris.*
  - *undulato*
    - *minima.*
    - *& auriculato per baſin.*
  - *aculeo exterius donato ex coſta media egrediente.*
  - *anguſto*
    - *reticulato.*
    - *lanugine foliorum lacinias obvolvente.*
  - *anguſtiſſimo & longiſſimo, undulato* vel *non undulato.*
  - *apice ſuo radices agente.*
  - *rigido glabro.*
  - *lato*
    - *ſerrato.* — *ſquamoſo.*
    - *non ſerrato petiolo* — *articulato.*
  - *ampliſſimo.*
  - *acuto ad oras pulverulento.*
  - *crenato rotundius.*
  - *villoſo*
    - *villis & ſquamis aureis.* — *major.*
    - *ſubrotundo amplo.* — *minor.*
  - *hirſuto.*
  - *breviore & craſſiore.*
  - *triſulco in ſummitate.* — *laciniato.*
  - *multifido in apice* — *integro.*
  - *querno.* — *ſquamoſis.*
  - *Ilicis ſcandens caulibus* — *non ſquamoſis.*
  - *Laurino ſcandens.*
  - *in orbem involuto.*
- anguloſo & reſpectu ſuæ longitudinis latiore, integro, mucronato, & plerumque 3dente aut 3lobato. *Hemionitis* T.
  - *minima Cretica*
  - *mediocris vulgaris*
    - *virens*
    - *aurea hirſuta*
      - *integra.*
      - *laciniata ad oras pulverulenta.*
  - *maxima linguæ cervinæ affinis.*
- multifido pinnatim fere ad rhachin communem usque, aut potius alterne & profunde ſinuato: ſegmentis
  - longis, anguſtis, lanceolatis in ſuo margine
    - non crenatis neque dentatis. *Polypodium* T.
      - *erectum*
      - *pendulum*
        - *inſenſibile fol.*
        - *ſenſibile ad tactum*
          - *uniformibus*
          - *difformibus vel variis*
            - *undoſis*
            - *planis*
            - *criſpis*
              - *virentibus.*
              - *variolis.*
              - *aureis* †
              - *argenteis ſquamis reſperſis*
              - *Aſplenii diviſuris*

      † *non pellicidis* / *pellicidis* — *tenuiorbus* / *rigidis* — *obtuſis* / *acutis* — *ſectis* — *groſſius* / *tenuius* — *caliciferum* / *non caliciferum* — *Struthionis* *

      * *pennas* — *referentibus* / *non referen.* — *majus & ſpithamale* / *minus* — *radice* — *dulci* / *non dulci* — *punctata ſubcærulea.* / *non punct. nigricante foris*
    - crenatis vel denticulatis vel laciniatis. *Polypodium* T.
      - *fol. ſerrato.*
      - *dentatum aſperum.*
      - *fuſcum ſerratum denticulis tenuiſſimis.*
      - *laciniatis ad margines pinnulis Cambrobritannicum.*
  - ſubrotundis etiamque quaſi pinn. *Aſplenium* T.
    - *vulgare ſive Ceterach* J. B. copioſum in ſaxis circa Celejam ex communicatione D. Popovitz.
    - *villoſum & altius.*
    - *criſpum & propendens alterum.*

Hb. non Graminiſ. Fl. imperf. granulato cum ipſis ſem. granulatis & p. m. elaſticis ſupra foliorum dorſum conferto
folio multiplice ſive compoſito ex pluribus foliis in una Rhachi communi, hacque diviſa

- bis vel ter. vid. tab. ſeq.
- ſemel, ſcilicet tantum in foliorum petiolos: foliis ipſisque herbis
  - majoribus, ut uno digito aut pollice obtegi non poſſint, & pinnis ſive ſegmentis ultimis
    - non angulosis, ſed
      - mucronatis & partim ſimplicibus, partim triphyllis.
        Lingua cervina ramoſa T. *folio*
        - *anguſto* Cretica.
        - *in orbem per ſummum involuto.*
        - *coſtæ innaſcente.*
        - *multifido & criſpo.*
        - *aſpero & unduloſo.*
        - *nodoſo major.* vel *minor.*
        - *ſinuoſo & acuminato.*
        - *querni diviſura.*
        - *nigris* { *tuberculis pulverulento.* / *punctis notato.* }
        - *enſiformibus ſerrato.*
        - *ad margines pulverulento.*
        - *marginato membrana tenui.*
        - *aureo.*
        - *Citrii.*
        - *triphyllo.*
        - *repens eterophyllo* { *non ſcandens.* / *ſcandens. major.* vel *minor.* }
      - orbicularibus ad rhachim uſque non diviſis, ſed tantum ſinuatis & ad rhachin ſibi continuis & ungue hum. minoribus. *Aſplenium* ſive *Ceterach ramoſum* T.
        - *Europæum.*
        - *afrum maximum caulibus ſplendentibus.*
    - angulosis 2. & 3. dentibus vel 2. & 3lobat. ſimul. q; 3. & 5phyllis.
      Hemionitis T.
      - *3folia* { *fimbriata villis tenuibus & ruffis.* / *non fimbriata.* }
      - *3phylla* { *pumila rotunde dentata.* / *maxima.* & *altera elegantior.* }
    - auriculatis tantum, pinnulis, ungue humano non majoribus.
      Lonchitis non ramoſa T. foliis ſive pinnulis
      - *ad fol. baſin falcatis anterius & poſterius reflexis.*
      - *aſperis.*
      - *glabris major.* & *minor.*
      - *radiatis Polytrichi facie.*
      - *aculeatis major* & *minor.*
      - *pulverulentis juxta nervum.*
      - *latis* { *in pinnulas obtuſas & leviter denticulatas diviſis.* / *petiolis nigris & lucidis.* }
      - *anguſtis & longis ad* { *baſin folioſis foliis.* / *oras pulverulentis.* }
      - *inciſis ſupernis major.* & *minor.*
      - *auriculis* { *acuminatis rotundis inciſis.* / *rotundis laciniatis inciſis.* / *ſubrotundis laciniatis.* }
      - *cordiformibus.*
      - *laciniatis eleganter pinnulis ſcandens* Braſil.
      - *auriculatis & ſerratis.*
      - *Betonicæ.*
      - *tenui membrana contextis.*
  - parvis, ut totum folium pinnatum uno digito obtegi poſſit, ſaltem quoad latitudinem, foliis pinnatis, pinnulis
    - ſimplicibus
      - adverſis 2. in rhachi comm. recta & ſubrotundis vel 3angularibus: ſem. ſparſim ſupra fol. dorſum. *Trichomanes* T.
        - *vulgare* { *majus* officinarum. / *minus & tenerius.* }
        - *foliis*
          - *partim 2fidis partim 3fidis.*
          - *inciſis eleganter.*
          - *3angularibus crenatis.*
          - *cordiformibus.*
          - *aculeatis leviter.* (*præcinctis.*
          - *nigricante limbo & crenis rotundis*
          - *argenteis ad oras nigrum.*
          - *denticulis bifidis inciſis.*
        - *pendulum Serici inſtar molle.*
      - alternis ſemiorbicular. in rhachi communi geniculata: & ſem. in ipſis fol. crenis, p.m. ſe reflect. & ſem. obtegentibus. *Adianthum* T. *fol.*
        - *Coriandri*
          - *majus* { *altius inciſo* / *minus inciſo* } *ampliſſimo.*
          - *minus vulgare.*
        - *multifido* { *humifuſum pellucidum.*
        - *6gono* { *ſcandens.*
        - *inciſo tenuiter* { *non ſcandens.*
        - *capillaceo.*
        - *3phyllo* { *repens.* / *non repens retuſo.* }
        - *trapezio dentato.*
        - *lunulis albicantibus ſignato.*
        - *ſpinoſo fruteſcens & repens.*
        - *Lichenis petræi & ejus facie.*
        - *variegato.*
        - *unico plerumque maritimum.*
    - 3phyllis in rhachi comm. etiam geniculata ſem. ſupra medium foliorum dorſum.
      Muraria Riv. / *Ruta muraria* T.
      - *vulgaris.*
      - *procerior germanica.*
      - *latifolia alpina*
      - *vario folio clematis*
      - *altiſſima*

Hb. non Graminifoliæ Fl. imperfecto granulato una cum feminibus granulatis ſupra foliorum dorſum, folio multiplice ſive compoſito Rhachi communi diviſa

- bis, ſemel ſcil. ex caule in ramos & ex his in foliorum mediam coſtam: Herbis minoribus, ut fol. illarum latitudo uno pollice tota obtegi poſſit. Rhachi communi
  - recta, pinnulis
    - geniculata pinnulis ſemiorbicularibus ſem. ſparſis circa foliorum marginem. *Adianthum ramoſum* T.
      - *perelegans folio flabelliformi cum rubedine.*
      - *foliis Trapetiis dentatis.*
    - ſubrotundis linea 1. vix major. ſem. ſparſis circa fol. marg. *Trichomanes ramoſum* T.
      - *majus.*
      - *minus*
      - *Aſplenium ramoſum* huc acced. ſed rami non ſunt pinnati, ſed tantum ſinuati, & ideo herba ad ſemel diviſas ſupra ſpect.
    - latior. & longioribus & ſimul auriculatis: ſem. ſparſis per medium dorſum. *Lonchitis ramoſa* T.
      - *altiſſima globulifera minor.*
      - *limbo pulverulento.*
      - *pinnulis*
        - *longiuſculis partim auriculatis.*
        - *obtuſis & leviter crenatis.*
      - *pediculis*
        - *ſpinoſ. tenuis.*
        - *nigris pulverulenta.*
      - *ſquamoſ. cauliculis.*
      - *radiata facie Polytrichi.*
  - mucronatis, lineis 2. minoribus omni & tota ſua quantitate: ſem. ſparſis ſupra fol. dorſum. *Filicula* T.
    - *folio*
      - *Filicis fontana major & minor.*
      - *& facie Adianthi nigri*
      - *capillaceo.*
      - *digitato.*
      - *vario.*
      - *in ſegmenta rotundiora diviſo.*
        - *pinnulis*
          - *obtuſis*
            - *bifidis plerumque, Sinenſis.*
            - *non bifidis american.*
          - *obtuſioribus*
            - *major Scotica.*
            - *minor vulgaris.*
          - *acutioribus.*
        - *Chinenſ. brevibus acutis.*
      - *Ceterach accedente.*
      - *in lacinias ſecto.*
        - *acutas maxima.*
        - *acuminatas nigra.*
      - *corniculato ſaxatilis.*
      - *Cicutariæ.*
      - *argenteo pulvere conſperſo.*
    - *minima omnium ſaxatilis.*
    - *Adianthum nigrum dicta.* officinis.
    - *Pyxidifera.*
    - *Polypodii radice. Luſitanica.*
- ter ſect. in caulem, deinde in ramulos, & ultimo in pinnularum petiolos, aut ſaltem harum mediam coſtam: ſem. ſparſis per totum foliorum
  - dorſum ſparſim
    - omnium & ſingulorum totius plantæ. *Filix non ramoſa* T.
      - *dentata*
        - *pinnulis*
          - *latioribus major & minor.*
          - *bifidis in cacumine.*
        - *vulgaris.*
        - *latifolia.*
        - *nidum avis exprimentem in orbem excreſcens.*
        - *latius*
          - *altera radice Polypodii.*
          - *minor.*
        - *& caudata pinnulis*
          - *fere acuminatis.*
          - *Lonchitidis dentatis.*
      - *tenuiſſimis & tenuiſſime dentatis petiolis.*
      - *mollis ſive glabra vulgari mari accedens.*
      - *tenuiſſime ſecta ex monte Balon.*
      - *minor non ramoſa.*
      - *baccifera.*
      - *Lonchitidis folio paluſtris Luſitan.*
      - *arboreſcens*
        - *pinnulis*
          - *dentatis.*
          - *in ſummitate ſerratis.*
        - *aculeata latifolia.*
        - *ſpinoſa humilis.*
        - *Adianthoides major & minor.*
      - *globulifera altiſſima major.*
      - *ſpinoſa & dentata.*
      - *aculeata*
        - *repens.*
        - *pinnulis mollibus nigris.*
      - *latifolia laciniata & ad lacinias molliter aculeata.*
      - *Taxiformis major & minor.*
      - *villoſa pinnulis*
        - *quercinis.*
        - *profunde dentatis.*
      - *hirſuta luteſcente pulviſculo ſordeſcens.*

      continuatio videtur in Tabula ſequente.
    - non omnium. v. tab. ſeq.
  - limbum. vid. tab. ſeq.

Hb.

Herbæ non Graminifoliæ flore imperfecto ſupra foliorum dorſum una cum ſem. granulatis & per maturitatem claſticis conglomerato: fol. compoſito ſive multiplice in rhachi communi diviſa

- ter, ſcil. in caulem, deinde in ramulos, & ultimo in pinnularum petiolos, aut ſaltem mediam coſtam. ſem. ſparſis
  - per foliorum dorſum
    - omnium & ſingulorum in planta; *Filix non ramoſa* T.
      - *pulverulenta pinnulis obtuſe dentatis.*
      - *ad alas folioſa.*
      - *Pinnulis*
        - *criſtatis.*
        - *Lonchitidis obtuſis non dentatis ad oras pulverulentis.*
        - *longiuſculis non dentatis.*
        - *undulatis petiolis ſquamoſis.*
        - *rotundis non dentatis.*
        - *obtuſis, ſive in obtuſas pinnulas diſſecta.*
        - *oblongis in ſummitate ſerratis.*
      - *ſcandens pinnulis eleganter ſerratis.*
    - non omnium, ſed tantum ſparſim in caule ſummorum racematim ſeſe conglobantium *Lunaria* Riv. *Oſmunda* T.
      - *verticillata.*
      - *Aſphodeli radice.*
      - *vulgaris paluſtris.*
      - *foliis*
        - *lunatis.*
          - *ramoſa.*
          - *non ramoſa.*
        - *multifidis.*
        - *Matricariæ.*
        - *Adianthi.*
        - *Lonchitidis hirſuta.*
        - *Filiculæ*
          - *major.*
          - *minor.*
        - *linguæ cervinæ.*
        - *latis crenis inciſis.*
        - *laciniatis profunde, molliter hirſutis.*
        - *lanceolatis & leviter ſerratis.*
  - circa limbum foliorum tantum. *Thelipteris paluſtris non ramoſa* Rup. *Filix ad marem accedens vulgarem non ramoſam non dentata* Chabræi.
- quater ſc. primo in caulem, 2do in ramos, 3tio in ramorum ramulos, & ultimo in pinnularum petiolum aut ſaltem mediam coſtam. ſem. ſparſis
  - per totum fol. dorſum. *Filix ramoſa* T.
    - *pinnulis*
      - *obtuſis undulatis.*
      - *acutiſſimis non dentatis* } *major.*
      - *roſtratis longiuſculis partim auriculat.*
    - *Polypodii facie* Pyræn.
    - *ſpinoſis & nigris cauliculis latifolia.*
    - *Cicutæ foliis.*
    - *villoſa major crenis rotundis dentata.*
    - *arboreſcentes* ſupra inter non ramoſ. recenſitæ filices forte huc accedunt.
  - circa pinnularum limbum tantum dorſalem. *Thelipteris* Dioſ. *Filix fœm.* offic.

Semina globoſa *Polypodii vulgaris* egregie probant hunc florem granulatum, quia quodlibet eorum 2. cornuta fila ſive pilos habet in apice, quæ nemo tubos dicet.

Gramina ſive Graminifoliæ herbæ ſunt, quæ florem habent mere ſtamineum, ſeminaque ſpecialis figuræ, & ſi ſpontaneæ ſunt plerumque exiguæ magnitudinis eaque vel nuda plane ut in Hordeo, Lachryma Job, vel tecta glumis, ut Triticum, vel vagina membranoſa, ut Mays, vel calice quodam, ut Milium, vel plane loculis 3plicibus membranoſis & monoſpermis, ut in ſola Zea monococco: folia præterea habent longa anguſta & tenuia, eaque vel carinata, vel 3quetra, vel teretia, & ſemper abſque ullis nervis ſive ſic dictis coſtis, & ſunt ſemine vel

- majore & ſativa, caule terete geniculato & ſic dicto culmoſo: flores habent in ſummit. congeſt. vel in
  - Muſcarium ſive faſciculum compactum ex ſpicis
    - multis laxis
      - fertilibus ut *Milium.*
      - ſterilibus ut *Mays.*
    - nullis, ſed mere locuſtis ut *Avena.*
  - ſpicam
    - imbricatam ſive ex ſquamis ſive ex ſeminibus
      - turbinatam ut *Phalaris.*
      - non turbinat.
        - ſterilem ut *Lachryma* Job.
        - fertilem ut *Triticum.*
    - non imbricatam
      - acuminatam & laxiorem
        - glabram, ut *Panicum ſpica glabra.*
        - hirſutam & aſperam. *Panicum Italicum.*
      - obtuſam clavat. denſiorem & hirſut. ut *Panicum Indicum.*
- minore ſilveſtria & ſpontanea, id eſt: ſponte naſcentia, quæ ſunt caule vel
  - culmoſo, id eſt: terete cavo geniculato vel articulato, flores ſuos habent vel
    - ad latera ſpicatos, ut unica gram. dactili ſpecies.
      - ſociatos, ut *Gramen ſpicatum durioribus & craſſioribus locuſtis ſpica brevi.* C. B.
      - confertos intra calicem infundibuliformem curvum, ut ſolum *Gramen orient. vernum.*
    - in ſummitate vel congeſtos in
      - paniculam
        - heteromallam, locuſtis
          - pappoſis
            - muticis
              - ſimplicibus, ut *Arundo tyberina vulgaris.*
              - compoſitis ex folliculis
                - 2. vel 3. ut *Arundo ſativa.*
                - 3. vel 4. ut *Gramen avenaceum ſpica ſimpl.* &c.
                - 5. vel 6. ut *Arundo media vulgaris.*
            - ariſtat.
              - omnibus
                - ſimplicibus, ut *Gramen avenaceũ mont. panicula anguſt.* &c.
                - compoſitis &c.
              - non omnibus, ſed partim muticis, ut *Gramen paluſtre paniculat. minus.*
          - non pappoſis
            - muticis, & neque cirroſis, neque ariſtatis
              - ſimplicibus, ut *Gramen canin. ſupin. minus.*
              - compoſitis, ut *Gramen. alp. panic. minus panic. ſpad. viri id.*
            - cirroſis, aliis bulbiferis, ut *Gramen ſparteum alp panic. laxa foliac.* &c.
            - ariſtatis
              - omnibus
                - ſimplicibus, ut *Gramen paluſtre paniculat. minus.*
                - compoſitis, ut *Gramen panic. locuſtis purpuro arg.*
              - non omnibus, ſed partim muticis & compoſitis ex folliculis
                - 2. tantũ, ut *Gramen nodoſ. aven. panic.*
                - 2. vel 3. ut *Gramen avenac. utricul. lanug. flaveſc.*
                - 3. 4. vel 5. ut *Gramen avenac. panic. ſparſa locuſt. minoribus non ariſtat.*
        - homomallam, id eſt: verſus unum latus ſpectantem, locuſtis
          - muticis
            - ſimplicibus &c.
            - compoſitis &c.
          - cirroſis & compoſitis &c.
          - ariſtatis
            - omnibus
              - ſimplicibus &c.
              - compoſitis &c.
            - non omnibus ſcilicet in ead. panic. cujus generis nulla ſpecies datur.
      - Jubam, ut *Feſtuca longiſſimis ariſtis.*
      - ſpicam
        - ſimplicem & unicam
          - uniformem
            - frumentaceam
              - muticam, ut *gramen caninum arvenſe.*
              - ariſtatam: locuſtis calice donatis
                - nullo, ut *gramen hordeac. minus & vulg.*
                - aliquo 2glumi
                  - mutico, ut *gramen glumis variis.*
                  - ariſtato &c.
            - loliaceam: locuſtis
              - ſimplicibus
                - muticis, ut *gramen minimum paniculis elegantiſſ.*
                - ariſtatis, ut *gramen exile arundin. minimum.*
              - compoſitis
                - muticis &c.
                - ariſtatis ariſtis
                  - rectis &c.
                  - articulatis &c.
            - articulatam &c.
            - aſperam & hirſutam &c.
            - lanuginoſam &c.
            - cilindraceam &c.
          - difformem, id eſt: compoſitam ex locuſtis partim ariſtatis, partim muticis, iiſque diverſi coloris. *Ægylops Madraſpat.*
        - multiplicem, id eſt: plures quam unam
          - dactyloidem &c.
          - Loliaceam &c.
      - capitulum.
  - non culmoſo, id eſt: neque cavo, neque geniculato ſive articulato, ſed intus ſubſtantia plus minusve ſpongioſa farcto, eoque
    - folioſo (id eſt cæteris foliis fere ſimili) & in baſi ſua nonnihil triquetro, ut in *Acoro.*
    - terete, ut in ſcirpis, qui in ſequentibus tabulis ob chartæ anguſtiam junceus dicetur.
    - triquetro: fl. & fr. in ſummit.
      - ex ipſo caulis apice foliis in baſi
        - obvallato, ut *Cyperus.*
        - nudo, ut *Cyperoides.* vid. ſeq. NB.
      - non ex ipſo caulis apice, ſed paulo inferius ad latera ut in *Scirpo-Cypero.*

NB. Cyperoidea gramina magnum habent numerum, ideo in ſpecialem tabulam ea digeſſi ſub nomine *Cyperoidea.*

Hb. Fl. imperf. Graminif. ſem. majore & ſativæ in ſummit. congeſto in

- muſcarium ſive faſciculum laxum compactum ex ſpicis multis laxis
  - fertilibus
    - puſillis & plerumque homomallis, etiam muticis: ſem. exiguis
      - lenticularibus ſplendent. teƈtis membrana, quæ antea calix fuit bifolius. *Milium ſem.* *albo. luteo. nigro.*
      - ſubrotundis, ut in Milio: planta fere arundinacea. *Panicum* *Germanicum. Italicum.* huc accedunt infra ſpicatis annum.
      - ovatis ſplendent. teƈt. ut in Milio modo diƈto: herba tota arundini ſimili. *Sorgum ſem. var. col. Sorgum* vero *Arabicum* ſemen lenticulare habet, & hinc forte melius Milium.
    - majoribus & plerumq; bimallis & non homomallis, ariſtatis ariſtis longis aſperis hordaceis: ſem. nud. oblong. compreſſ. ſtriatis & in dorſo ſulcatis in ariſtam diƈtam deſinentibus. *Oriza.*
  - Sterilibus a ſem. in eadem planta remotis: ſem. ſubrot. piſiform. inferius ad latera caulis in conum palmarem membranoſa vagina teƈtum congeſtis, ex cujus vaginæ apice p. m. multa coma & quaſi capillaris penicillus pendulus emergit. *Mays ſem.* *luteo. albo. fuſco.*
  - nullis, ſed ex meris locuſtis compoſitis ſive panic. tantum, ſemper ariſtatis excepta unica ſpecie: ſemine albo mutico & valde fugace p. m. ſem. teretibus utrinque acuminatis ſulcatis & in eadem locuſta gemellis, quorum quodlibet ariſta paulo infra apicem exeunte ex ſulco donatur, quarum major articulata ſive geniculata & tortilis eſt, altera minor plerumque reƈta. *Avena ſem.* *albo* (*mutico*, *ariſtato*), *fuſco*, *bicolore.*
- ſpicam ſimplicem (naturaliter, non vero luxu)
  - imbricatam ſive ex glumis ſive ex ſeminibus
    - turbinatam muticam ovo columbino paulo minorem: ſem. utrinque compreſſ. & mucronatis ventricoſ. ſplendent. non ſulcatis. *Phalaris ſpica* *maiore* (*ſimplice.*), *minore* (*gemella.*)
    - non turbinatam, ſed longiorem &
      - ſterilem muticam valde brevem plerumque gemellam ex eodem punƈto exeuntem: ſem. nud. unico globuloſo ſplendente lapideo & in medio a ſpicæ petiolo perforato: remotoque ad ſpicæ floriferæ petioli baſin. *Lacbryma Job.*
      - fertilem: ſeminibus
        - nud. oblong. utrinque acuminatis, in gibbo ſulcatis & in ariſtam longam aſperrimamque deſinentibus, ſpicaque
          - diſticha, id eſt: 2. verſuum. *Hordeum vernale.*
          - poliſticha, id eſt: 6 vel 8. verſ. *Hordeum vernale polyſtichon.*
        - teƈtis glumis
          - 2.
            - muticis. Phalaris ſupra inter ſpicam turbinatam recenſita.
            - ariſtatis ſ il. in alterutrius & hinc unius tantum apice: ſem. utrinque acuminatis & in gibbo ſulcatis, non ſplendent. Ariſtis ſpicæ hordeaceis ſive etiam digito
              - brevioribus. *Secale* *æſtivum.* *hyemale*, quod ſpica prolifera var.
              - longioribus. *Secale latifolium peregrinum*, ſc. Polonicum C.B. *Hordeum alterũ* Tabern.
          - 3. & a ſeminibus tritura digitorum ſeparabilibus
            - facile & tribulo etiam: locuſtis in eodem ſcapi denticulo 2llis interdum 3. ſem. ut in Secali, ſed brevioribus & ſplendentibus: Locuſtarum glum.
              - muticis omnibus. *Triticum hybernum* *ariſtis carens* C.B. *ſpica & granis* *albis. rubentibus.* Spica prolif. interdum var. imo etiam multiplice in eodem ſcapo.
              - ariſtata una: ariſtis per maturitatem
                - deciduis glumiſque
                  - cinereis & hirſutis. *Triticum ariſtatum ſpica maxima cinerea, glumis hirſutis* Raji *Typhinum* C. B. *ſpica* *ſimplice. multiplice.*
                  - lævibus & ſplendentibus. *Triticum æſtivum noſtras.*
                - non deciduis: glum. unc. 1. vel unc. 1. ſ
                  - brevioribus multo: ſpicaque
                    - brevi fere clavata. *Triticum ſpica hordei* Raj.
                    - longiore
                      - rubente. *Triticum ariſtis donatum rubentibus granis & ſpicæ glumis lævibus & ſplendent.* Raji.
                      - cærulea. *Triticum longioribus ariſtis ſpica cærulea.* C. B.
                  - longis & plerumque 2. ariſtis in eadem glum. donatis. *Triticũ majus gluma foliacea ſeu Polonicum.* Bobert.
            - non, ſed tantum mola: cæteris omnibus ut in *Tritico*: Spica
              - ariſtatata. *Spelta dicoccos hyemalis.*
              - mutica. *Spelta dicoccos vernalis.*
            - difficillime, & tribulo minime ſed etiam tantum mola: ſunt enim glumæ ſemen ſecalino ſimile obtegentes ita connatæ, ut verius capſula ex 3. lamellis conſtans monoſperma videantur quam glumæ. *Zea monococcos ſpica elegantiſſima*: quæ vera antiquorum præcipue a Plinio tantopere pro pane vituperata eſſe videtur: quoniam mola glumarum farina a farina nuclei vix ſeparabilis eſt, ſemen etiam ſecalis ſemine multo minus eſt, & fere nigrius.
  - non imbricatam, ſed ex multis glomerulis conglom. ſem. ſubrot. teƈt. membrana, quæ antea calix fuit bifolius: ſpica
    - acuminata &
      - laxiore
        - glabra non hirſuta. *Panicum germanicum ſpica faſtigiis* *flaveſcentibus. purpureis. nigris.*
        - hirſuta & aſpera. *Panicum Italicum panicula majore* C. B.
      - denſa. *Panicum Indicum ſpica longiſſima.* C. B.
    - obtuſa clavata denſa & hirſuta. *Panicum Indicum ſpica obtuſa cærulea.*

Hb. Fl. imperf. Graminif. ſem. minore ſilveſtres & ſpontaneæ Culmoſæ in ſummitate

Sociato & ariſtato valde, locuſtarum glumis in 2. vel 3. ariſtas longas terminantibus. *Gramen ſpicatum durioribus & craſſioribus locuſtis ſpica brevi.*
conferto intra ſolia ſpinoſa. *Gramen album capitulis aculeatis Italicum* huc accedit.
calicem tubuloſum curvum. *Gramen orientale vernum in udis proveniens capitulo reflexo.*

[Vertical labels: Paniculato id eſt in paniculam congeſto : locuſtis — pappoſis; panicula non homomalla, ſed quaquaverſum expanſa, & hinc heteromalla: in plurimis; locuſtis — muticis — ſimplicibus; pappoque — intra calicem biglumem]

longo: panicula laxa & valde ſparſa. *Arundo tyberina vulgaris.*
denſiore & veluti ſpicata: ſpica cilindracea. *Gramen arundinaceũ panic. molli ſpadic. minus.*
non cilindracea: culmo alto cubitum 1. vel 1½. *Gramen arundinaceum montanum panicula ſpadiceo viridi ſeminibus pappoſis.*
2. imo 3. *Gramen arundinaceum panicula molli majus.*

huc accedunt *Arundo* *vulgaris paluſtris* J.B. folliculo ſimpl. forte varians ſecundũ quosd.
Indica variegata ſive Laconica Boerhaven.
Saccharifera copioſe alita Viennæ in Horto Illuſt. Pr. Schwarzenb. ſed nondum florida, & ideo quoad fr. nondum ſatis nota: facilis autem cognitu ab aliis fol. ſtrigoſioribus gramineis in uno verſu diſpoſitis, & ſucco contento dulci. Datur etiam alia Viennæ in hortis habitu ſuo noſtrati plane ſimilis *fol. viridi*, & *lineis varieg.* ſolo ſucco dulci a noſtra Arundine differens.

brevi & vix manifeſto ad baſin folliculi ſito: folliculis 2glumibus omnibus. *Gramen aquaticum paniculatum Phalaridis ſemine folio variegato.* vel *non variegato.*
partim 2glumibus, partim 3glumibus. *Gramen ſpicatum ſecalinum maritimum maximum ſpica longiore.*

extra & ſupra calicem: paniculæ pediculis articulatis. *Arundo Madraſpatana panicula ſericea albiſſima.*
non articulatis. *Gramen arundinaceum plumoſum album.*

[Vertical label: compoſitis ex folliculis]

2. vel 3. alternatim ſitis & externe pappo circumdatis: foliorum marginibus ſerratis ſubtiliter. *Arundo ſativa.*
non ſerrat. *Arundo* *farcta Rheni Bononienſis.*
non farcta vulgaris noſtras Wernsdorff. panicula miliacea homomal pappo intra cal biglum. latente. vid ariſt.
3. vel 4. pappo intra calicem 2glum. *Gramen avenaceũ ſpica ſimpl. locuſtis denſiſſ. candicantibus & lanuginoſis.*
5. vel 6. intra unum calicem 2glumem: herbæ ſummitate fuſiformi. *Arundo media vulgaris.*
ſparſa. *Arundo vulgar foliis varieg. ex luteo* vel *non varieg.*

[Vertical labels: ariſtatis in eadem panicula — omnibus & ſingulis]

ſimplicibus: ariſta articulata & recurva prodeunte ex alterutrius folliculi 2glumis glumæ dorſo ad baſin. *Gramen avenaceum montanum panicula anguſta e dilutiſſime fuſco albicante & pappoſa, locuſtis partim muticis, partim ariſtatis.*
non articulata, ſed recta ex folliculi 2glumis glumæ apice. *Gramen arundinaceum panicula denſa viridi argentea ſplendente ariſtata.*
compoſitis ex 2. vel 3. folliculis. *Arundo non farcta vulgaris noſtras Wernsdorffenſis*, cujus locuſtæ intra calicem 2glumem & pappum geminum ſemen, fere avenaceum per microſcopum, continent, quorum ſingulum in ariſtam valde mollem vix recurvam, neque calicem, neque pappum eminentem deſinit, ita ut melius non ariſtatis ſupra annumeretur. conf. non ariſt. locuſt.
non omnibus, ſed partim muticis: iisdemque ſimplicibus compoſ. omnibus: ariſta articulata & recurva. *Gramen avenaceum montanum panicula anguſta e dilutiſſime fuſco albicante & pappoſa.*
non omnibus, ſed partim compoſitis: ariſta articulata recurva & tortili. *Gramen paluſtre paniculatum minus.*
partim ariſtat. partim mut. vid. ariſtat.

[Vertical labels: non pappoſis; panicula — heteromalla; locuſtis — muticis & neq; cirroſ. neq; ariſt. — ſimplicibus: calicis 2.glumis — exiguis breviſſimisque denſiſſime una cum ſuis locuſtis in meras quaſi ſpicas congeſtis : panicula — non viſcoſa ad tactum: culmo — non flagellante, ſed flagell. ex ſe dimiſſis rad.]

viſcoſa ad tactum. *Amourettes Madraſpatana criſtata major, ſpica longiore viſcoſa.*
hinc & inde tantum. *Gramen caninum ſupinum minus.*
frequentiſſimis & numeroſis. *Gramen radice repente panicula denſa ſpicata ſpadiceo viridi locuſtis exiguis muticis.*
reclinato tantum: foliorum marginibus glabris. *Gramen radice repente panicula delicata ſpadiceo viridi, radice geniculata.*
aſperis. *Gramen montanum panicula ſpadicea delicatiore radice fibroſa*
erecto & geniculato ſemel tantum ad radicem. *Gramen minimum paluſtre panicula ſpadicea delicata tenuifolium, ſem. exiguo rotundo, radice fibroſa.*
3. vel 4. *Gramen alpin. panicula fere arundinacea ſpadiceo viridi locuſtis muticis rad. geniculata.*

huc accedit *Milium Madraſpatanum vulgare panicula non ariſtata lave*, & *Milium Salawacenſe*, quæ autem ambo ſativa & exotica ſunt, & a ſuperioribus differunt, quod eorum folliculi in eorum medio ſint gluma quadam transverſa quaſi 2part. inter ſe vero diff. quod fol. Madraſpatani in parte ſuperiore ſint brevibus denſisque pilis hirſuta, Salawacenſis vero folia plane glabra ſint.

[Vertical labels: compoſ. vid. tab. ſeq. — ariſt. cirroſ. v.t.ſeq. — homomalla, v.t.ſeq. — ſpicato id eſt in ſpicam congeſto. vid. tab. ſeq.]

majoribus & ampliuſculis: ſem. miliaceo ſplendent. calicisq; 2.glumis cinctis margine albicante: rad. tenui genic. *Gramen panic. latif. panicula miliacea ſparſa.*
non albicante, & hinc nullo margine circumdatis, rad. valida craſſiuſcula repente & grumoſa. *Gramen ſilvaticum panicula miliacea ſparſa.*

Hb. Flore imperfecto Graminifoliæ ſem. minore ſilveſtres ſive ſpontaneæ in ſummitate Paniculato locuſtis non pappoſis; Panicula

homomalla. vid. tab. ſeq.

Heteromalla, id eſt, quaquaverſum expanſa: locuſtis

criſtatis item cirroſis. vid. tab. ſeq.

Muticis & neque cirroſis, neque criſtatis compoſitis, calicem biglumem folliculis eminentibus

valde & calice biglumi longioribus: culmo geniculato

ſemel id eſt unico geniculo. vid. tab. ſeq.

ſæpius quam ſemel

terete: folliculis in eadem locuſta

pluribus nempe 4.5.6.8. uſque ad 20. locuſtis

puſillis parvis non ſpicæformibus, ſed tantum clavatis & in panicula

laxa ſparſaque: calicis 2. glumis

æqualibus

fere: radice

partim fibroſa, partim viticulari & geniculata. *Gramen pratenſe paniculatum majus, foliis prater culmum anguſtioribus, in culmo latioribus.*

fibroſa tantum. *Gramen alpinum paniculatum majus panicula ſpecioſa variegata.*

plane. *Gramen Xeramplinum miliacea prætenui ramoſaque ſparſa panicula.*

inæqualibus: paniculaque ante, non vero poſt maturitatem homomalla: calicis gluma majore in dorſo

uninervia. *Gramen alpinum latifolium panicula heteromalla ſpadicea locuſtis pennat.*

**Vaill. Act.* Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences année 1718. avec les memoires &c à Paris de l' imprimerie Royale 1719. *4. p. 143—191. cum tabb. aen. 2.* anni 1719. ibid. 1721. *pag. 9—47. tabb. aen. 4. & p. 277—318. tab. aen. 1.* anni 1720. ibid. 1722. *pag. 277—338. tab. aen. 1.* anni 1721. ibid. 1723. *pag. 174—224. tabb. aen. 2.* anni 1722. ibid. 1724. *pag. 172—215. tabb. aen. 2. quibus in locis vel noua plantarum genera definiuit, vel ſpecierum nomina mutauit Auctor.*

**Volck.* Flora Norimbergenſis &c. opera et labore IO. GE. VOLCKAMERI *(filii)* Norimbergae ſumtibus Michaellianis 1700. *4. p. 407. tabb. aen. 25. figurae totidem. Editio* anni 1718. ibid. apud Petr. Conr. Monath *non, niſi tituli plagula, differt.*

Wachend. Horti Vltraiectini Index. Auctore EVER. IAC. VAN WACHENDORFF. Traiecti ad Rhen. ap. Nic. van Vucht 1747. *8. mai. pagg. 394. Proleg. pagg. XXX.*

**Weinm.* Phytanthozaiconographia ſiue conſpectus plantarum &c. a IO. GVIL. WEINMANNO collectarum, quae, aeri inciſae per BARTH. SEVTERVM, IO. EL. RIDINGERVM et IO. IAC. HAIDIVM, explicantur a D. GE. NIC. DIETERICO Vol. I. Auguſt. Vind. apud nominatos artifices, impr. Ratisb. per Hier. Lenzium 1737. *fol. pagg. 200.* Vol. II. ibid. 1739. *pagg. 516.* Vol. III explic. a D. AMBROS. CAR. BIELERO. Ibid. 1742. *pagg. 488.* Vol. IV. ibid. 1745. *pagg. 540. tabb. aen. 1025. figurae pictae vltra 4000.*

**Zannich.* Iſtoria delle Piante che naſcono ne' Lidi intorno a Venezia. Opera poſtuma di GIAN. GIROLAMO ZANNICHELLI, accreſciuta da GIAN JACOPO figliuolo dello ſteſſo &c. Publicata a ſpeſe ſue in Venezia 1735. appreſſo Antonio Bartoli. *Fol. mai. pagg. 290. tab. aen. 311. (4tuor in ſingulis foliis) figg. 349. Hoc opere augere et emendare ſtuduit Auctor ea, quae ante illum DONATVS aggreſſus eſt in tractatu, cui titulus:* Trattato de ſemplici, pietre et peſci marini, che naſcono nel lito di Venetia &c. di ANTONIO DONATI, Farmacopeo. In Venetia 1631. Appreſſo Pietro Maria Bettano. *4. pagg. 120. tabb. aen. 50. figg. 52. cum aliis duabus, vnius lapidis, alterius piſcis cuiusdam.*

II.
CATALOGVS OPERVM BOTANICORVM
a germanis ab artis typographicae inuentione ad annum MDL vsque compoſitorum typisque excuſorum et a me collectorum.

I. Vetuſtiſſimus horum librorum, quem mea quidem collectio aſſeruat, germanica lingua impreſſus eſt *Auguſtae Vindelicorum per Hans Baemler a. 1475.* in folio et inſcribitur *das Püch der Natur*, i. e. liber naturae, qui titulus vero non conſtituit peculiare frontiſpicium, ſed initium ipſius operis. Caret paginarum numero et ſic dicto cuſtode, conſtat foliis 292. ſeu pagg. 583. Recuſus eſt totidem foliis per eundem a. 1478. et vtraque editio capitibus ſeu ſectionibus XII. agit 1) de homine, 2) de coelis, planetis, elementis &c. 3) de quadrupedibus, 4) de auibus, 5) de monſtris marinis, 6) de piſcibus, 7) de ſerpentibus &c. 8) de inſectis &c 9) de arboribus, 10) de plantis, 11) de gemmis et metallis, 12) de fontibus miraculoſis cum appendice de monſtris humanis. Cuilibet ſectioni praefixum eſt peculiare frontiſpicium compoſitum ex figuris ligno inciſis, aliquot ſpecimina rerum, quarum expoſitio traditur, ſed viliſſime ſiſtentibus et pigmentis rudi penicillo obductis. Paginis 366—503. recenſentur arborum circiter 80. et plantarum 90, quarum deſcriptiones, quae ſingulae nomen latinum et germanicum vt et qualitates viresque medicas breuiſſime exponunt, peculiaribus figuris carent.

II. Secundus horum librorum eſt ORTOLFF von BAYRLANDT *Artztpuch*, i. e. liber medicinalis, quem excudit *Ant. Koburger Norimbergae 1477.* in fol. pariter ſine frontiſpicio peculiari, paginarum numeris, cuſtode, litteriſque initialibus, et conſtat foliis 84. ſeu paginis 167. Recuſus eſt *Auguſtae Vindelicor.* ab *Anton. Sorg a. 1488.* 4. cum praefixo titulo: *Ein Artzneybuch von allen gepræſten der menſchen, wye man den helffen ſol zu irer geſuntheyt und ſtercke*, ſine cuſtode, cum litteris tamen initialibus et paginis 186. iam adpreſſis, cuius exemplari abs me aſſeruato manus cuiusdam veterani adſcripſit: *durch D. ORTHOLPHVM HEYDENBERGER der Artzney uſſ Bayerlandt*, vnde proprium huius auctoris nomen cognitum redditur. In hoc libro non ſolum ſub finem capita 26. agunt de quibusdam vegetabilibus, verum etiam vltima 79. capita ſigillatim recenſent plantas quasdam medicinales; ſed vti figuris carent, ita etiam deſcriptio, quae de viribus potiſſimum agit, ex veteribus, PLATEARIO, GALENO &c. tantum compilata eſt, cuius farinae aliquot alios adhuc tractatus iam ſeculo XV. et plures ſeculo XVI. excuſos producere poſſem, ſi ſcopus praefixus hoc permitteret, vel etiam recenſio eorum lectoribus vtilis aut ſaltem iucunda foret. Vnum tamen ſilentio praeterire nequeo, ſcilicet *S. HILDEGARDIS Phyſicam*, quia omnium a germanis editorum operum phyſicorum et antiquiſſimum et rariſſimum habetur, licet ſeculo XVI. demum typis excuſum fuerit. Separatim nunquam, quantum ſcio, prodiit, ſed aliorum auctorum operibus iunctum, cuius collectionis prima editio (quam nondum poſſideo) Argentorati apud *Io. Schottum* 1533. fol. impreſſa, fuſius recenſetur eiusque titulus integer ſiſtitur in libro, cui titulus: *Kurtze Nachricht von den Büchern und deren Urhebern in der Stolliſchen Bibliothec no DIII. ſeu part. XIV. Ienae 1741. 4. p 469.* et in *CHR. GVIL. KESTNERI Bibliotheca medica Ienae 1746 8. mai. p. 342.* Meum exemplar, *ibid. 1544.* editum, illum prolixum prae ſe fert titulum, qui verbotenus legitur in *Lindenio renouato GE. ABRAH. MERCKLINI Norimb. imp. Io. Georg. Endteri 1686. 4.* p 332, quare eundem tranſcribere ſuperſedeo, et pro inſtituti ratione ſolius tractatus, de quo ſermo eſt, titulum indico, qui eſt: *Lib. quatuor HILDEGARDIS de Elementorum, Fluminum aliquot Germaniae, Metallorum, Leguminum, Fruticum, Herbarum, Arborum, Arbuſtorum, Piſcium, Volatilium, et Animantium terrae naturis et operationibus*, cui tractatui haec praefiguntur: *in Phyſicam Sanctae HILDEGARDIS de Pinguia, eiusdem praefatio.* Ceterum autem moneo, 1) Nomen GE. KRAVT, Hagenoenſis, quod huic collectioni a

MERCK-

MERCKLINO praefigitur, titulum ipſum non continere, et typographum breui praefatione tantum indicare, ſe eius opera in TROTVLAE tractatus, qui primo loco poſitus eſt, editione vſum fuiſſe: an haec *SEGVIERIO biblioth.bot.p. 85. et 99.* anſam aſſertionis dederint, exſtare EIVSDEM *librum ſupra quatuor Hildegardis de elementorum &c. leguminum, fruticum, herbarum, arborum, arbuſtorum naturis et operationibus Argentinae ap. Io. Schottum 1544 in fol.* iudicent alii; in meo certe exemplari eiusmodi commentarii nullum exſtat veſtigium,
2 neque talem ſigillatim excuſum indicant alii; 2) TROTVLAE tractatum pagg. 35. excipere illum HILDEGARDIS pagg. 121. et hunc a pagg. 122. ad 247. ORIBASII, THEODORI et HIPPOCRATIS tractatum; Deinde ſequi ESCVLAPII tractatum pagg. LXXIX. diſtinctum; Denique annecti OCTAVII HORATIANI tractatum et ALBVCASIS chirurgiam (cuius in titulo generali nulla fit mentio et quae propterea procul dubio etiam a MERCKLINO omittitur) pagg. 319, cui ad calcem additur editionis annus 1532. Ex hoc et paginarum numeris diſtinctis, cum illis vero primae editionis a KESTNERO indicatis conuenientibus, ſuſpicio mihi oritur, numne hoc HILDEGARDIS exemplar ſit illud ipſum a. 1533. iam impreſſum et titulo tantum no-
3 uo (vel potius primo remoto in noua collectione) oblatum. 3) quae in HILDEGARDIS opere de vegetabilibus agunt, libro II. capp. CLXXXI, et libro III. capp. LV. a pag. 11. ad 86. pertractantur, quorum et reliquorum
4 expoſitio anilis a KESTNERO l. c. ſatis iam declarata eſt. 4) His addo, HILDEGARDIM, coenobii S. Ruperti prope Bingium in tractu moguntino Abbatiſſam et multis aliis operibus claram, ſeculo XII. vixiſſe: cur autem GVL. DV VAL, teſte SEGVIERIO p. 85, hos libros inter ſuppoſititios repoſuerit, ego quidem perſpicere nequeo, ſiquidem nil continent, quod ſequioris ſexus ingenium ſuperat. Ceterum conf. art. ſequ. V. no. 9.

III. Primus eorum librorum, qui ſingularum plantarum, quas recenſent, figuris ornati ſunt, eſt **Herbarius**
1.2 **latinus**, cuius editiones in mea bibliotheca aſſeruantur ſequentes 1) ſine titulo, loco et anno; 2) alia iisdem ca-
3.4 rens; 3) alia, cui, tituli loco, maiori typo inſcribitur **Herbarius**, ſed locus et annus pariter deficiunt; 4) in fronte gerit hunc titulum: **Herbarius Maguntie impreſſus anno ꝛc. lxxxiiij**, cum ſubiuncto ſcutulo *Io. Fauſti* et *Petri Schoyfferi* rubro pigmento impreſſis, ceterum non differentibus ab illis, quae inter *ROTHSCHOLZII inſignia bibliopolarum et typographorum* no. 26. reperiuntur, curatius vero repraeſentantur a celeberrimo Polihyſtore SCHWARZIO in ſuae diſſertationis, qua *primaria quaedam documenta de origine typo-*
5 *graphiae* propoſuit, altera parte Altorfii a. 1740. ventilata p. 53.; 5) inſcribitur **Herbarius Patavie im-**
6 **preſſus anno domini et cetera lxxxv**; 6) **Herbarius Patavie impreſſus anno domini et cetera lxxxvj**, quae editio omnino recuſa eſt. Omnes hae editiones in quarto, ut aiunt, ordinario excuſae ſunt ſine paginarum numeris et ſine litera, quam cuſtodem appellant. Quaelibet ex 150. foliis totidemque capitibus conſtat, quorum ſingula vnico formae folio comprehenduntur et praefixam habent figuram cum addito capituli numero, dimidium folii occupantem, ligno inciſam, ſed adeo ieiune ſculptam, vt vix ex vlla naturale exemplar cognoſci queat. His, praeter praefationem vnico folio ſeu pagg. 2. comprehenſam et capitulorum indicem 3. pagg., annexa eſt appendix pagg. 36. capitulis XCVI. alia remedia, quae vocant ſimplicia, ex tribus naturae regnis breuiter et absque figuris exponens cum peculiari indice pagg. 2. In omnibus praefatio et ipſa expoſitio eadem typusque monachorum litteris ſimilis eſt; in figuris autem haec differentia occurrit, ut no. 1. capite II. abrotani iconem plane aliam quam reliquae, no. 4. vero omnes icones ita inuerſas ſiſtat, vt dextri lateris partes a ſiniſtris compareant. Omnes autem hae figurae inter ſe magis quam cum ipſa natura conueniunt, omnesque, exemplari no. 3. excepto, pigmentis viliſſime obductae ſunt. No. 1. loco germanicorum nominum belgico germanica (*Niederlaendiſche*) indicat, ceterum huius editionis omnes characteres ſuſpicioni fauent, eam antiquiorem eſſe illa no. 4. Editio no. 2. cum 5. et 6. tum figuris tum typo plane conuenit, quod docet, eam Patauiae quoque excuſam eſſe; quum vero in his tribus editionibus, vti in reliquis, latino nomini ſemper additum ſit germanicum, nullum eſt dubium, quin illae ſecundum exemplar quoddam in Germania prius impreſſum recuſae tantum ſint: e. gr. cap. CXXXVI., quod ſalicem ſiſtit, legitur no. 1. Wilgke, , no. 2. 6. Weiden, no. 3. Wyden, no. 4. Widen, no. 5. Weden. Editio no. 3. et figurarum formatione eundem licet ad ductum facta, et capitulorum litteris initialibus romanis grandiuſculis (Praefatio tamen et appendicis capitula littera initiali vti editiones 1. 4. carent, 2. 5. 6. vero loco maiorum in areae quadratae vacuae relictae medio typum paruum et ordinarium plerumque impreſſum habent) omnium maxime a reliquis recedit, conf. art. ſeq. VII. no. 2. Fuſius autem haec omnia hic exponere, nec ſpatium nec inſtituti ratio permittit, id vnicum addo, nullam harum editionum nominare auctorem huius operis, omnium vero praefationem indicare hunc eius titulum: **Aggregator practicus de ſimplicbius**, atque monere, hoc opus in gratiam inopum aegrotorum, vt ſibi ipſis ſubuenire poſſint paucis expenſis, ex veteribus medicis
7 compilatum et in meliorem ordinem redactum eſſe. Huc 7) pertinet idem opus in linguam belgico-germanicam verſum ſine titulo et loco; ſub finem tamen indicis praefationem excipientis additum eſt typographi inſigne, mihi autem, quid? quod ipſi laudato SCHWARZIO beatae nunc memoriae ſuper eodem abs me conſulto, ignotum nec in Rothſcholziana collectione contentum, et ad calcem appendicis leguntur haec: **ghemaeckt int iaer ons heeren mcccc eñ lxxxiiij.** Initium facit interpretis praefatio hac inſcriptione **dye prologhe de ouerſetters vyt den Latyn in dyetſche**, quam ſequitur auctoris praefatio translata, cuius vero nomen etiam in hac editione non indicatur, operis vero titulus ita explicatur: **de vergheringh der ſimpel der medicinen in manier van practiſien.** Haec editio conſtat fol. 163. ſeu pagg. 326. praef. et ind. fol. 7 app. fol. 36. ceterum autem paginarum numeri, cuſtodis, et appendicis capitulorum litterae initialis defectu, nec non forma et contentis conuenit cum editionibus latinis, figuris vero, pari modo coloratis, ſigillatim cum illa no. 1. indicata, a qua tamen ſe diſtinguit nominibus belgicis hinc inde mutatis et plerumque pluribus latino iunctis, ex quo opinio confirmatur, illam no. 1. prius, quam hanc et reliquas, excuſam eſſe; vt taceam, veroſimile haud eſſe, editionem 1. et 4. (quae editionis annum primum declarat) ob mutatas figuras, vti 1. et 7. ob mutatum ſermonem et belgicorum nominum augmentum, vno eodemque anno typographorum prelum relinquere potuiſſe. His recenſitis editionibus D. SEGVIERIVS *Bibliot. bot. p. 215. ſeq.* cum eius *ſup-*
8. 9 *plementi vnacum plantis Veronenſibus editi p. 40.* collata ſequentes addit: 8) Vicentiae 1491. 9) Venetiis 1509.
10–12 10) lingua italica Venetiis ſine anno, 11) ibidem 1520. omnes itidem in quarto, in octauo vero 12) ibid. 1539.
13–16 13) capitibus XVIII. aucta ibid. 1536. et denique gallica lingua 14. 15. 16.) tres editiones Pariſiis ſine anno publi-

publicatas, vt et in folio 17) ſine loco et anno: ſed de no. 13. et 17. dubium ſupereſt, quousque cum hoc opere conueniant.

IV. Hunc latinum herbarium ſequutus eſt alius germanica lingua conſcriptus, cuius ſequentes aſſeruo editiones: 1) ſine titulo; annum vero, quo excuſa eſt, haec ſubſcriptio ad calcem rubris litteris addita indicat: **diſſer Herbarius iſt tzu Mentz gedruckt und geendet uff dem xxviij. dagt des Mertz anno mcccclxxxv.** et inſignibus iisdem ſupra III. 4. indicatis huic ſubſcriptioni rubrica ſubiectis declarat, illudpariter ex *Fauſti Schoyfferique* typographia prodiiſſe. Recenſuit iam hocce cimelium laudatus SCHWARZIVS in ſua diſſertatione ſupra citata p. 42. §. XXXXVI. Forma integro folio minori reſpondet, titulus nullus adeſt, praefatio tamen hunc indicat: **Ortus ſanitatis, oder Gart der Geſundheit.** Figurae ligno inciſae multo maiores ſunt illis Herbarii latini et plerumque duas tertias folii partes longitudine ſua explent, differunt etiam penitus ab iisdem, atque praeterea maximam partem naturae exemplaribus propius accedunt et multae ſatis reſpondent, omnes vero pariter rudi penicillo pigmentis obductae ſunt. Expoſitio porro multo amplior et ſtylo eodem conſignata eſt, cuius ſpecimen mutili ſui exemplaris exhibuit ill. D. de HALLER in praefatione operis Weinmanniani §. III. Capitulorum numerus ad 435. excurrit, ideoque 285. maior eſt illo Herbarii latini, vel ſaltem 189. computatis etiam illius appendicis capitulis. Ex his 369. plantarum et 10. animalium icones praefixas habent, 56 autem illis penitus carent, quorum tamen maxima pars de foſſilibus vel ex regno animali productis agit, quae hic illis plantarum paſſim inſerta, in altero opere vero ad appendicem eius relata ſunt. Ceterum nec huius operis auctor nominatur et editor in praefatione plura non indicat, quam quod magiſtrum artis peritum conduxerit, vt herbarum vires atque naturam ex probatis veterum ſcriptis in vnum opus colligeret, quodque interea figuras colligens deprehenderit, multas dari nobiles plantas in Germania non prouenientes, atque propterea coeptum opus imperfectum reliquerit manuſcriptum, vsque dum, peregrinatione in Palaeſtinam pluresque regiones orientales, quas nominat, abſolutas et plantis ibidem naſcentibus indagatis earumque genuinis imaginibus viuo colore per idoneum pictorem ſibi itineris comitem aſſociatum repraeſentatis inſtructus redux in patriam opus hoc perfici et vulgi in vſum germanica lingua conſcribi curauerit. Si huius operis praefatio, capitum numerus eorumque expoſitiones aeque ac figurae conferuntur cum iisdem operis praecedentis: vix dubitare licet, vtriusque auctorem eſſe diſtinguendum. Vtut autem hoc opus latino longe praeferendum ſit, quia multas iam continet laudabiles plantarum effigies, multas tamen etiam ſiſtit, tum ratione ipſius figurae tum partium colore, naturalibus exemplaribus parum ſimiles, imo haud paucas manifeſte fictas, praecipue omnes fere illas pharmacorum exoticorum, vt adeo ea, quae de his praefatio promittit, non reperiantur: taceo nomina ſaepius corrupta, aliaque falſa. Omnem ergo laudem huic operi conciliant plantae, quarum figuras naturae ſimiles repraeſentat, quae, me ſaltem iudice, ſunt ſequentes: *agrimonia* (eius folium) *apium* (dulce, celery Italorum) *ariſtologia longa* (ſtudio ſeruaui nomina auctoris, vti ſunt ſcripta, paucis illuſtrationis gratia ſubinde additis et lunulis incluſis) *ariſtologia rotunda* (fumaria radice caua) *acetoſa*, *arum*, *atriplex*, *alleluia*, *aſarum*, *acorus* (iris paluſtris) *alkekengi*, *auena*, *betonica*, *branca vrſina* (ſphondylii folia) *berberis*, *borago*, *burſa paſtoris*, *brionia* (baccis rubris) *barotus* lamium vulgare album) *brunella*, *bervvinca* (pervinca) *camomilla*, *celidonia*, *cicorea*, *conſolida maior* et *regalis*, *cardo benedictus*, *cinogloſſa*, *cardo* (carduus fullonum ſ. dipſacus) *cheiri*, *cardiaca*, *coſtus* hortorum, eius folia) *caſtaneus*, *cartamus*, *diapenſia*, *durchvvachs* (perfoliata) *epatica* (ſtellata) *eſula*, *eufragia*, *ebulus* (eius folia) *edera terreſtris*, *elleborus niger* (Hippocratis Tabern., eius caulis cum foliis) *fenugrecum* (cum ſiliquis) *faba*, *flammula* (ranunculus prat. erectus acris) *frage* (fragaria) *flores frumentorum* (cyanus) *flores S. Iohannis* (leucanthemum ſeu bellis maior) *gladiolus* (iris hortenſis) *geniſta* (tinctoria) *gamandria* (teucrium pratenſe) *herba paraliſis*, *herba rubea* (geranium Robert.) *humulus* (lupulus) *gariofilata*, *gallitricum*, *iuspiamus* (hyoſcyamus) *lactuca*, *liquiricia* (eius folia) *leuiſticum* (eius folia) *lilium album*, *lilium conuallium*, *lauendula*, *linum*, *ladanum* (ciſtus) *meliſſa*, *menta*, *mentaſtrum*, *malua*, (ſylueſtris repens) *millefolium*, *maiorana*, *marubium*, *moracelſi* (morus) *mercurialis* (mas ſeu ſterilis) *morſus diaboli*, *morſus galline* (alſine) *morabacci* (rubus ſylueſtris) *nigella* (nigellaſtrum) *naſturcium* (aquaticum ſ. ſiſymbrium) *neſpilus* (meſpillus domeſtica) *origanum*, *orobus* (vicia) *orant* (antirrhinum minimum Lob.) *pionia*, *papauer* (ſatiuum) *parietaria*, *pentafilon* (pentaphyllum repens maius) *polipodium*, *plantago maior* et *minor* *pimpinella* (tragoſelinum) *pirola*, *protentilla* (potentilla ſ. anſerina) *piſa*, *paſtinaca domeſtica* (daucus) *piritrum* (ptarmica vulgaris) *perſicaria* (mitis) *premula veris* (bellis minor) *roſa*, *raffanus* (niger) *rapa*, *ribes*, *ſambucus*, *ſaluia* (minor aurita) *ſerpillum*, *ſolatrum*, *ſcolopendria*, *ſtafiſagria* (eius folia) *ſpinachia*, *ſticados arabicum*, *ſticados citrinum*, *ſpica nardi*, *ſoldanella* (eius folia) *titimallus Springvvurtz* (catapucia) *tormentilla* (eius folia) *trifolium*, *trifolium acutum*, *tanacetum* (eius folia) *vrtica*, *verbena*, *viola* (martia) *virga paſtoris* (dipſaci eiusdem alia icon) *Valeriana* (ſylueſtris maior, eius folia) *ypericon*, *yacea* (viola tricolor). His annumerandae adhuc ſunt illae effigies ſecundum naturam pariter quidem delineatae, ſed falſo nomine propoſitae, nempe *affodilus*, cuius et gladioli cap. 195. icon eadem eſt iridis hortenſis; *Apollonaria Schirling*, eſt tuſſilago cum flore, cuius ſola folia cum radice *vngulae caballinae brantlattig* nomine c. 420. exhibentur, ſynonymum germanicum *Huflattig* vero *lappacio rotundo* ſic dicto c. 245. (quod eſt bardana cum flore) iungitur, cuius folia ſola lappacii *groiſſ klett* nomine c. 226. exhibentur; *caput monachi* eſt calendula; *camepitheos* eſt Dulcamara; *Diptamum* eſt polygonatum vulgare cum flore; *dens leonis* videtur geranium batrachioides; *egilops* eſt aquilegia; *ellebori albi* nomine ſiſtitur idem polygonatum cum fructu ſeu baccis; *filla* eſt caryophyllata cum flore, quae ſeminifera *gariofilatae* nomine c. 205. indicata eſt; *ferula* eſt ſonchus laeuis laciniatus; *filago* eſt bugula; *fiſtula paſtoris* eſt chelidonium maius cum ſiliquis, quod florens *celidoniae* nomine c. 85. occurrit; *Hermodattilus* eſt hieracii vel potius taraxaci ſpecies; *herba vrinalis* eſt linaria vulgaris florens, quae fictis floribus c. 235. ſequitur; *pes corui* eſt ranunculus aconiti folio flore albo; *pruna* repraeſentantur ramulo fructifero rubi idaei; *ſatirion* videtur anacampſerotis ſpecies; *ſabina* eſt thuya; *ſenacion* et *ſenacionum* eſt ſcrophularia aquatica; *tapſia* eſt barbarea; *Tamarindi* loco exhibetur tanacetum florens; *Vermicularis* eſt anacampſeros vulgaris; *vulgago*, *vulfago* vel *ciclaminus* ſiſtitur eadem aſari c. 19. icone; *yringus* eſt carduus Mariae; *ynguinalis* eſt eryngium vulgare. Imagines vero prae reliquis prorſus fictae mihi videntur *anacardus*, *aloe*, *aſa fetida*, *balauſtia*, *bdellium*, *bombax*, *cynamomum*, *cyminum*, *carui*, *cubebe*, *cardamomum*, *camphora*, *crocus*, *coloquintida*, *caſſia lignea*, *coconidion*, *cataputia* (cuius genuina

 icon

icon titimalli nomine ſiſtitur) *dyagridion*, *dragantum*, *dactilus*, *emblici*, *epitimum*, *euforbium*, *filipendula*,
gummi arabicum, *galbanum*, *granatum*, *incenſaria*, *karabe ſeu electrum*, *lacca*, *melilotum*, *maſtix*, *mirra*,
macis et *nux muſcata*, *mirabolani*, *nux indica*, *oleander*, *oliuarum arbor*, *olibanum*, *oſmunda*, *peonia* (quae
diſtinguitur a pionia ſupra indicata) *palma*, *pes columbinus*, *peucedanum*, *pinee* (pinus ital.) *piſtacee*, *pſillium*,
piper, *palacium leporis*, *reubarbarum*, *rubea tinctura*, *ſinapis*, *ſcordeon*, *ſquinantum*, *ſcammonea*, *ſerapinum
gummi*, *ſquilla*, *ſandalum*, *ſene* (ſenna) *ſanguis draconis*, *ſarcocolla*, *ſcrofularia* (cuius vera icon ſenecionis
nomine adeſt) *turbit*, *terbentina*, *tamariſcus*, *tribuli marini*, *viticella*, *Zucarum* i. e. ſaccharum. Prolixam
hanc recenſionem nemini grauem fore confido ob raritatem huius operis, cuius genuinae icones tanto minus
obliuioni dandae ſunt, quanto maiorem laudem illae, ceu primae ex barbariei tenebris erutae et ſub ipſa figu-
rarum ſculpendarum origine factae, omnino merentur, et quanto viliores comparuerunt eaedem in ſequenti-
2.3 bus huius operis editionibus recuſis, nimirum 2) ſine titulo *Auguſtae Vindelicorum 1486.*; 3) breui hoc titulo:
4 *Herbarius zu teutſch von allerhand Kreuteren*, *ibid. 1488.* 4) ſine titulo, *ibid. 1496.* Hae tres editio-
nes per *Io. Schonſperger* excuſae paginis et figuris iisdem ſibi inuicem reſpondent, ab illa vero Moguntina
figuris vilioribus differunt, vtpote quae (licet earum imitationes, ſi illam cymini cap. 114. illamque cap. 116.
additam citri excipias) non ſolum omnes inuerſae multoque minores, et tamen foliorum ſerratorum denticu-
li maiores, verum etiam, praecipue ob partium et extenſionis proportionem haud obſeruatam, omnes dete-
riores redditae ſunt. Foſſilium aliarumque ſimplicium figurae in Moguntina editione omiſſae his quidem in-
ſertae ſunt, ſed lepidae et nullius plane vſus. Ceterum ex his editio no. 2. litteris capitum initialibus, folio-
rum numero atque etiam cuſtode, quem vocant, adhuc caret, no. 3. 4. vero iis, ſi foliorum numerum exci-
5 pias, iam inſtructae ſunt. 5) Alia editio prodiit *Vlmae* per *Conrad. Dinckmut 1487.* ſine titulo, litteris initia-
libus, paginarum numeris et ſine cuſtode; figurae autem, omnes recens factae, nec Moguntinae nec Auguſta-
nae editioni penitus ſimiles, neque tamen Auguſtanis meliores ſunt, et foſſilium, animalium &c. lepidas reprae-
6 ſentationes interſertas quoque habent. His editionibus antiquior videtur 6) alia, cuius vero non niſi muti-
lum exemplar ad manus eſt: deficiunt enim non ſolum priora capita, ſed etiam indicis vltimae plagulae, ideo-
que incertum eſt, num titulo quodam gaudeat, numque editionis locum et annum declaret; aetatis autem
ſuae characterem indicant non ſolum defectus litterarum capitum initialium, numeri foliorum atque cuſtodis,
ſed etiam figurarum omnium ſimplicium illorum, quibus Moguntina caret: addi poteſt, figuram cymini cap.
114. illi Moguntinae et Vlmenſis editionis ſimilem eſſe. Omnes autem plantarum figurae et magnitudine et
praua imitatione cum Auguſtanis praecipue vero cum Vlmenſi conueniunt, multae tamen mutatae, non vero
7 emendatae ſunt. 7) Alia ſine loco et anno, prima autem praefationis plagula deficit, quare et hoc exemplar non
indicat, num titulus praefixus fuerit. Hanc autem editionem illa no. 6. aetate parum inferiorem eſſe, vero
ſimile videtur ex defectu foliorum numeri, omniumque earum figurarum, quibus illa no. 6. et Moguntina ca-
ret; adeſt vero iam foliorum cuſtos, adſunt etiam iam litterae initiales, ſed omnes quadratae et ligno inciſae:
neque hae ſingulis capitibus praefixae ſunt, ſed totidem ferme iisdem carent ſpatio quadrato vacuo relicto,
cui littera pigmento rubro adſcripta eſt: e. gr. ex capitibus 52., quae lit. A. comprehendit, 29. ornantur eius-
modi litteris ſculptis, iisque vario modo figuratis et non vna ſerie, verum per varias vices additis. Herba-
8 rum animaliumque figurae omnes eaedem ſunt, quas no. 6. continet. 8) Alia editio hoc titulo: *in diſem Buch
iſt der Herbari oder Kreüterbuoch: genant der gart der geſuntheit: mit merern figuren und regi-
ſtern.* Haec editio litteris capitum initialibus, maioribus quidem, ſed ſimplicibus et fuſis, foliorum numero
atque cuſtode iam inſtructa eſt. Figurarum augmentum conſiſtit ſolummodo in illis, quibus, vti in Vlmenſi
et Auguſtanis editionibus, foſſilia aliaque ſimplicia no. 6. omiſſa repraeſentantur, quae vero, vtut ab Auguſta-
nis differant, maioris tamen pretii haud ſunt. Ex herbarum autem figuris paucae ſunt eaedem cum 6. et 7.,
plurimae quidem illis ſimiles, ſed rudiores et plerumque inuerſae, multae prorſus aliae. Quum vero in hoc
quoque meo exemplari tractationis tria vltima capita et indicis finis deficiant, iterum dubius ſum, an locum
9 et annum haec editio indicet. 9) Eodem titulo, ac no. 8., *Argentorati per Io. Pryſs 1507.* Huius editionis fi-
gurae ſunt eaedem, quas no. 8. continet, paucis exceptis, quae in no. 6. et 7. reperiuntur, ex quibus conclu-
10 dere licet, no. 6. 7. et 8. etiam Argentorati excuſas eſſe. 10) *Ibid per Renat. Beck 1515.* Titulus et contenta
iterum no. 8. et 9. reſpondent, quemadmodum etiam eaedem figurae partim ex no. 6. et 7. partim ex no. 8.
et 9. hic comparent. Omnes hactenus recenſitae editiones eandem adhuc praefationem, quam Moguntina
11 exhibet, praefixam habent. 11) Hoc titulo: *das Kreuterbuch oder Herbarius von neuen corrigirt und
12 gebeſſert*, *ibid per Balth. Beck 1527.* et 12) *eodem titulo ibid. 1530.* Vtriusque huius editionis figurae, ordo et
numerus capitum a prioribus non differunt, neque etiam ipſa tractatio de notabili emendatione teſtatur, li-
13 cet hanc titulus & noua praefatio breuiſſima promittant. 13) Inſcribitur: *Kreuterbuch von allem Erdge-
wächs, anfenglich von D. IO. CVBA zuſammenbracht &c. gemehrt von D. EVCHAR. RHODION*
(in praefatione ROESSLIN) *Francof. ad Moenum apud Chr. Egenolff 1533.* Titulus atque praefatio noua pri-
mum nominat auctorem huius operis, ſed quo iure quibusue teſtimoniis id fiat, non indicat, neque haec plu-
ra de eodem refert, quam quod IO. CVBA (quem cl. D. IO. BRVCKERVS in *hiſtoria vitae ADOLPHOR.
OCCONVM p. 11. 12.* Auguſtanis medicis adſcribit et primo loco recenſet, eius vero abitum vel obitum in-
dicare nequit) Francofurti ad Moenum Phyſicus ſeu medicus ordinarius (*vveiland Stat artzt alhie zu Franck-
furt*) olim conſtitutus fuerit. Ceterum in hac quoque editione antiquus contentorum ordo, ſed ſine capi-
tulorum numero, adhuc obſeruatur, figurae autem prorſus nouae, minores quidem, ſatis tamen artificioſe
ſculptae et naturae exactius reſpondentes comparent, nonnullae vero etiam omiſſae ſunt. Conſtat autem hic
liber. pagg. 212. icon. plant. 162. fructuum 19. et lignor. vel corticum 4. ex quibus aliquot bis occurrunt,
14 nonnullae etiam falſo nomine indicantur. 14) *Kreutterbuch von aller Kreutter, gethier, geſteyne und
Metal natur, nutz und gebrauch*, *ibid. per eundem 1535.* pagg. 819. icon. plant. 250. Hac editione plu-
15 res herbarum icones, maiores, iterumque emendatae ſiſtuntur. 15) *Eodem titulo*, cum hoc additamento:
alles über vorige edition gebeſſert und gemehret, *ibid. per eundem 1536.* Haec editio omnino denuo, ſed
totidem paginis iisdemque plantarum figuris recuſa eſt, correctionem vero et augmentum obſeruare non potui:
16 16 *Kreuterbuch von natürlichen Nutz und gründlichen gebrauch der Kreuter, baeum, geſteud und
Früchten &c. ibid. 1550.* foliis 263. ſeu pag. 526. icon. plant. 708. Haec editio, multis nouis figuris aucta,
omnibus

omnibus autem (13. 14. 15. 16.) RHODIONIS praefatio adhuc praefixa, eius tamen aeque ac CVBAE nomen in titulo omiſſum eſt. 17) *Kreuterbuch new zugericht von allerhand Baeumen, Stauden, Hecken, Kreutern, Fruchten und Gewürtzen &c. mit vielen newen Kreutern und Figuren, in die zweyhundert, über andere ausgegangene Edition gemehret &c. ibid. apud heredes Egenolffi 1557.* foliis 342. ſeu pagg. 683. icon. plant. 708. 18) *Titulo eodem ibid. 1560.* absque vlla mutatione recuſa haec editio, quam demum AD. LONIZERVS (teſte praefatione vtriusque eadem) in meliorem ordinem redegit et expoſitione multum emendauit ita, vt antiquus Herbarius germanicus nunc noua et correctiori ſub facie in lucem prodiret, qua poſtea, LONICERI nomine praefixo, ſaepius recuſus eſt, de quo ſequenti articulo XI. plura. Dum haec ſub prelo iam ſudabant, emtionis iure ad me peruenit 19) alia antiqua editio hac ad calcem ſubſcriptione: **Gedruckt und volendet diſer Herbarius durch Hannſen ſchönſperger in der Keyſerlichen Statt zu Augſpurg an der mittwochen nach dem weyſſen ſuntag. Anno mcccc. und in dem lxxxvij. jare.** Haec ab illa no. 2. recenſita non differt, et cum 2. 3. 4. collata docet, intra triennium in vno loco tertium, et poſt octo annos quartum recuſum fuiſſe hoc opus, quod ſolum ſatis teſtatur de cupiditate, qua exceptum fuit. Ex his exemplaribus no. 1 — 7. 11. 12. 15. 18. et 19. figurae pari negligentia, ac in herbario latino, pigmentis obductae reperiuntur. Ad hoc opus pertinet quoque 20) editio Bataua lingua excuſa hoc titulo: *den groten Herbarius, gheprent t' Utrecht van Sinte Martens Tooren by Jan Bernts 1538.* Huius editionis capita et figurae cum illis no. 2 — 12. adhuc conueniunt, ſed hae multo minores vilioresque ſunt. Praeter has editiones, quas omnes in folio excuſas poſſideo, a D. SEGVIER *biblioth. p. 215.* et ſub CVBAE nomine *p. 242. ſupplem. p. 40.* ſequentes indicantur: 21) Herbarius lingua vernacula Germano-Belgica Moguntiae 1483. in folio ſine figuris, ex Mſcr. ſpicilegio veterum ſeculi XV. editionum. SAM. ENGEL *biblioth. ſelectiſſ. p. 73.* alius quidem editionis Moguntiae 1483. cum figuris editae mentionem facit; ſed quum ipſe addat: hanc eſſe eundem librum, quem IO. GE. SCHELHORNIVS *amoenit. litterar. tom. III. p. 123.* recenſet, hic vero ibidem non ſolum formam in quarto, verum etiam annum 1484. indicet, nullum eſt dubium, quin typograhi vitio annus 84. in 83. mutatus, adeoque hic liber ille ipſe ſit herbarius latinus ſupra artic. III. 4. expoſitus: conf. D. de HALLER l. c. Num vero liber a SEGVIERIO indicatus expoſitione et capitulorum numero cum latino, an cum germanico herbario conueniat, numque forſan eadem prioris in belgicam linguam translatio ſupra art. III. 7. recenſita ſit, et anno antecedente iam ſine figuris in folio prodierit, indicet ille, cui eum ipſum inſpiciendi occaſio ſuppetit. Praeterea a SEGVIERIO l. c., hoc opus recenſetur excuſum belgico idiomate 22) Antverpiae 1514., germanico 23) Lybecae 1492. 24) ibid. 1520. 25) Argentor. 1521. 26) ibid. 1528. 27) ibid. 1529. 28) ibid. 1536. 29) Venetiis 1538. Hae omnes itidem in folio prodierunt, ad quas etiam *Biblioth. p. 243.* refertur 30) alia in 4to, Francof. 1535. per *Herm. Gülffrich;* Gallica lingua expoſitae 31) ſine loco et anno; 32) Pariſiis ſine anno; 33) ibid. 1539. et denique Anglico ſermone 34) Londini 1526. 35) ibid. 1539. 36.) ibid. 1561., quarum forma iterum in folio indicatur: num autem hae citatae editiones omnes cum hac, an cum antecedente, an cum ſequente opere conueniant, an aliquae earum opus prorſus aliud conſtituant, iterum nonniſi ex illarum inſpectione affirmari poteſt.

V. Horti ſanitatis titulo latine compoſiti operis editiones a me aſſeruantur ſequentes: 1) *Ortus ſanitatis, de herbis et plantis, de animalibus et reptilibus, de auibus et volatilibus, de piſcibus et natatilibus, de lapidibus et in terre venis naſcentibus, de vrinis et earum ſpeciebus, tabula medicinalis cum directorio generali per omnes tractatus,* ſine loco et anno, ſine foliorum numeris et ſine litteris capitum initialibus maioribus, cum minoribus tamen areae vacuae relictae adpreſſis et cum cuſtode. Alph. 4. pl. 8. ſeu pagg. 400. 2) Alia editio ſine loco et anno atque a no. 1. difficulter diſtinguenda, ſiquidem nonniſi cuſtodis litterae et numeri his additi quandoque variant, atque praeterea ſectionis poſterioris variorum tractatuum peculiares tituli alio typo exſcripti ſunt. 3) Alia editio ſine loco et anno itemque ſine foliorum numeris; ſed non ſolum vbique typo verum etiam capitulorum litteris initialibus maioribus diſtincta. 4) *Venetiis per Bernardinum Benalium et Io. de Cereto de Tridino alias Tacuinum 1511.* 5) ſine loci et typographi nomine *1517.* Omnes hae editiones in folio excuſae eodem titulo ordineque in publicum prodierunt. *Prior ſectio* agit de herbis et plantis, et continet 530. capita, quo numero quidem illum herbarii ſeu horti ſanitatis germanici nonniſi 85. ſuperat; ſed quum ex illis, quae in germanico opere de animalibus et foſſibilibus ſimul agunt, pauca tantum huic, reliqua vero poſteriori ſectioni inſerta ſint, numerus capitum de plantis ad 510. ferme auctus eſt. Reperiuntur autem inter has omnes plantae operis germanici, ſed alio ordine, eodem tamen modo expoſitae, et illarum figurae, paucis exceptis, conueniunt cum iisdem adeousque, vt illae editionis no. 1. 2. 3. 5. ſint plane eaedem ac iſtae Argentoratenſis editionis art. IV. 10., ex quo colligere licet, illas operis huius editiones pariter Argentorati excuſas eſſe. Quae huic operi acceſſerunt figurae, eiusdem cum reliquis farinae, imo quaedam ex his vere monſtroſae et ex ludicro auctoris ingenio fictae ſunt: conf. D. de HALLER l. c. §. V. His accedit, quod haud raro figurae aliis capitibus, quam quo pertinent, praefixae reperiantur. Quod ad figuras editionis no. 4. attinet, eae omnes non niſi harum imitationes et adhuc viliores ceterum in meo exemplari pari negligentia coloratae ſunt. Praefatio huius ſectionis in ſingulis editionibus recenſitis ab illa germanici operis hoc tantum momento praecipue differt, quod auctor eius declaret, illum, qui peregrinationem in Palaeſtinam ceterasque regiones orientales, non ſolum *plantarum*, verum etiam *animalium, lapidum ceterorumque ad confectionem medicinarum neceſſariorum et propter raritatem incognitorum* gratia ſuſcepit, fuiſſe *permaxime nobilem quendam dominum*, cuius inſtinctu opus hoc conficiendum aggreſſus fuerit. Reliqua huius operis *alteram ſeu poſteriorem eius ſectionem* conſtituunt capitibus 144. abſolutam et peculiari frontiſpicio inſtructam hac inſcriptione: *ſequuntur alii tractatus, primus de animalibus, ſecundus de auibus, tertius de piſcibus, quartus de lapidibus*, quas ſequitur *tractatus de vrinis* et denique *tabula medicinalis cum directorio*, de quibus vero plura ſi referrem, ab inſtituti ratione alienum eſſet: id vnicum moneo, priores quatuor tractatus germanico ſermone conſcriptos annexos iam eſſe germanici operis editioni ſupra artic. IV. 9. indicatae et ſigillatim etiam Argentorati per eundem *Io. Pryſſ 1509.* vt et per *Balth. Beck 1529.* (conf. no. 9. 11. et 12.) excuſas in mea bibliotheca exſtare, tractatum vero de vrinis et reliqua in Moguntina iam et omnibus editionibus recenſitis reperiri. Latini operis editionibus indicatis

addit

addit D. SEGVIER *biblioth. p. 242.* 6) antiquiorem Moguntiae 1491. fol. ad cuius exemplar procul dubio reliquae recuſae tantum ſunt; 7) recentiorem Venetiis 1521. fol., quibus forſan 8) iungendus eſt liber gallico idiomate expoſitus et ab eodem *ſupplem. p. 40.* hoc titulo indicatus: *Arbolayre, contenent les qualités, virtus, proprietés des herbes, arbres, gommes et ſemences &c.* fol. ſine loco et anno. 9) Nuper admodum D. FRID. BOERNER in Epiſtola quadam gratulatoria germanice ſcripta (qua praecipue expoſuit: *ob dem Frauenzimmer erlaubt ſey, die Arzneykunſt auszuüben* i. e. an feminis liceat, artem medicam exercere) Lipſiae ap. *Io. Gottl. Imm. Breitkopf* 1750. 4. pl. 2. excuſa, aliam adhuc huius libri editionem, quem ipſe poſſidet, p. 12. hoc indicauit titulo: *Hortus ſanitatis, quatuor libris haec quae ſequuntur complectens: de animalibus et reptilibus, de auibus et volatilibus, de piſcibus et natatilibus, de gemmis et in venis terrae naſcentibus. Singula autem capita ſuis pulcre depicta ſunt ſchematibus ſiue figuris. Omnia caſtigatius, quam hactenus videre licuit, id quod aequus lector ex collatione facile peruidere poterit. Appoſitus eſt index rerum, quae ad medicinam ſpectant, quam copioſiſſimus. Argentorati per Matthiam Apiarium. 1536. Fol. foliis 130.* Non ſolum ex hoc titulo, verum etiam ex primi capituli initio, quod auctor citatus ſpeciminis loco addidit, ſatis clarum eſt, hunc librum poſteriorem tantum Horti ſanitatis partem eſſe: num prior, de vegetabilibus potiſſimum agens, eodem anno ſimul recuſa ſit, neque hic indicatur, neque alibi annotatum reperi. Ceterum huius libri l. c. mentio facta eſt, quia auctor in ea opinione verſatur, ac ſi eſſet opus S. HILDEGARDIS ſupra art. II. indicatum. Auctores, qui ab ipſo citantur, nempe PASCHALIS GALLVS *biblioth. med. Baſil. 1590. 8. p. 419.* ISR. SPAACHIVS *nomenclat. ſcript. medicor. Francof. 1591. 8. p. 168.* THOM. IAMES *catal. biblioth. Bodlejanae 1620. 4. p. 253.* IO. CASP. EBERTVS *Eröffnetes Cabinet des gelehrten Frauenzimmers Francof. et Lipſ. 1706. 8. p. 184.* et POLYC. FRID. SCHACHER *Diſſ. de feminis ex arte medica claris Lipſ. ex offic. Langenh. 1738. 4. p. 31.* omnino HILDEGARDIS phyſicam 1533. et 1544. typis excuſam recenſent, ſed Horti ſanitatis ne verbulo mentionem faciunt, vtpote qui non ſolum figurarum additione, verum etiam expoſitione ſe penitus diſtinguit.

VI. Sub finem ſeculi XV. comparuit quoque HIER. BRVNSVIGII de arte deſtillandi tractatus eiusmodi figuris refertus: dum enim eius liber ſecundus agit de aquis ex herbis per deſtillationem parandis, atque etiam ipſius herbae breuis hiſtoriam (quae excerpta reperitur in BRVNFELSII herbarii tom. II. appendice pag. 183. vsque ad finem HIERONYMI *herbarii Argentorat. apodixis germanicae* titulo) tradit, ſingulis herbae ipſius imago praefigitur. In mea collectione tractatus hic ſequentibus titulis proſtat. 1) *Hie anfahen iſt das büch genant liber de arte diſtillandi von der Künſt der diſtillierung, zuſammen colligiert und geſetzt von* HIERONYMO BRVNSCHWYGK, *ſo dan von vilen erfahrenden Meyſtern der ertzny er erfahren und ouch durch ſin teglich hantwürckung erkundet und geleret hatt.* Ad calcem: *Hiemit volendt das büch genant lyber de arte diſtillandi de ſimplicibus von* IERONIMO BRVNSCHWYG *vvundt Artzot der Keiſerlichen freyen ſtatt Straſsburg, und getruckt durch den vvolgeachten* Johannem Grüeninger *zu Straſsburg in dem achten tag des meyen 1500.* fol. pagg. 212. auerſis non numeratis, icon. plantar. 238., quarum vero aliquot bis terue alio nomine inſertae, omnes autem cum iisdem Herbarii Germanici editionis Argentoratenſis, ſupra art. IV. no. 6. ſeqqu. recenſitae, vel eaedem vel ſaltem iisdem ſimiles ſunt, additis aliquot aliarum rerum imaginibus futilibus: comprehendunt hunc librum II. pag. 15 — 123. In praefatione Auctor de ſe ipſo haec ſcribit: *ich* HIER. BRVNSCHWYG *des geſchlechts* SALERN, *bürtig von Straſsburgk* &c. 2) *Medicinarius. Das buch der Geſuntheit. Liber de arte diſtillandi ſimplicia et compoſita. Das nüv büch der rechten kunſt zu diſtilliren. Ouch von* MARSILIO FICINO *und anderer hochberöpmter Artzte natürliche und güte Kunſt zu behalten den geſunden leib und zu vertryben die kranckheit mit erlengerung des lebens. Ibid. per eundem 1505.* fol. pagg. 188. (vel potius ob errorem in numeris commiſſum 192.) auerſis non numeratis, icon. 200.: nonnullae enim plantarum aeque, ac aliarum rerum, figurae primae editionis omiſſae ſunt. Titulus equidem auctorem priorum librorum non nominat, praefatio vero iisdem verbis modo citatis eundem declarat. 3) *Das Diſtilierbuch. Das buoch der rechten Kunſt zu diſtilieren und die waſſer zu brennen, mit figuren angezögt &c. Erſtmales von meiſter* IERONYMO BRVNSCHWICK *zeſamen coligiert und ouch dabei von* MARSILIO FICINO *des hochberüumpten, des langen und geſunden lebens, als er an im ſelb bewert, und hundert und zehen iar rüwigklichen gelebet hat. Ibid. per eundem 1515.* fol pagg. 130. auerſis non numeratis, icon. 198. futilibus omiſſis. 4) *eodem titulo ibid. per eundem 1521.* fol. pagg. 130. icon. 207. futilibus iterum miſſis. Marſilii tractatus peculiari titulo vti in praecedenti editione inſtructus a. 1528. Omnium harum editionum lingua germanica excuſarum figurae, paucis exceptis, ſunt eaedem, et no. 2. 4. coloratae, in omnibus vero pari negligentia locatae, quare vero ſimile videtur, eas a typographo tantum, vtpote iam paratas, pro lubitu lucri cauſſa additas eſſe, hincque in omnibus editionibus in eadem typographia excuſis, numero, ordine, quandoque etiam habitu (vti etiam illae herbarii germanici eiusdem officinae typographicae) variare. 5) *Diſtilierbuch der rechten kunſt, newe und gemein diſtilier und brennöfen mit aller zugehörender bereitſchafft zu machen, aus allen Kreütern die waſſer zu brennen und diſtilieren. Von M.* HIERON. BRAVNSCHWEIGEN *colligiert &c. ſampt lebendiger abcontrafactur der Kreuter &c. iezund von newem gemehrt und gebeſſert &c. Francof. ad Moenum per Weygand Han*, ſine anno 4. pagg. 101. plantar. ic. (a pag. 13. ad 90.) 185. 6) *Eodem titulo ibid. per eiusdem typographi haeredes*, ſine anno, 4to pagg. 126. figurae eaedem (vnica ſambuci omiſſa) ſed viliſſime coloratae. Hae editiones quoad expoſitionem et ordinem cum Argentoratenſibus conueniunt (ſi excipias aquas, quae ex aliis rebus, quam herbis, parantur, quae alteram partem conſtituunt, pariter cum imaginibus inutilibus praefixis, et FICINI tractatum omiſſum) ſed figurae omnes recens ſculptae, minores quidem, naturae tamen magis reſpondentes et illis Egenolffiani herbarii germanici ſimiles ſunt. # Plures huius operis editiones non vidi, neque etiam vllam ab aliis indicatam reperi. Conf. D. de HALLER l. c. §. VI. Prodiit quidem primus huius tractatus liber, de arte deſtillandi in genere, cum herbarii germanici editione a RHODIONE publicata (art. IV. no. 13.) et procul dubio etiam vires aquarum ſimplicium reliquis ibidem recenſitis inſertae ſunt; ſed hae non ſolum nullibi diſtinguuntur, verum etiam ipſa plantae hiſtoria, quatenus a BRVN-

Acceſſit postea 7) Distillierbuch der rechten Kunſt, Aus den alten Lerern mit fleiß zuſamen getragen durch HIER. BRAVNSCHWEIGEN f. 1552. Ad calcem: gedr. zu Francof. am Magn durch Herman Gülfferichen Fol. foliis 199. praemiſſa fol. 22. continent praemiſſa auctoris praefationem, indicem et inſtructionem de parandis vaſis deſtillatoriis cum eorum figuris, ipſe vero tractatus icones plantar. 290. ex quibus 204 ſunt illae ipſae Brunfelſianae artic. ſeq. VIII. 10. indicatae, ad quarum normam 26 reliquae (fol. 9. b, 10. a, 33. a, 34. a. b, 36. b, 37. b, 42. a, 56. a, 61. a, 81. a, 90. b, 96. b, 98. a, 104. a, 109. b, 110. a, 111. a, 126. b, 122. a, 125. a, 132. a. b, 166. a, 167. b, 181. b) minori tamen cura factae ſunt. Fol. 97. ſequuntur aquae ex animalibus deſtillatae cum horum figuris exiguis vilissimis. 8) aliam adhuc editionem Argentorati 1576. fol. recuſam nuper admodum indicatam reperi in Bibliotheca D. D. PETRI GERIKE, Helmſtadii nunciam auctionis lege vendenda n. 45.

a BRVNSCHWIGIO traditur, nullibi reperitur, et icones, vt l. c. iam indicatum eſt, prorſus aliae ſunt. Recuſus quoque eſt hic tractatus cum PED. DIOSCORIDIS herbario, primum per IO. DANZIVM von AST germanice reddito et deinde a PETRO VFFENBACHIO correcto, figuris aeneis ornato et Francof. ad Moen. ſumtibus *Conr. Corthoys* 1610. in fol. edito, hoc peculiari titulo inſtructus: *Ars deſtillandi, oder Dieſtellier Kunſt* HIER. BRAVNSCHWEIG &c. *aufs new überſehen, mit ſchönen Figuren in Kupffer geziert, von allen erratis entlediget und mit beſſerm Teutſch begabet 1610.* a pagg. 474. ad pag. 616. Sed hac quoque in editione plantarum deſcriptiones et figurae omiſſae ſunt, et illae in titulo indicatae repraeſentant tantum inſtrumenta pro aquis deſtillandis neceſſaria, plantarum vero icones nonniſi priori DIOSCORIDIS herbario inſertae reperiuntur, quae, ſatis laudabiles, primae forſan ſunt in Germania aeri inciſae. Aſſeruatur porro in mea collectione eiusdem Auctoris tractatus hac inſcriptione: *liber de arte diſtillandi de compoſitis, das buch der waren kunſt zu diſtillieren die compoſita und ſimplicia, und das buch theſaurus pauperum, ein ſchatz der armen genant Micarium &c. von mir* JHERONIMO BRVNSCHWICK &c. (in praefatione BRVNSCHWEIG von SALERN, bürtig zu Straſsburg) *Argentor. 1512.* ſine typogr. nomine. fol pagg. 344; paucis tituli verbis mutatis *ibid.* per Io. Grüninger 1519. fol. pagg. 330; *ibid. per Balth. Gruninger 1532.* fol. pagg. 280. in omnibus auerſis non numeratis. Sed hoc opus pariter germanico idiomate et in folio excuſum, pars altera eſt prioris et agit ſolummodo de compoſitis medicamentis, neque etiam vllam plantarum deſcriptionem aut iconem continet, adeoque ab antecedenti penitus diſtinguendum eſt. Liber eiusdem tractatus quintus eſt ſic dictus theſaurus pauperum, quem ſigillatim excuſum poſſideo hoc titulo: *theſaurus, pauperum Hauſs Apoteck guter gebräuchlicher Artzeney &c. durch* HIER BRAVNSCHWEIG, *Francof. ad Moen. apud Chr. Egenolfi haeredes 1591.* 8. pagg. 133. auerſ. non numer. nil continet quam remedia euporiſta contra varios morbos, et procul dubio idem eſt cum illo, quem SEGVIERIVS p. 233. titulo *Apothecae vulgi 1729.* 8. germanice impreſſae indicat.

VII. Silentio denique hic praetereundum haud eſt PETRI de CRESCENTIIS opus ruralium, quoniam aliquot ſtirpium figuras pariter continet, licet hae quoque nonniſi typographis tribuendae, ipſae viles et absque iudicio plerumque locatae ſint. Huius operis poſſideo ſequentes editiones in folio excuſas 1) *PETRVS DE CRESCENTIIS zu teutſch mit figuren.* ad calcem: *gedrückt und volendet noch der Geburt Chriſti M CCCC XCIIII.* ſine paginis ſed cum cuſtode. foliis 229. ind. 5. 2) PETRVS DE CRESCENSIS *Das büch von Pflantzung der aecker, boem und aller krüter.* ad calcem: *nüvv getruckt und geendet M D XII.* vnacum indice pagg. 172. auerſis non numeratis. Vtraque editio locum, vbi excuſa eſt, non indicat, inter figuras autem, quas haec et illa exhibet, nulla prorſus eſt differentia, ſi paucas excipias in poſteriori omiſſas vel alio loco inſertas. Reperiuntur harum circiter 160, ex quibus illae herbarum maximam partem ſunt eaedem cum iſtis herbarii germanici Argentorati excuſi (vnde coniectura de loco typographi facilis eſt) arborum vero circiter 40. adhuc viliores. Praeter has ſtirpium icones plures inſertae ſunt aliae nullius prorſus momenti. 3) PETRVS DE CRESCENTIIS *von dem nutz der ding die in aeckern gebowt werden. Argentor. impreſſ. apud Io. Schott 1518.* pagg. 169. auerſis non numeratis, tit. praef. et ind. fol. 6. icon. ſtirp. 157. ex quibus vltra 100. ſunt illae ipſae, quae editio Herbarii latini ſuperius art. III. no. 3. recenſita continet, ex quo concludere licet, eam herbarii latini editionem Argentorati quoque excuſam eſſe. 4) *De omnibus agriculturae partibus et de plantarum animaliumque natura et vtilitate lib. XII. per* PETRVM CRESCENTIENSEM &c. *Baſil. per Henrich. Petri 1548.* pagg. 385. tit. praef. et index pagg. 12. icon. ſtirp. 135, quae, ante memoratis minores, paullo maiori quidem artificio ſculptae et maximam partem naturali exemplari ſimiliores ſunt; nihilominus tamen pariter de incuria auctoris teſtantur et haud paucae, vti in antea memoratis, incongruo loco, imo etiam plus quam ſemel inſertae reperiuntur. Plures huius operis editiones variis linguis impreſſas indicat ſaepius citatus D. SEGVIERIVS *p. 354*, ex quibus tamen non niſi tres occurrunt cum figuris, nempe Venetiis 1511. 4. ibid. italica lingua 1561. 4. ibid. eadem lingua 1564. 8. cum 16. figg. quas nondum vidi; ſex aliae autem ſine figuris ab ipſo etiam indicatae mihi ad manus ſunt, nempe 5) latino ſermone expoſita in folio columnis diuiſis, ſine titulo, ſine paginarum numeris et ſine litteris initialibus (pigmento nunc rubro nunc caeruleo artificioſe adſcriptis) cum littera tamen cuſtodis. Ad calcem legitur: Praeſens opus ruralium commodorum PETRI DE CRESCENTIIS hoc induſtrioſo caracteriſandi ſtilo ad cunctorum utilitatem omnipotentis dei ſuffragio noviſſime impreſſum eſt in domo Johannis de Weſtfalia. Alma ac florentiſſima in univerſitate Lovanienſi, foliis 195. ſine anno 6) Alia editio iisdem characteribus eademque mole cum hac rubra ad calcem ſubſcriptione: Präſens opus ruralium commodorum Petri de Creſcentiis. quodam induſtrioſo caracteriſandi ſtilo: noviſſime omnipotentis dei ſuffragio adinuento. extitit hac littera vera modernata abſciſa. et formata: impreſſum per Joannem de wveſtfalia Paderbornen dyoceſis. Jn alma ac florentiſſima vniuerſitate Louanienſi reſidentem. Anno incarnationis Dominice m°cccc°.lxxiiii°. menſis Decembris die nona. ??? Hoc in exemplari aliquot litterae initiales auro et variis pigmentis elegantiſſime pictae ſunt. 7) Antiquior editio in fol. ſine paginarum numero, cuſtode et ſine litteris initialibus foliis 205. columnis integris cum hac in fine ſubſcriptione: Petri de creſcencys ciuis bonon̄. ruralium ↄmodorum libri duodecim finiunt feliciter per iohannē Schüßler ciuem auguſtenſem impreſſi. circit. xiiij. kalendas marcias. anno vero a partu virginis ſalutifero Milleſimo quadringenteſimo et ſeptuageſimo primo ꝛc. 8) editio pariter in folio cum hoc ſimplici titulo primo folio impreſſo: Opus ruralium commodorum Petri de Creſcentiis. Ad calcem: Präſens opus ruralium commodor. Petri de creſcentiis hoc induſtrioſo caracteriſandi ſtilo ad cunctor. vtilitatem omnipotentis dei ſuffragio impreſſum eſt argentine. Anno domini m cccc lxxxvj Finitum quinta feria ante feſtum ſancti Gregorii. Haec editio conſtat foliis 147. columnae ſunt diuiſae et ſingulis paginis tituli loco adſcriptus eſt librorum numerus, ceterum nec paginarum numeri nec cuſtodis litterae adſunt, et loco initialium litterarum maiorum areis vacuis impreſſae ſunt litterae minores. conf. Scriptores rei ruſticae &c. curante IO. MATTH. GESNERO *Lipſ. ſumpt. Caſp. Fritſch 1735. 4. mai.* editi praemiſſor. p. XLIX. 9) *de agri-*

cultura omnibusque plantarum et animalium generibus libri XII. auctore optimo philoſopho et agri-
10 *cola* PETRO CRESCENTIENSI *&c. Baſil. per Henr. Petrum* 1538. 4. pagg. 574. 10) *Trattato dell'*
Agricoltura di PIERO *de'* CRESCENZI &c. *di nuovo riviſto e riſcontro con Teſti a penna dallo'* NFE-
RIGNO. *In Firenze* 1605. *appreſſo Coſimo Giunti.* 4. pagg. 576. tit. dedic. et praef. pagg. 8. ind. pagg. 12.
Atque haec ſunt opera illa ſtirpium imaginibus ornata, ex quibus, renaſcente rei herbariae ſtudio,
eius cultores informationem haurire poterant, vsque dum feliciori ſidere, priori iam ſeculi XVI. dimidio,
plures viri cordatiores et doctiores, omnes quantum ſcio (neque etiam LINNAEVS biblioth. bot. alios iſtius
aeui inter ichniographos indicat) Germani, ſtirpium deſcriptiones figuris naturae magis ſimilibus illuſtratas
cum publico communicarunt, quorum operum breuem recenſionem coronidis loco addo.

VIII. Omnium autem primus genuinas ſtirpium imagines paratas cum publico communicare coepit
1 immortalis memoriae BRVNFELSIVS, cuius opera huc pertinentia ſequenti ordine prodierunt. 1) *Herba-*
rum viuae eicones ad naturae imitationem ſumma cum diligentia et artificio effigiatae, vnacum
effectibus earundem, in gratiam veteris illius et iamiam renaſcentis herbariae medicinae per OTH.
BRVNF. *recens editae* 1530, *quibus adiecta ad calcem appendix iſagogica de vſu et adminiſtratio-*
ne ſimplicium, item index commentariorum ſingulorum. Argentorati apud Io. Schottum. Fol. praeter
2 dedic. et indic. pagg. 266. App. plagg. 14. icon. 86. 2) *Noui herbarii Tomus II. per* OTH. BRVNF.
recens editus 1531. *ibid.* pagg. 90. icon. 49. cum appendice varios aliorum auctorum commentarios conti-
3 nente pagg. 199. et ind. pagg. 5. 3) *Tomus herbarii* OTHONIS BRVNFELSII III. (poſthumus) *co-*
rollariis operi praefixis, quibus reſpondet calumniatoribus ſuis, paſſim errata quaedam priorum tom.
4 *diluens. Ibid. ap. eundem* 1536. pagg. 240. ind. pagg. 2. icon. 103. 4) Recuſus eſt ibid. apud eundem *Tom.*
5 *I. eodem titulo* et absque mutatione a. 1532. 5) *Tom. II.* vero a. 1536. eodem quidem titulo, ſed ita mu-
tatus prodiit, vt non ſolum paginis, verum etiam quatuor iconibus (*Iaceae nigrae*, *Rorismarini*, *Saluiae*, *Va-*
6 *lerianae)* ſed paruis additis differat. 6) A. 1537. ibidem apud eundem comparuit iterum *Tom. I.* a. 1532. re-
cuſus vna cum *Tom. II. et III.* a. 1536. edito, ſed hoc titulo generali praefixo: OTH. BRVNFELSII *her-*
barium tomis tribus exacto tandem ſtudio, opera et ingenio candidatis medicinae ſimplicis abſolutum:
7 qua in editione nil reperitur mutatum. 7) Tandem a. 1539. iterum *eodem titulo generali* apud eundem
prodibat hocce opus, cuius *Tom. I.* paginis quidem reſpondet praecedentibus editionibus, ſed non conten-
tis, quibus denuo acceſſerunt ſex icones (*plantaginis aquaticae*, *Dracontii maioris*, *Parietariae*, *Ariſtolochiae*,
Verbenae foeminae, *Perfoliati)* ex quibus autem quatuor vltimae totidem aliis hic omiſſis (*Boni Henrici*, *Fu-*
mariae bulboſae ſecundae ſpeciei, *Senecionis*, *Bifolii ſine flore)* ceu emendatae ſubſtituuntur. *Tom. II.* eſt idem
a. 1536. recuſus; *Tom. III.* vero etiam denuo impreſſus, paginis quidem conuenit cum eius prima editione,
ſed cotinet quatuor figuras nouas (*Aſtrantiae*, *alteram iconem Semperuiui*, *Filicis*, *Cumini*) et duas emendatas
(*Allii*, *Porri*) totidem vero etiam viliores (*Acetoſellae*, *Aniſi*) et vna (*Colchici*) prorſus omiſſa eſt. Ceterum
huius editionis vltimo tomo iterum acceſſit appendix de vſu et adminiſtratione ſimplicium in praecedenti edi-
8 tione omiſſa. Praeter has latinas editiones 8) prodiit hoc opus in germanicam linguam traductum hac inſcri-
ptione: *Contrafayt Kreüterbuch nach rechter vollkommener art, und beſchreibungen der alten, beſt-*
berümpten ärtzt, vormals in Teutſcher ſprach, der maſſen nye geſehen, noch im Truck auſsgangen.
Sampt einer gemeynen Inleytung der Kreüter vrhab, erkantnuſs, brauch, lob, und herrlicheit.
Durch OTHO BRVNNFELSS *newlich beſchrieben* 1532. *zu Straſsburg bey Hans Schotten.* fol. pagg. 332.
praemiſſ. pagg. 20. index nom. german. et morbor. pagg. 14. icon. 176. ex quibus 4. bis occurrunt. 16. no-
uae autem (p. 34. *vveiſser Augentroſt*, 90. et 92. *Teuffels Abbiſs*, 97. et 185. *Frauvven röſslin* (lychnis co-
ronaria) 102. *vveiſs Gilgen*, 112. *Blavv Gilgen*, 128. *Edler Hanen Füſs* (Geranii ſpecies) 136. *Chamillen*, 214.
Groſs Vogelkraut et *Klein Vogelkraut*, 233. *Wolffsmilch* (Eſula rotundifolia) 238. *Edler Steinbrech* (Herniaria)
241. *Schlutten* (Alkekengi) 243. *Widerthon oder Widertodt* (polytrichon aureum) 262. *Springkraut* (Catapu-
tia) 323. *Katzentreubel männlin und vveiblin*) acceſſerunt, quae in III. tomis latinis omnium editionum non
9 reperiuntur. 9) *Ander Teyl des Teutſchen Contrafayten kreüterbuchs. Durch Doctor* OTTH. BRVNN-
FELSS *zuſammen verordnet und beſchriben* 1537. *fol. ibid. ap. eundem*, pagg. 173. tit. praef. pagg. 3.
ind. pagg. 2. icon. 98. ex quibus 27. ad priorem tomum, vtpote ibidem iam deſcriptae, referuntur, et vnica,
ſcilicet p. 145. Ricinus, deſcriptione caret, ceterum 32 icones (p. 14. *Crocus* (Colchicum cum fructu) 32. *Knob-*
lauch, 36. *Zybelen* (cepa, cuius eadem icon quidem op. lat. T. III. edit. 1540. iam reperitur, ſed minor) 41.
Weiſser Senff, 48. *Mörrettig*, 62. *Reiſs* (Naſturtium hortenſe) 67. *Zyſseren* (Cicer) 75. *Römiſcher Mangold*,
76. *rother Mangold*, 84. *Weinreb*, 87. *Hartrygel* (Liguſtrum cum baccis) 88. *Schlehen*, 88. * *Wegkholder* (Iu-
niperus) 90. *Brombäeren*, 92. *Beerenkloe* (an Aſtrantia) 96. *Bertram* (Ptarmica) 98. *Diptam* (Fraxinella) 108.
Wylder Hyſop, 112. *Stabvvurtz*, 114. *Encian* (quo nomine damnoſo errore ſiſtitur icon Belladonnae) 116. *Bach-*
bunn (Beccabunga rotundifolia) 118. *Saurrauch* (Berberis cum fructu) 132. *Hauſsvvurtz* (Sedum maius) 137.
Beervvurtz, 138. *Nept*, 139. *Peonien Roſen*, 140 *Hopff* (Lupulus) 142. *Weiſse Nyeſsvvurtz* (an Arnica) 144. *Geyſs-*
blatt (Caprifolium) 145. *Wunderbaum* (Ricinus) 146. *Roſen*, 148. *Röte* (an Carthamus) nouae ſunt. Praefa-
tio docet, hunc tomum poſt auctoris obitum in lucem prodiiſſe, et illarum plantarum, quae poſtea latinis to-
mis acceſſerunt, deſcriptionem latinam ex ſchedis auctoris relictis Doct. MICH. HERR adornaſſe. His operi-
10 bus accenſendus adhuc eſt 10) liber, cui titulus: *In* DIOSCORIDIS *hiſtoriam herbarum certiſſima adapta-*
tio, cum earundem iconum nomenclaturis graecis, latinis et germanicis. Der kreüter rechte war-
hafftige contrafactur, erkanntnuſſ, und nahmen kryechiſch, latiniſch und teutſch, nach der beſchrei-
bung DIOSCORIDIS 1543. *Argentorati Io. Schottus aere perennius dedit.* fol. pagg. 372. ſed falſo calculo:
ſiquidem pagg. 108. ad 111. et pagg. 244. ad 299. omiſſae ſunt, et quidem non ſolum in meo exemplari, ve-
rum etiam in alio collato. Accedit index plantarum, nominum latinorum, temporis quo florent et quo colli-
gendae, naturae ſeu complexionis eiusque graduum, et loci vbi creſcunt pag. 14. Continet nempe hic liber
314 icones, ex quibus 271. eaedem ſunt, quae in BRVNFELSII operibus vel latinis vel germanicis apud eun-
dem

Otho Brunfels Contrafayt Kreüterbuch Tom I. 1539. Tom II 1540
Strasburg bey Hans Schotten. 4 minus. iconibus parvis, saepe pessimis.

dem typograghum excuſis reperiuntur, ſi excipias quinque (ſecundae edit T. II. p. 63 *Roſmarinum*, 92. *Saluiam*, primae edit. T. III. p. 105. *Aniſum*, p. 135. *Allium*, Germ. edit. T. II. p. 40. *Sinapi*) quae hic eodem quidem habitu, ſed magnitudine aucta, ſiſtuntur; reliquae vero quadraginta tres (p. 27. *Cicuta*, 28. *Ruta montana* (Thalictrum) 78. *Aloe*, 79. *Sena*, 81. *Sambucus*, 96. *Helix* (Bryonia baccis rubris) 113. *Omphalocarpon* (Aparine) 114. *Solidago Saracenica*, 115. *Stichas vel ſtoechas* (an Cinara) 146. *Ribes*, 161. *Hympkör* (Rubus idaeus), 162. *Vitis alba* (Bryonia baccis nigris), 170. *Cyclaminus* (Lathyrus aruenſis tuberoſus), 178. *Hieracium paruum*, 179. *Androſemon* (Hypericum Androſaemum dictum), 196. *Ein Waſſerkraut forte Waſſer Epff* (Apium paluſtre), 197. *Nardus indica* (Lauendula latifolia), 198. *Pſeudonardus*, *lauendula* (Lauendula anguſtifolia), 200. *Anethum*, 201. *Blitum*, 202. *Betonica pratenſis* (Caryophyllus ſylueſtris) et *Betonica ſylueſtris* (Lychnis flore laciniato), 206. *Ocimum minus*, 217. *Aconitum pardalianches* (Paris), 219. *Tuſago* (Chamaedrys montana), 307. *Sanct Catharinen Blüm* (Nigella aruenſis) et *Weinkraut* (an Lycopodium), 313. *Abſinthium marinum*, 314. *Abrotanum foemina*, 315. *Ononis*, 316. *Heracleotica*, *nux auellana*, 317. *Cypreſſus* (an Chamaepitys, parua icon), 319. *Narciſſus* (planta flore radiato ex icone non cognoſcenda), 321. *Lyſimachia* (quadrifolia lutea), 322. *Pteris*, *Filix mas* (an Polypodium), 328. *Centummorbia* (Numularia), 352. *Spatula foetida* (falſa icon mihi ignota), 353. *Polygonum*, 356. *Vergiſs mein nit* (Echium ſcorpioides paluſtre), 358. *Veratrum album*, 361. *Ruta ſylueſtris mas* (Thalictrum), 366. *Telephium*, *Craſſula maior*, *Aizoum ſylueſtre* (an Baccharis), 372. *Brennkraut* (an Galeopſis calycibus aculeatis) acceſſerunt, quum omiſſae ſint e contrario decem et ſeptem (*Plantago rubea* T. I. p. 25, *Chamaedrys* 125, *Bifolium* absque flore 183, *Gänsblümlein* (Alyſſi ſpecies) T. II. p. 34., *Vnifolium* 68, *Pentaphyllon* app. 215, *Elichryſon* T. III. p. 114, *Centauria* (Centaurium minus) 125, *Cuminum* 138, *Chaerefolium* 141, *Origanum* 159, *Millefolium paruum* 171, *Napus* 193, *Siſer* 198, Germ. edit. T. I. *Napi* alia figura p. 45, *Thymus* 109, *Wilde vvelſche bohnen* (Lychnidis ſpecies) 119) quae memorata opera continent. Ceterum huius libri ſingulis ſtirpibus nuda tantum nomina graeca, latina et germanica adduntur ſaepiſſime correcta, vnde etiam ſpecies vnius generis accuratius coniunguntur; ſeruantur tamen multorum nomina falſa et praecipue etiam illud Gentianae p. 87. Belladonnae imagini iterum adſcriptum. Pag. 221. ad 312. inſeruntur plantarum nondum cognitarum deſcriptiones ex DIOSCORIDE in germanicam linguam verſae. Quoniam huic libro nulla praefatio nec alia informatio praefixa eſt, incertum manet, cuius ope vſus ſit typographus in illis, quae ad correctionem et auctionem eius pertinent. Ceterum adhuc moneo, SEGVIERIVM p. 54. hunc librum annumerare FVCHSII operibus, deceptum a catalogo bibliothecae Riuinianae ab ipſo citato, vbi p. 577. no. 6419. Fuchſii opera botanica ſequitur.

IX. Eodem tempore, quo BRVNFELSIVS rem herbariam egregie illuſtrauit, pari ſtudio eundem ſcopum ſibi praefixit TRAGVS ſiue, quod germanica lingua idem ſignificat, BOCK, quem SEGVIERIVS p. 15. BOACK perperam ſcribit: quousque tunc temporis iam in diſtinguendis ſtirpium nomenclaturis penetrauerit, ſatis docet eiusdem epiſtola ad BRVNFELSIVM a. 1531. data et huius herbarii Tom. II. append. p. 272—281. inſerta. Operum, quae ipſemet edidit, ſequentes poſſideo editiones. 1) *New Kreütter Buch, von underſcheydt, wurckung und namen der kreütter ſo in Teutſchen landen wachſen. Auch derſelbigen eygentlichen und wolgegründten gebrauch in der Artznei, zu behalten und zu fürdern leibsgeſundheyt faſt nutz und tröſtlichen, vorab gemeynem uerſtand. Beſchriben durch HIERONYMVM BOCK aus langwiriger und gewiſſer erfarung, und gedruckt zu Straſsburg, durch Wendel Ribel. Im Iar 1539.* fol. Pars I pagg. 174. auerſis non numeratis. Praemiſſ. ind. pagg. 20. Pars II. pagg. 88. ind. pagg. 8. Capita 200. deſcribere 478 plantas, ipſa indicat praefatio; ſed tot capita comprehendit pars I. et 119. pars II: caret autem haec editio iconibus. 2) *Kreutter Buch. Darin Unterſcheid, Wurckung und namen der kreuter, ſo in Deutſchen landen wachſen, auch derſelbigen eigentlicher und wolgegrundter gebrauch inn der Artznei fleiſſig dargeben, Leibsgeſundheit zu behalten und zu furdern ſeer nutzlich unt tröſtlich, vorab dem gemeinen einfältigen man. Durch H. HIERONYMVM BOCK aus langwiriger und gewiſſer erfarung beſchriben, und jezund von newen fleiſſig uberſehen, gebeſſert und gemehret, dazu mit hüpſchen artigen Figuren allenthalben gezieret &c.* ad calcem: *gedrukt zu Straſsburg bey Wendel Ribel 1546.* fol. pagg. 353. auerſis non numerat. icon. 477. (inter quas cap 42. p. 51. b, vbi de aquilegia agit, icon quoque *Rhapontici enulae folio* nomine *Rapontic* occurrit, quae in omnibus ſequentibus editionibus omiſſa eſt.) praemiſſ. cum indic. pagg. 38. Pars I. iterum comprehendit cap. 200.; ſed P. II. 150. Hanc eſſe primam huius autoris editionem figuris ornatam, teſtatur typographi praefatio eodem a. 1546. ſcripta, vbi indicat, ſe ante 3. annos de figuris addendis ſollicitum fuiſſe, ex quo ſimul patet, eum curam earundem habuiſſe, id quod probabilius redditur ex eo, quod auctor in ſua praefatione et dedicatione eodem anno conſignata figurarum nullam plane mentionem facit: hinc vbicunque hae figurae illarum BRVNFELSII aut FVCHSII (de quibus artic. ſequ.) imitationes tantum ſunt, plagium hoc forte non auctori ſed typographo tribuendum eſt. SEGVIERIVS l. c. ex Cat. bib. Lugd. bat. editionem eiusdem anni ibidem excuſam titulo longe alio recenſet, quo elementorum, quadrupedum, auium et piſcium ſimul mentio fit; ſed nullum aliud exemplar in citato catalogo reperire potui, quam p. 131. ſolo hoc titulo: *HIER. BOCK Kreuterbuch. Straſsb. 1546. fol.* de erroris origine conf. numerum 8. mox ſequentem. 3) HIERON. TRAGI *de ſtirpium, maxime earum, quae in germania noſtra naſcuntur, vſitatis nomenclaturis, propriisque differentiis, neque non temperaturis ac facultatibus, commentariorum libri tres, germanica primum lingua conſcripti, nunc in latinam conuerſi, interprete DAVIDE KYBERO Argentinenſi. His acceſſerunt a fronte praefationes duae, altera D. CONR. GESNERI &c. rei herbariae ſcriptorum, qui in hunc vſque diem ſcripſerunt, catalogum complectens: altera ipſius Authoris, herbariae cognitionis laudes, et alia nonnulla ſcitu tum neceſſaria, tum iucundiſſima, continens. Praeterea corollarii vice ad calcem operis adiectus eſt BENED. TEXTORIS Seguſiani de ſtirpium differentiis ex DIOSCORIDE ſecundum locos communes libellus &c. Ad haec indices ſex: quibus non tantum nomenclaturae graecae, latinae, germanicae, arabicae, hebraicaeque, ſed et morborum curationes optimo ordine indicantur, ſubiunximus. Argentorati excudebat Wendelin. Ribelius anno 1552.* 4. pagg. 1200 praemiſſ. pagg. 66. indic. pagg. 62. Hac editione continentur eaedem no. 2. icones et 15. nouae (p. 13. *meliſſa vulgaris*, 130. *polygonaton*, *Lyduveich*, 144. *Bellis maior*, 167. *Pſyllium*, 297. τιθύμαλος κυπαρισσίας, 312. *Prunel-*

la (Bugula), 464. *vulgare apium*, 523. *iecoraria*, 678. *gramen*, 781. *orchis foemina altera*, 790. *ἀσφόδιλος*, 832. *cucumis ſilueſtris*, 841. *tribulus aquaticus*, 863. *acanthus ſeu branca vrſina italica vera*, 876. *cuminum ſatiuum*) vt et 3. emendatae (p. 406. *elleborus niger verus* (adonis), 543. *filicis maioris alterum genus* (oſmunda), 904. *Sphatula foetida*) nec non totus liber III. a p. 939. ad 1127. capitt. 80. et figg. 76. arborum et fruticum potiſſimum hiſtoriam tradens. Ceterum icones L. I. et II. totidem capitibus et eodem ordine ac in no. 2. recenſentur, ſi excipias illas p. 37. 72. f. 1. 729. 772. 778. 814. 885. alio nomine et loco expoſitas. Praefatio TRAGI noua et multo prolixior, ſed ſine die et conſule data, cap. XI. de artifice, qui figuras delineauit haec commemorat: *noſtros vero commentarios iconibus illuſtrauit adoleſcentulus quidam Argentinenſis Dauid Kandel nomine. Is enim Wendel. Ribelii noſtri ſumptibus ad me Hornbachium conceſſit, vbi herbarum fruticum, arborumque imagines ſimpliciſſime, ſed et ad imitationem viuarum ſtirpium, quas illi proponebam, diligentiſſime expreſſit &c.* 4) *Verae atque ad viuum expreſſae imagines omnium herbarum, fruticum et arborum, quarum nomenclaturam et deſcriptiones HIER. BOCKIVS in ſuo tum germanico, tum latinitate donato ac recens aedito Herbario comprehendit, nunc primum hac minori forma in gratiam et vtilitatem omnium herbariae rei ſtudioſorum excuſae*, cum ſubſcripto hoc ipſo titulo germanice reddito. *Straſsburg bei Wendel Rihel 1553.* 4. pagg. CCCXXXIII. continet eodem ordine omnes icones no. 3. vnica Acanthi omiſſa, cum appoſito nomine latino et germanico. Tituli pagina auerſa oſtendit auctoris effigiem, et ad calcem adiectus eſt index nominum germanicorum pagg. 6. ceterum praefatione et omni deſcriptione caret. 5) *Kreuter Buch, darinn Unterſcheid, Nahmen und Würckung der Kreütter, Stauden, Hecken und Beümen, ſampt ihren Fruchten, ſo in teutſchen landen vvachſen &c.* iisdem verbis ac no. 2 ad calcem: *Straſsburg durch Joſ. Ribel 1560.* fol. pagg. 413. auerſis non numeratis, praemiſſ. indic. pagg. 48. In hac editione omiſſae ſunt editionis 2. 3. 4. figurae 15. ſequentes: *vulgare rapum alterum ſ. rot Rüben, Vicia, lilium album, cuſcuta*, edit. no. 3. *acanthus*, edit. no. 3. et 4. *pſyllium, gramen, orchis foemina altera, aſphodelus, tribulus aquaticus, cuminum ſatiuum, ſphatulae foet. icon emendata, thymelaea, ſebeſten, iuiubae.* 6) *Eodem titulo, ibidem per eundem 1565.* nec paginis nec contentis, nec figuris differt a no. 5, ſi excipias iconem *viciae, cuſcutae, ſphatulae foet. emendatae, thymelaeae, ſebeſten, iuiubarum* ex edit. no. 2. 3. et 4. additas. 7) *Eodem titulo ibid. per eundem 1572.* differt pagg. 369. auerſis non numeratis, contenta autem cum figuris reſpondent no. 6., ſi vnicam *tribuli aquatici* figuram ex edit. no. 3. et 4. additam excipias. 8) *Eodem titulo* cum hoc additamento: *item von den vier elementen, zamen und wilden thieren, auch Vögeln und Fiſchen, Milch, Käs &c. alles durch H. HIER. BOCK aus langvviriger und gevviſſer erfahrung beſchriben. Jetzund aufs nevv mit allem Fleiſs überſehen und mit vielen nützlichen Experimenten gebeſſert und gemehret, auch vvie man die Kreütter zu rechter Zeit ſamlen und diſtilliren ſoll. Durch MELCHIOREM SEBIZIVM &c. ſampt fünff nützlichen Regiſtern, ibid. per eund. typograph. 1580.* fol. pagg. 450. auerſis non numeratis, praemiſſ. cum ind. plantar. nominum graecor. arabic. latinor. et germanicor. pagg. 60. virtutum pagg. 44. Differt haec editio a praecedentibus praefatione SEBIZII d. d. 14. Aug. 1577. data, inſtructione de plantarum collectione et aquis ex illis deſtillandis inter praemiſſa contentis, vt et Parte IV. pag. 397. ſeqq. quae antea ſigillatim iam excuſa fuit. Reliquum et quod ad ſtirpes proprie pertinet opus, praeter virtutum expoſitionem paullo prolixiorem, figuris conuenit cum no. 5. ſi excipias 6. icones (p. 35. *gefüllter Hanenfüſs*, p. 43. *Wild Nigella*, p. 54. *Krottendill*, p. 122. b. *klein Stabvvurtz*, p. 294. b. *melonen* p. 315. *mondragora Weiblein*) et vnam (p. 295. *Peponen*) mutatam. 9) *Kräutterbuch, weylandt des weitberhymten und hocherfahrnen Herren HIERONYMI TRAGI, genant BOCK, auf vielfaltiges begeren und freundliches Erſuchen mit Vleiſs überſehen und mit der kräutter zunamen vrſachen, qualiteten, deren gradibus, gebrauch in den Apotecken in ſehr vielen innerlichen und äuſſerlichen experimentis gemehret und gebesſert durch MELCHIOREM SEBIZIVM &c. ſampt angehenckten Speiſskammer ermelten Herrn H. BOCKEN, darinn aber für diſsmal nichts geändert vvorden. Straſsburg in Verlegung Wilhelm Chriſtian Glaſers 1630.* fol. pagg. 892. praemiſſ. p. 47. indic. pagg. 79. P. IV. pagg. 94. ind. pagg. 8. Huius editionis titulus aeri inciſus eſt et eius curam habuit MELCH. SEBIZII filius eiusdem nominis. Figurae omnes ſunt eaedem ac no. 8. Quae pater eius addidit, littera s. et quae filius adiecit * notata ſunt, ad quem porro pertinent ſynonyma plantarum ex aliis auctoribus collecta et ad margines notata. Omnes hae editiones (no. 5—9) continent TRAGI praefationem eandem, quam no. 3. exhibuit, germanice compoſitam cum ſubſcripto d. 4. Febr. a. 1551. Eodem etiam anno operis huius editionem germanico ſermone recuſam eſſe, indicat SEBIZIVS filius in ſua praefatione, quam editionem nondum vidi neque etiam a LINNAEO et SEGVIERIO annotatam reperi. Praeter has SEGVIERIVS p. 15. aliam editionem germanici operis in fol. a. 1580. et 1586. itemque imaginum (no. 4.) in 4. a. 1554. indicat, quae etiam ad manus meas nondum peruenerunt.

X. Tertius vtiliſſimi huius inſtituti ſocius erat LEONARDVS FVCHSIVS, vel propterea praeſtantior, quod primus excuſſerit inueteratum illud praeiudicium, DIOSCORIDEM omnes nouiſſe plantas, omnesque plantas, quas nouit, vbique creſcere. Primitiae ſcientiae ſuae ſunt *Annotationes aliquot herbarum et ſimplicium a medicis hactenus non recte intellectorum*, quae cap. 34. comprehenſae extant in Brunf. herb. T. II. app. a p. 129. ad 155, quae vero epitome tantum ſunt earum, quas inter alias, ad materiam ſic dictam medicam non pertinentes, continet huius auctoris libellus Haganoae in aedibus Io. Secerii a. 1530. impreſſus hoc titulo: *Errata recentiorum medicorum LX. numero, adiectis eorundem confutationibus in ſtudioſorum gratiam iam primum aedita.* 4. pagg. 79. auerſis non numeratis. Operum eius botanicorum editiones in mea bibliotheca aſſeruantur ſequentes: 1) *de hiſtoria ſtirpium commentarii inſignes, maximis impenſis et vigiliis elaborati, adiectis earundem viuis plusquam quingentis imaginibus, nunquam antea ad naturae imitationem artificioſius effictis et expreſſis, LEONHARTO FVCHSIO autore &c. Acceſſit iis ſuccincta admodum vocum difficilium et obſcurarum paſſim in hoc opere occurrentium explicatio. Vnacum quadruplici indice, quorum primus quidem ſtirpium nomenclaturas graecas, alter latinas, tertius officinis ſeplaſiorum et herbariis vſitatas, quartus germanicas continebit. Baſil. in officina Iſingriniana 1542.* fol. mai. capp. 343. pagg. 896. ic. 512. praemiſſ. cum auctoris effigie p. 28. Acced. ad calcem effigies Henr. Füllmaureri et Alb. Meyeri pictorum, nec non Viti Rud. Speckle ſculptoris ſuper vna pagina. 2) *New Kreuterbuch, in vvelchem* *mit*

nit allein die gantz hiſtori, das iſt, nahmen, geſtalt, ſtatt und zeit der vvachſung, natur, krafft und vvürkung, des meyſtentheyls der kreüter ſo in teutſchen und andern landen vvachſen, mit dem beſten Vleiſs beſchriben, ſonder auch aller derſelben vvurtzel, ſtengel, bletter, blümen, ſamen, frücht, und in ſumma die gantze geſtalt, alſo artlich und kunſtlich abgebildet und contrafayt iſt, das deſsgleichen vormals nie geſehen, noch an tag kommen. Durch LEONHART FVCHSEN &c. *Mit dreyen nützlichen Regiſtern &c. Baſel durch Mich. Iſingrin 1543.* fol. mai. capp. 346. pagg. 345., inter quas (ſecus ac in latina editione) non numerantur illae iconum, quarum reperiuntur CCCCCXV. vel potius XVIII: numerus XXIII. enim duabus figuris additus eſt, figura poſt XII. numero caret et figuras 357. et 358. vna pagina continet. Acceſſerunt ergo huic editioni ſex icones (c. 7. f. 12. * *Hünerbiſs*, c. 11. f. 23. *ſpiziger vvegerich*, c. 186. f. 276. *vvilder meerhirſs*, c. 210. f. 315. *knabenkraut vveible das mittel*, c. 325. f. 482. *vveiſs mertzenblüm*, c. 344. f. 512. *kuchenſchell*) nouae. Ceterum figurae vtriusque editionis ſunt eaedem, et ſingulae integram folii paginam magnitudine aequant, iis tantum exceptis, quarum exemplaria natura ſua minora ſunt: paucae in edit. no. 2. aliis nominibus et alio ordine reperiuntur. Qui has icones cum illis TRAGI confert, facile deprehendit, illarum vt et earum a SEBIZIO additarum, magnam partem imitationes tantum harum eſſe. 3) *Laebliche abbildung und contrafaytung aller kreuter, ſo der hochgelert Herr* LEONHART FVCHS, *der Artzney Doctor, inn dem erſten theyl ſeines neuvven kreüterbuchs hat begriffen, in ein kleinere form auff das allerartlicheſt gezogen, damit ſie füglich vonn allen mögen hin und vvider zur notürfft getragen und gefürt vverden. Gedr. zu Baſell durch Mich. Iſingrin 1545.* 4) LEONHARTI FVCHSII *medici, primi de ſtirpium Hiſtoria commentariorum tomi viuae imagines, in exiguam anguſtioremque formam contractae, ac quam fieri poteſt artificioſiſſime expreſſae, vt quicunque rei herbariae radicitus cognoſcendae deſiderio tenentur, eas vel deambulantes vel peregrinantes in ſinu commodius geſtare, adque natiuas herbas conferre queant. Vnacum duplici indice, quorum primus ſtirpium nomenclaturas latinas, alter vero germanicas continet. Baſileae 1545.* 5) *Plantarum et ſtirpium icones* LEONHARDI FVCHSII, *medici et botanici celeberrimi, exquiſite ſimul et artificioſe in manualem hanc epitomen, Phytologiae ſtudioſis percommodam, congeſtae: adiecto omnium quae continentur indice diligentiſſimo. Lugduni 1595.* Hae tres (3. 4. 5) libri in 8. pagg. 516. prodierunt, ad quam magnitudinem icones etiam redactae ſunt, ſatis quidem exemplari illarum no. 1. et 2. reſpondentes, ſed ob imminutam magnitudinem non omnia tam clare repraeſentantes, atque praeterea, more artificum, figuras denuo ſculpentium, inuerſae. Ipſae figurae in ſingulis ſunt eaedem, atque omnes illae, quas no. 1. et 2. continet, vnica (*Verbenaca recta ſiue mas* no. 1. p. 592. et no. 2. fig. 236.) excepta hicque omiſſa, vt adeo 517. (p. 361. nempe duas) icones contineant. Singulis his, ſine vlla deſcriptione, additum eſt nomen latinum et germanicum, paucis aliud, quam in no. 1. et 2, quae propterea etiam alio ordine occurrunt. Ceterum no. 3. a 4. et 5. non differt niſi titulo et praefatione germanica. Prodiiſſe autem no. 3. et 4. auctoris conſenſu, docet eiusdem praefatio praefixa, prior d. 10. Auguſti, poſterior d. 2[?]. eiusdem ſcripta. Prioris tomi no. 3. et 4. mentio fit, quia auctor ſibi propoſuit alterum quoque edere, atque etiam iam multas icones illi deſtinatas parandas curauit, quae nunc ad manus D. D. IO. GESNERI, Tiguri Canonici et medicinae Profeſſoris celeberrimi peruenerunt. conf. ill. HALLERI Praef. ad opus Weinmann. §. VIII. nota k. 6) *de hiſtoria ſtirpium commentarii inſignes maximis impenſis et vigiliis elaborati,* LEON. FVCHSIO *authore: ſcholiis in ſingula prope capita longe vtiliſſimis a viro quodam medicinae doctiſſimo adiectis et plantarum voces gallicas paſſim exprimentibus. Acceſſit iis ſuccincta admodum vocum difficilium et obſcurarum paſſim in hoc opere occurrentium explicatio. Vnacum triplici indice* (germanico omiſſo) *&c. Pariſiis apud Carolum Guillard 1547.* 12. p. 492. auerſis non numeratis, praemiſſ. et ind. pagg. 32. 7) *de Hiſtoria ſtirpium commentarii inſignes* LEONH. FVCHSIO *autore. Acceſſit iis ſuccincta &c.* vt no. 6. *Adiecimus praeterea indicem vulgarium ſeu gallicarum dictionum, nunquam antea excuſum. Lugduni ap. Guil. Gazelum 1547.* 12. p. 957. praemiſſ. et ind. pagg. 20. vocum explic. pagg. 16. 8) *eodem titulo* et addito: *vnacum quintuplici indice, graecas, latinas, herbariis ſeu officinis vſitatas, gallicas et italicas nomenclaturas continente. Lugd. ap. Io. Tornaeſium et Guil. Gazelum 1555.* 12. pagg. 976. praemiſſ et ind. pagg. 48. voc. expl. pagg. 15. Hae editiones (6. 7. 8.) figuris carent. 9) *De Hiſtoria ſtirpium commentarii inſignes. Adiectis earundem viuis et ad naturae imitationem artificioſe expreſſis imaginibus,* LEONH. FVCHSIO *autore. Acceſſit iis ſuccincta admodum vocum quarundem &c. explanatio. Triplex item index. Prior ſtirpium latinas nomenclaturas, alter officinis et vulgo vſitatas, tertius gallicas dabit. Lugd. apud Balthaz. Arnoletum 1549.* 8. pagg. 852. icon. 512. praemiſſ. cum ind. et auct. effigie pagg. 29. voc. expl. pagg. 11. Haec editio ad exemplar no. 1. recuſa eſt, ſed figurae eousque imminutae ſunt, vt longitudine vix 3 pollices ſuperent adeoque ad vſum prorſus ineptae ſint. 10) *Commentaires tres excellens de l'hiſtoire des plantes, compoſez premierement en latin par* LEONARTH FOUSCH (corrupto nomine) *medecin tres renomé. Et depuis, nouuellement traduitz en langue Francoiſe, par vn homme ſcavant et bien expert en la matiere* (in Regis priuilegio adpreſſo nominatur ELOY MAIGNAN, Docteur en la faculté de medecine a Paris) *a Paris, chez Jaques Gazeau 1549.* fol, ſine paginis. Conſtant autem praemiſſa cum indice nominum gallicorum et latinorum vt et virtutum pagg. 22. opus ipſum pagg. 554. icon 512. quod ad normam editionis latinae no. 1. compoſitum eſt ideoque totidem icones continet, quae vero ſunt eaedem ipſae in minorem formam redactae, quas no. 3. 4. et 5. oſtendunt, omiſſis illis, quae no. 2. acceſſerunt.

XI. Inter primos, qui rem herbariam imaginibus illuſtrarunt, fuit quoque CHRISTIANVS EGENOLPHVS, Francofurti ad Moenum bibliopola notiſſimus. Iam a. 1533. enim coepit, anticuum herbarium germanicum a RHODIONE emendatum nouis et naturae ſimilioribus figuris ornare, quas ſucceſſu temporis emendare et augere continuauit, conf. articul. ſuper. IV. no. 13—16. Has easdem figuras etiam ſigillatim in publicum edidit hoc titulo: 1) *Herbarum imagines viuae, der kreuter liebliche conterfeytunge. Francof. Chr. Egenolphus excudebat,* ad calcem, 1535. 4. foliis 40. ſeu pagg. 80. ind. lat. et germ. pagg. 7. figg. 226. Recudebatur absque mutatione a. 1538. 2) *Imaginum herbarum Pars II. Ander Theil der kreütter conterfeytungenn. Ibid. 1536.* foliis 20. ind. pagg. 3. figg. 65. Praeter figuras nil continet hic li-

3 bellus, quam nomina germanica et latina, atque haec ſaepius adhuc barbare ſcripta. 3) Super his ipſis figuris deinde commentatus eſt DORSTENIVS in opere, ſuperiori catalogo iam citato, cui titulus: *Botanicon, continens herbarum, aliorumque ſimplicium, quorum vſus in medicinis eſt, deſcriptiones, et iconas ad viuum effigiatas: ex praecipuis tam graecis quam latinis authoribus iam recens concinnatum. Additis etiam, quae Neotericorum obſeruationes et experientiae vel comprobarunt denuo, vel nuper inuenerunt. Aut. THEODERICO DORSTENIO, medico. Francofurti Chriſtianus Egenolphus excudebat.* fol. foliis 306. ſeu pagg. 612. ic. 284. Huius operis vnica tantum editio mihi nota eſt. Poſſideo quidem eiusdem duo exemplaria, quorum vnum praefixum habet ſimplicem inſcriptionem addito typographi ſigno, alterum eandem, cum iconibus martagi, ſcrophulariae et papaueris erratici ſubiunctis, operi ipſi tamen iterum inſertis, ornatam; ſed vtrumque eandem praefationem, kalendis Martii 1540. datam, et ad calcem eundem impreſſionis annum 1540. oſtendit, ceterum etiam nullam differentiae notam exhibet. 4)
4 Paullo poſt ex eadem typographia prodierunt *PED. DIOSCORIDIS de medica materia libri ſex, IO. RVELLIO interprete &c. additis annotationibus per GVALTH. H. RYFF, Acceſſ. ſcholia noua cum nomenclaturis graecis, latinis, haebraicis, germanicis, IO. LONIOZERO auctore 1543.* fol. pagg. 439. icon. 595. Lonic. ſchol. pagg. 174, cui operi hae ipſae figurae, et multae earum maiores, plures quoque recens fa-
5 ctae inſertae ſunt, 5) et quum *idem opus eodem titulo* (mutato tamen nomine RYFF in RIVIVM et additis VAL. CORDI annotationibus, itemque EVRICI CORDI iudicio de herbis et ſimplicibus medicinae &c. et CONR. GESNERI nomenclaturis DIOSCORIDI adſcriptis &c.) *ibid. 1549.* fol. pagg. 448. reliquar. a p. 449. ad 554. recuderetur, nu-
6 merus harum plantarum imaginum ad 786. vſque auctus eſt. 6) Anno ſequenti 1550. idem Egenolffus nouam parauit Herbarii germanici editionem (art. IV. 16.) in qua hae ipſae icones maximam partem iterum comparuerunt. 7)
7 Anno 1551. edidit ADAMVS LONIZERVS, Egenolffi gener, ſui operis hiſtoriae naturalis Tom. I. et a. 1555. Tom.
8. 9 II. (vid. hoc nomen catal. I.) quod opus iisdem iterum figuris refertum eſt. 8. 9.) Tandem duae adhuc Herbarii germanici editiones prodierunt eiusdem LONICERI curis in meliorem ordinem redactae (art. IV. 17. 18) id quod opus poſtea ſaepius recuſum fuit praefixo LONICERI nomine, (conf. SEGVIERII *Biblioth. bot. p. 111.*)
10 cuius ſequentes, omnesque germanica lingua et in folio excuſas poſſideo editiones. 10) *Kreuterbuch, kunſtliche conterfeytunge der Bäume, Stauden, Hecken, Kreuter, Getreyde, Gewurtze, mit eigentlicher Beſchreibung derſelben Namen in ſechſerley Spraachen, nemlich Griechiſch, lateiniſch, Italiäniſch, Franzöſiſch, teutſch, und hiſpaniſch, und derſelben Geſtalt, naturlicher Krafft und Wurckung. Sampt kunſtlichem und artlichem Bericht des Deſtillirens. Item von furnembſten Gethieren der Erden, Vögeln, und Fiſchen. Deſsgleichen von Metallen, Ertze, Edelgeſteinen, Gummi, und geſtandenen Säfften. Ietzo aufs fleiſſigſt zum letztenmal von neuwem erſehen und durchauſs an vilen Orten gebeſſert, auch weit uber vorige Edition gemehret, mit vollkommenen nützlichen Regiſtern alles Innhalts. Durch* ADAMVM LONICERVM. *Francof. ap. Chriſtian. Egenolffi haeredes 1582.*, quae omni-
11 no vltima fuit, quam ipſe Lonizerus auctiorem reddidit. conf. dedic. editionis no. 13 ſequentis. 11) *Eodem titulo*
12 *ibid. 1598.* 12) *Eodem titulo ibid. per Sigism. Latomum, impenſis Vincentii Steinmeyers* 1604. Hae tres editiones foliis 382. ſeu pagg. 763, vt et contentis et ſtirpium figuris 908. a ſe inuicem non differunt. 13)
13 *Eodem titulo* cum hoc additamento: *bishero von H. ADAMO LONICERO &c. zum öfftermal in offenen Truck verfertiget worden, nunmehr aber durch PETR. VFFENBACHIVM &c. auf das fleiſſigſt überſehen, corrigirt und verbeſſert, an vielen Orten augirt und vermehrt, und in acht ſonderbare Theil unterſchieden, ſampt dreyen unterſchiedlichen vollkommenen nützlichen Regiſtern alles ſeines Innhalts hierzu dienlich. Ibid. per Matthaeum Kemffer, ſumpt. Vincentii Steinmeyers* 1630.
14 14) *Eodem titulo apud Mich. et Io. Frid. Endter, bibliopolas Norimbergae, praelo Matth. Wagneri, Vlmae*
15 *typographi* 1678. 15) *Eodem titulo Vlmae typis et ſumptibus Matthaei Wagneri 1679.* Hae editiones (13. 14. 15) iterum pagg. 750. et ſtirpium figuris 840. a ſe inuicem non differunt; VFFENBACHII vero correctio
16 ad explicationem et remotionem quarundam iconum inutilium tantum pertinet. Neque etiam 16) recentiſſima illa editio, in catalogo I. *Lonizeri* nomine citata, ab his vllatenus differt, niſi cel. EHRHARTI additamentis ibidem indicatis. Quod ad ſtirpium figuras ſigillatim attinet, multae ex primis Egenolffianis in omnibus his editionibus adhuc reperiuntur, ex quo facile patet, quoties Egenolffianae figurae a RHODIONIS tempore, adeoque duorum ſeculorum ſpatio, non ſolum in repetitis editionibus vnius operis, verum etiam in diuerſis operibus, publico obtruſae fuerint, maximam partem a BRVNFELSIO, FVCHSIO, TRAGO aliisque mutuatae, id quod ipſe FVCHSIVS virgula cenſoria notat tum in praefatione operis ſui latini, tum in ſchediaſmate peculiari hoc titulo euulgato: *Apologia LEON. FVCHSII, qua refellit malitioſas GVALTHERI RYFFI, veteratoris peſſimi, imputationes, quas ille DIOSCORIDI nuper ex EGENOLPHI officina prodeunti attexuit; obiterque quam multas, imo propemodum omnes, herbarum imagines e ſuis de ſtirpium hiſtoria inſcriptis commentariis idem ſuffuratus ſit, oſtendit. Baſileae ap. Mich. Iſing.* (rin) *1544.* 8. plagg. 4. cum dimid. ſeu pagg. 64.

XII. Plures adhuc libros ſtirpium imaginibus illuſtratos eodem tempore in publicum hinc inde prodiiſſe, nullum eſt dubium; num vero aliqui eorum, praeter figuras ab auctoribus hactenus recenſitis deſumtas, peculiares notatu dignas et ad ſtirpium cognitionem quicquam conferentes contineant, me latet. Veroſimile e contrario eſt, typographos tantum tales ornamenti potiſſimum cauſſa addidiſſe. Probant hoc certe
1 opera ſequentia 1) *Kreutter-Buch des hochberümpten* PEDACII DIOSCORIDIS *Gründliche und gewiſſe Beſchreibung aller materien oder Gezeugs der Artznei, das iſt, nicht allein der kreutter, ſonder auch alles, was ſonſt in der Artznei gebreuchlich iſt, in ſechs büchern verfaſst, ietzt erſtmals aus der griechiſchen und lateiniſchen Sprachen gründlich verteutſcht durch* IOHAN DANTZEN *von* AST, *der Artzney Doctor &c. Franckfurt am Mayn bei Cyriaco Iacobi zum Bart, a. 1546.* pagg. 198. auerſis non numeratis, icon. 273. praemiſſ. p. 17. Figurae inaequales, maximae quinque pollices longitudine
2 vix ſuperant, omnes autem Egenolffianis ſimillimae ſunt. 2) *Ein newer ALBERTVS MAGNVS. Von Weibern*

Weibern und Geburten der Kinder ſampt iren Artzneien. Von tugenden etlicher furnemer Kreuter. Von Krafft der edlen Geſtein. Von Art und Natur etlicher Thier. Mit ſampt eim bewerten Regiment für die Peſtilentz. Alles von newen gebeſſert durch Q. APOLLINAREM. 1549. *ſine loco et typographi nomine* 4. pagg. 44. auerſis non numeratis, ic. plant. 36. ind. pagg. 4. 3) 3
ALBERTVS MAGNVS, darin durch ſechs kurtzer büchlein vil kleinlichkeiten der natur beſchriben werden. I. von weibern und geburten der kinder &c. II. von des groſſen Alexanders Kreutter (der ſyben Planeten kreutter genant) ſampt iren eigenſchafften und vermögen. III. von Krafft und würckung der Edelgeſtein &c. &c. Jetzunder von newen gemehrt und gebeſſert durch Q. (QVINTVM) *APOLLINAREM M. D. Argentor. per Wendel Ribel* 1551. 4. pagg. 71. auerſ. non numeratis, ic. 64., quas ſequuntur 7. planetarum plantae. Vtriusque editionis plantarum figurae non ſunt quidem eaedem, attamen eiusdem formae iterumque cum Egenolffianis conueniunt. 4) *Kurtz Handtbüchlein und experiment vieler Artzneyen, durch den gantzen Cörper des menſchens von dem Haupt biſs auf die Füſs ſampt lebendiger abcontrafactur etlicher gemeiner Kreuter, und daraus mancherley gebranten und diſtillirten Gewäſſer krafft und tugenden. Durch Q. APOLLINAREM erfahren und ſelbs bewert. Iezund von newem gemehrt und gebeſſert an vielen Orten. Francof. ad Moen. typis Hermann Gulfferichen* 1550. 8. pagg. 152. auerſis non numeratis, ic. 123. omnibus exiguis et illis Herbarii Germanici a RHODIONE editi ſimillimis; ſed absque vlla deſcriptione. 5) *eodem titulo ibid. typis Thom. Rebart et Kilian Han* 1570. 8. pagg. 198. auerſ. non numer. ic. 116. eaedem, praemiſſ. cum ind. p. 16. 6) *eodem titulo* cum hac additione: *Jezundt von newen mit vielen Kreütern und experimenten gemehret und gebeſſert. Sampt dem Experiment Büchlin von XX. Peſtilenz wurtzken des hochgel. TARQVINII OCTORI. Argentor. per Ioſ. Ribel* 1594. 8. pagg. 214. auerſ. non numeratis, icon 142. et rad. peſtil. 21. inter priores maximam partem iam occurrentes. Ind. et appendix de plantarum collectione pagg. 24. Quo anno quaque ratione prima editio comparuerit, neſcio et ab aliis annotatum haud reperio: plures editiones aetate inferiores indicat SEGVIER. p. 223. Ipſum OCTORI opuſculum antea ſigillatim excuſum hoc proſtat titulo: 7) *Experimenta von XX. Peſtilentzwurzeln und Kreutern, wie ſie alle und ein jeglichs beſonder, für Gifft und Peſtilenz gebraucht mögen werden, dem Menſchen inn- und auswendig, ſampt viel andern heilſamen tugenden und wirckungen, deutſche Recepta, auch der kreuter geſtalt und eigenſchafft, aus langwiriger und gewiſſer Erfahrung, durch TARQVINIVM OCTORVM alias SCHNELLENBERGIVM, der freyen kunſte und Artzney Doctor zu Dortmunde an den tag gegeben. Gedruckt zu Franckfurdt am Mayn durch Wygand Hahn,* ſine loco et anno, 8. min. pagg. 47. auerſ. non numer. fig. 21. dedicatio Tremoniae pridie idus April. 1546. data monet, hanc editionem eſſe alteram et denuo reuiſam. 8) *Absque vlla mutatione ibidem durch Hermann Gülfferichen* 1552. Huius opuſculi ſtirpium deſcriptiones, breues et imperfectae quidem, plerumque tamen ex propriis obſeruationibus additae ſunt et figurae paruae, primis Egenolffianis ſimiles, eodem modo naturali faciei reſpondent, ſi excipias Gentianae iconem ex Brunfelſio male Belladonnam (conf. art. VIII. 9. et 10.) repraeſentantem et imperfectas Helenii atque Imperatoriae. Quae in Apollinaris editione (no. 6.) occurrunt figurae, non ſunt eaedem, ſimiles tamen excepta icone cap. 6. Dictamni, quae loco Fraxinellae figuram Polygonati, cap. 8. quae loco Belladonnae genuinam Gentianae ex Trago, cap. 9. quae meliorem Leuiſtici et cap. 11. Imperatoriae, nec non cap. 13. quae Scabioſae prat. hirſ. loco montanam tenuifol. et cap. 18. ineptam Valerianae ſiſtit. Sed eiusmodi opuſcula vix mererentur recenſionem, niſi apud bibliographos inter botanicos libros occurrerent.

XIII. Quanquam autem variorum operum hactenus recenſitorum figurae non omnes ſint aliae aut ſaltem denuo ad naturae normam factae, potius maximam partem, mutata interdum magnitudine, absque emendatione tantum repetitae, immo ſaepius, praecipue ex vna eademque typographia publicatae, plane eaedem: nihilominus certa et indubia ſtirpium, quas repraeſentant, cognitio earum ope viginti annorum ſpatio facilius et amplius propagata ſtabilitaque fuit, quam antea aliquot ſeculorum decurſu, licet ex figuris pariter ac deſcriptionibus ſolis nemo ad perfectam ſtirpium cognitionem vnquam perueniat. Neque tamen etiam ad hos ichniographos ſolos referenda eſt vtiliſſimi huius ſtudii reſtauratio celeri gradu tam ingens incrementum conſequuta: ipſi veterum medicorum codices ad ſera vsque tempora conſeruati, vt et interpretationes commentariique a Medicis medii aeui in eosdem conſcripti, artis typographicae vero ope pedetentim tunc euulgati, multas variarum regionum ſtirpes, olim iam vſui medico commendatas, in memoriam reuocarunt, licet, ſi verum fateri fas eſt, hi omnes potius de viribus earum indicandis, quam de accurata ſtirpium deſcriptione, ſolliciti fuerint, vt taceam, hos ipſos codices, ſcribarum incuria ſaepius corruptos fuiſſe. Poſtquam autem litterarum barbaries feliciter ſuperata fuit, inde in botanici quoque ſtudii emolumentum res eo feliciter ceſſit, vt plures variarum Europae nationum viri aeque docti ac induſtrii, impari licet conatu, auxiliatrices porrexerint manus, atque hos ipſos codices non ſolum ex variorum exemplarium collatione a mendis ſuis purgauerint, verum etiam, praecipue Graecos, tum etiam Arabicos, in Latinam linguam transtulerint, indeque vſum eorum magis communem reddiderint. Acceſſerunt mox nonnulli, qui partim genuina nomina, quibus ſtirpes vel ab ipſis examinatae vel ab aliis denuo cognitae factae a veteribus iam indicatae fuerint et ad quas proinde vires longo vſu iam commendatae legitime referendae ſint, improbo labore detexerunt; partim accuratiori examine et deſcriptione easdem a ſimilibus diſtinxerunt; partim etiam nouis obſeruationibus et experimentis collectis vſum earum adſeruerunt, vbi certum veſtigium reperire haud poterant, easdem veteribus iam notas fuiſſe. Horum Auctorum prolixum catalogum iam exhibuit CONRADVS GESNERVS commentariis Tragi ſupra art. IX. 3. recenſitis praefixum ac more ſuo accuratiſſime conſcriptum vt et ſubinde probato iudicio illuſtratum, vbi primo veteres Graecos, deinde Latinos, poſtea Arabes recenſet neque illos omittit, quos ab his citatos tantum inuenit. Sequuntur porro recentiores, quibus Latino-barbaros ſimul comprehendit. Tandem addit ſcriptores illos, qui ſparſim et obiter vtilia quaedam ad plantarum cognitionem tradiderunt, et qui de medicamentorum ſimplicium facultatibus ſecundum

 diffe-

differentias qualitatum, primarum, ſecundarum et reliquarum ſcripſerunt. Horum ſingulorum opera ſi pariter hic recenſerem, ſcopum praefixum excederem, ſecundum quem non niſi Germani, qui, praeter iconum Auctores, ad ſeculi XVI. dimidium vsque variis tentaminibus ſtirpium cognitionem genuinam docere coeperunt, ſuperſunt recenſendi, et quidem ita, vt, ratione hactenus obſeruata, eorum operum vnam vel alteram editionem ex mea ſupellectile libraria, ordine chronologico producam, ſimul vero primam, ſi ea ipſemet adhuc careo, citatam ex aliis addam.

1 XIV. Adeſt autem 1) libellus hoc titulo: *Margarita medicine: Ein meyſterlichs auſſerleſens büchlein der Erzney, für mancherley kranckheyt und ſiechtagen der Menſchen. Gemacht durch JOHANNEM TOLLAT von Vochenberg, in der weytberümbten Univerſitet zu Wienn, bey dem allerfahrniſten Man der Erzney Doctor SCHRICK:* ad calcem: *gedrückt und volendt zu Nürnberg durch Jobſt Gutknecht 1517.* 4. foliis 28. index foliis 4., qui liber procul dubio eſt idem, cuius aliam editionem Gesnerus l. c. inter recentiores his adducit: *IO. TOLLATI cuiusdam liber de remediis herbarum aliisque, Margarita medicinae inſcriptis, ordine litterarum Argentinae publicatus eſt a. 1518.* chartis 10. Ad botanicos autem libros haud referendus eſt, vires namque tantum, et quidem maximam partem ex auctoribus latino-barbaris excerptas, remediorum (circiter 350. ex quibus tamen multa ad
2 vegetabilia non pertinent) nominibus plerumque barbaris litterarum ordine indicatorum recenſet. 2) Ex Germanis, qui rei herbariae emendationem ſerio et cum fructu ſuſceperunt, primus procul dubio fuit IOANNES ſiue IANVS (quod nomen proprium vſurpari aut affectari potius nuper incepit a ſcriptoribus quibusdam loco Ioannis, quem et Galli ſua lingua Jan vocant, monet Geſner. biblioth. p. 369. b. lin. 1.) CORNARIVS Zuiccauienſis, ante HAYNPOL vel HAGENBVT (teſte Mercklin. Linden. renou. p. 502. b.) vocatus, vir doctiſſimus ac de vtraque lingua, graeca inquam ac latina, et vniuerſa re medica optime meritus, et qui ex graecis ſcriptis latina fecit multo plura, quod ſciam, quam quisquam alius noſtro ſaeculo: ſunt verba Geſneri l. c. conf. Merck. l. c. Huius ope *DIOSCORIDIS opera* Baſil. 1529. 4. edita indicantur in Catal. Biblioth. Acad. Lugd. Bat. p. 132. a. et ex hoc a Seguierio p. 52., qui addit *latine*; ſed meum exemplar graecum, cum ſola dedicatione latina, hanc prae ſe fert ſimplicem inſcriptionem: ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΗΣ. *DIOSCORIDES.* ΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΚΟΡΝΑΡΙΟΥ. *Baſil. ex aedibus Io. Bebelii 1529. Menſ. Aug.* 4. pagg. 446. dedic. et graec. ind. pagg. 20. # Quae vero horum operum eiusdem interpretatio latina proſtat, multo ſerius prodiit hoc titulo: *PED. DIOSCORIDAE Anazerbenſis de materia medica libri V. IANO CORNARIO, Medico Phyſico, interprete. Eiusdem IAN. CORNARII emblemata ſingulis capitibus adiecta. DIOSC. de beſtiis venenum eiaculantibus et letalibus medicamentis libri II. eodem CORNARIO interprete. Eiusdem CORNARII in eosdem libros expoſitionum Libri II. Adiunctis in fine tribus tabulis locupletiſſimis, quibus omnia, quae toto tractantur opere, indicantur. Baſil. per Hier. Frobenium et Nic. Epiſcopium 1557.* fol. pagg. 560. praemiſſ. pagg. 20. index general. pagg. 44. corrigendor. pagg. 2. Ipſa epiſtola nuncupatoria a. 1555. ſcripta, indi-
3 cat, hanc eſſe primam latinae interpretationis editionem. 3) AEMILII MACRI, qui Auguſti aetate vixit, ſcripta de virtutibus herbarum omnia interiiſſe, ea vero, quae eiusdem nomine adhuc proſtant, ad alium MACRVM, Aemilio longe iuniorem, pertinere huiusque verum nomen ODOBONVM eſſe, annotat Seguier. p. 273. ſequ. Haec notis illuſtrauit ATROCIANVS, medicus Friburgenſis, hoc titulo: *AEMILIVS MACER de herbarum virtutibus, cum IOANN. ATROCIANI commentariis longe vtiliſſimis et nunquam ante impreſſis. Adhaec STRABI GALLI* (qui teſte Segu. p. 302. ſec. IX. vixit) *Theologi clariſſimi, Hortulus vernantiſſimus. Apud Friburgum Briſgoicum*, ad calcem: *Friburgi apud Io. Fabrum Emmeum Juliacenſem 1530.* 8. pagg. 108. auerſis non numer. praemiſſ. pagg.
4 8. Commentatoris dedicatio ſcripta eſt Colmariae anno eodem. IIII. Idus Iulii. 4.) PAVLVS a patria Aegina inſula AEGINETA dictus, vixit ſeculo IV. vel V. et operum ſuorum libro VII. egit de ſimplicibus et compoſitis medicamentis, quem alii iam compendium ex GALENO compilatum (imo alii eius auctorem Galeni ſimiam) dixerunt. Huius operis (cuius exemplar graecum primum prodiit iam a. 1528. fol. Venetiis in aedibus Aldi et Andr. Aſulani, teſte Mercklino p. 865. b., Maittaire Annal. typogr. T. II. p. 703., Keſtn. Biblioth. p. 107.) librorum V. priorum et VIImi interpres forte primus fuit TORINVS Vitodurano-Tigurinus, cuius ope hoc prodiit titulo: *PAVLI AEGINETAE, medici inſignis, opus diuinum, quo vir ille vaſtiſſimum totius artis oceanum, Laconica breuitate, ſenſibus argutis, merisque aphoriſmis in epitomen redegit. ALBANO TORINO, Vitodurenſi, interprete. Baſileae per Andr. Cratandrum et Io.*
5 *Bebelium menſe Martio 1532.* fol. pagg. 514. praemiſſ. pagg. 24. 5) Quum anno ſequenti ex eadem typographia ederetur *PAVLI Aeginetae de chirurgia liber inter caeteros eiusdem autoris medicae artis ordine ſextus, a IOANNE BERNARDO FELICIANO Veneto primum latinitate donatus* fol. pagg. 29. auerſ. non numer. praemiſſ. pagg. 4. et ind. pagg. 4., ad calcem iungebantur *Caſtigationes ALBANI TORI-*
6 *NI in ſuam AEGINETAE tralationem* pagg. 5. 6) Eodem anno 1532. eosdem libros interpretatus eſt IOANN. GVINTHERIVS Germanus, a patria ANDERNACVS vulgo dictus, cuius cura anno memorato Pariſiis et a. 1534. vt et 1546. Coloniae in folio prodierunt, vid. Mèrckl. p. 865. b. Segu. 289. et Keſtn. 108. nota *. Mea exemplaria librum VI. eodem interprete ſimul continent et inſcribuntur a)
a *PAVLI AEGINETAE medici opera, a IO. GVNTERIO ANDERNACO, Medico exercitatiſſimo ſummique iudicii conuerſa et illuſtrata commentariis. Adiectae ſunt annotationes IACOBI GOUPILI, medici Pariſienſis, in aliquot ſingulorum librorum capita. Lugduni ap.*
b *Guill. Rouillium 1551.* 8. pagg. 846. praemiſſ. pagg. 16. ind. pagg. 61. b) *PAVLI AEGINETAE Medici opera, IO. GVINTERIO ANDERNACO Medico peritiſſimo interprete. Eiusdem GVINTERII et IANI CORNARII annotationes: item IAC. GOVPTLI et IAC. DALECHAMPII ſcholia in eadem opera, cum indice copioſiſſimo ac locupletiſſimo. ibid. 1567.*
7 8. pagg. 923. praemiſſ. pagg. 32. ind. pagg. 52. 7) Ipſe BRVNFELSIVS, praeter commentarios ſuos iconibus

bus illuſtratos, alios in appendice Tomi II. a. 1531. (vel potius 1532, quod vltima plagula docet) euulgati et ſuperius Artic. VIII. 2. recenſiti, tum proprios, tum ex aliis excerptos edidit. Continentur namque hac appendice a) *Exegema omnium ſimplicium, quae ſunt apud Dioſcoridem, et collatio eorundem cum iis, quae in officinis habentur, Auctore BRVNFELSIO* p. 3—30. b) *SCRIBONII LARGI, medici vetuſtiſſimi, de ſimplicibus fragmentum* p. 31. Prodiit huius Auctoris liber hoc titulo: *SCRIBONII LARGI, medici vetuſtiſſimi, de compoſitione medicamentorum liber, iam pridem IO. RVELLII opera e tenebris erutus et a ſitu vindicatus. ANTONII BENIVENII libellus de abditis nonnullis ac mirandis morborum et ſanationum cauſſis. POLYBVS de ſalubri victus ratione priuatorum, GVINTERIO IOANNE ANDERNACO interprete. Baſil. apud Io. Cratandrum 1529.* 8. pagg. 318. tit. et ind. pagg. 16. Largi opuſc. a p. 1. ad 185. §§. 271. Prius, eodem tamen anno eademque forma, prodiit Lutetiae Pariſior. (teſte KESTNERO l. c. p. 117.) poſtea vero in Collectione Medicorum antiquorum omnium, qui latinis litteris diuerſorum morborum genera et remedia perſecuti ſunt &c. Venet. ap. Aldi filios 1547. fol. (vid. Mercklin. l. c. p. 961. b. Keſtner. l. c. p. 344.) et inter Medicae artis Principes &c. 1567. fol. ab Henric. Stephano recuſos T. III. a p. 188 ad 237. atque etiam cum notis IO. RODII adiecto lexico Scriboniano. Patauii 1655. 4. vid. Mercklin. l. c. Fragmentum hoc de ſimplicibus ſigillatim indicatur a SEGVIERIO p. 271. et a KESTNERO p. 355, quaſi a libro indicato diſtinctum, quod tamen cum pluribus eiusdem argumenti hoc ipſo in libro reperitur: e. gr. Σταφὶς ἀγρία §. VIII. Πολυνεύρος §. XII. Herba vrceolaris §. XXXIX. Πολυγονον §. XLVI &c. c) *Demonſtrationes aliquot herbarum ex corollariis HERMOL. BARBARI,* de quibus dubium quibusdam eſt, qualibus nominibus deſignentur apud auctores. p. 31. Pauca haec excerpta, de caryophyllo arbore et altili, de bacchari, roſa, caprifolio et materſylua, ex corollariis in Dioſcoridem petita ſunt. conf. Art. ſequ. XVI. d) *IO. MAINARDI* Ferrar. Medici clariſſimi *annotationes aliquot ſimplicium e ſcriptis eius extractae* p. 32 ad 43. Deſumta haec ſunt ex IO. MANARDI (quod nomen in MAINARDVM mutauit Brunfelſius, hinc vero vtrumque diſtinxit Segu. p. 114. et p. 275.) Epiſtolar. medicinal. libris ſex prioribus: conf. ſequ. artic. XVI. e) *NIC. LEONICENVS de falſa quarundam herbarum inſcriptione a Plinio* p. 44—89. vid. art. XVI. f.) *PANDVLPHVS COLLINVTIVS de interpretatione ſimplicium, quae ſunt apud Plinium, calumniis Leoniceni reſpondens* p. 89—116. Huius libri, quem nondum vidi, titulus hic eſt: *Pliniana defenſio aduerſus Nic. Leoniceni accuſationem. Ferrariae ap. Andr. Bellfortem 1511.* 4. vid. Merckl. p. 364. b. conf. Segu. p. 42. et 148. Keſtn. p. 275. 355. g) *LEONH. FVCHSII Principis Brandenburg. Medici annotationes de ſimplicibus a medicis hactenus perperam intellectis et aeſtimatis* p. 129—155. vid. art. ſuper. X. h) *Generoſi Comitis HERMANNI a NVENAR cenſurae aliae herbarum ſuper eadem re* p. 116—128. Praefatio praefixa docet, auctorem miſiſſe has annotationes manuſcriptas Colonia Argentoratum ad typographum Schottum a. 1529. i) *IOACH.* (in titulo appendicis primae edit. falſo BERNARDI) *SCHYLLERI medici iudicium de cariophyllis* p. 155. ad BRVNF. ſcriptum. k) *HIER. TRAGI medici diſſertationes fere quinquaginta de herbarum quarundam nomenclaturis* p. 156—165. vid. Artic. ſuper. IX. l) *MARC. GATINARIAE medici quondam Ticinen. annotatio vna et altera de Taraxaco, Cicorea, Iua, Eſula et Soldanella* p. 166. Opus, ex quo haec deſumta ſunt, hunc prae ſe fert titulum: *MARCI GATINARIE de curis egritudinum particularium. Noni Almanſoris practica vberrima. BLASII ASTARII de curis febrium libellus vtilis. CESARIS LANDVLPHI de curis earundem opuſculum. SEBAST. AQVILANI tractatus de morbo Gallico celeberrimus. Eiusdem quaeſtio de febre ſanguinis.* Ad calcem: *Lugduni per Io. Moylin alias de Cambray 1525.* 4. min. fol. 100. ſ. pagg. 200. conf. Merckl. p. 778. b. qui huius editionis formam 8. nominat, antiquiorem ibid. apud Beuelaque 1506. 4. et octo recentiores, ceterum autem annotationes ex Brunf. iterum ſigillatim indicat, vti etiam Segu. illas inter libros botanicos p. 71. recenſet itemque Keſtn. p. 356. qui p. 130. nota w et p. 602. operis indicati mentionem facit. Leguntur autem citata de taraxaco fol. 35. b. de cicorea fol. 37. b. de iua vero iam fol. 9. a. reliqua fugitiuo oculo reperire haud potui, plus temporis vero impendere poenituit. m) *IO. IAC. de MANLIIS Alexandrini interpretatio ſimplicium ſecundum ritum officinarum* p. 167—182. Editus huius auctoris liber ſimplici hoc titulo: *Luminare maius:* addito: *Cinthius vt totum radiis illuminat orbem. illuminant latebras ſic medicina tuas.* ad calcem: *Venetiis impreſſum per Sim. de Luere ſumpt. Andr. Torreſani de Aſula 1501.* fol. pagg. 81. auerſ. non numeratis. Auctorem declarat praefatio et haec ipſius tractationis inſcriptio: *IO. IACOBI de MANLIIS de BOSCHO Alexandrini ſuper deſcriptiones antidotarii et practicae diui IO. MESVE et aliorum illuſtrium medicorum clariſſima interpretatio incipit: dicta luminare maius.* Singula ſimplicia, ex quibus pharmaca deſcripta componuntur, in notis fuſe exponuntur, ex quibus BRVNFELSIVS excerpta collegit: e. gr. de aſaro p. 2. b. col. 1. de ſecacul ſeu S. Mariae ſigillo, de raphano, de dracontio ſ. Luff plano p. 4. b. col. 2. de eruca, de lingua auis, p. 5. a. col. 1. de ſcariola ibid. col. 2. de garyophyllis p. 5. b. col. 1. &c. Perperam ergo ex Brunfelſii inſcriptione peculiaris fingitur tractatus. Porro, quum hic in titulo ſuae appendicis nomen IOANNIS omiſit, quem tamen p. 167. addit, ſunt, qui inter Iacobum et Ioannem Iacobum diſtinguunt, vid. Merckl. p. 487. b. 614. a. Keſtn. p. 356. et 368. Ceterum conf. Segu. p. 276. et Allgem. Gelehrten Lexicon Ioecheri T. III p. 115. Hoc ipſum opus etiam prodiit hoc titulo: *Luminare maius omnibus cum medicis tum aromatariis pernecesſarium: in quo multa clariſſimorum medicorum pharmaca, NICOLAI MVTONI medici Mediolanenſis opera, nuper addita, et quae prius extabant, ab infinitis quibus ſcatebant erroribus, purgata reperies: vt vere nunc illuſtrius redditum, luminare maius appellari poſſit. In quo etiam duo ſunt additi indices, alter, ad minima quaeque ſimplicium nomina reperienda ante operis initium, alter in fine libri, quid in vnaquaque ſectione contineatur ampliſſime declarans. Appoſiti etiam ſunt duo illi libri aromatariis familiariſſimi, lumen apothecariorum et aromatariorum theſaurus. Venetiis apud Iuntas 1549.*

 fol.

fol. pagg. 200. auerſ. non numerat. praemiſſ. fol. 8. ſ. p. 16. *Eodem titulo ibid. apud Hier. Scotum 1556.*
fol. pagg. 157. auerſ. non numeratis, praemiſſ. pagg. 16. et hoc tantum mutato titulo: *Luminare maius,*
Lumen apothecariorum et aromatariorum theſaurus, omnibus cum medicis tum aromatariis pernecesſaria opera. In quibus multa clariſſ. medicorum pharmaca, NIC. MVTONI, medici Mediolanenſis, olim opera et nunc aliorum plurium diligentiſſ. medicorum addita et quae prius extabant ab innumerabilibus erratis purgata reperies. Indices duo inſunt &c. Venetiis ap. Nic. Beuilacquam
1561. fol. pagg. 157. auerſ. non numer. praemiſſ. pagg. 16. Harum editionum tituli, licet ſatis prolixi, pri-
\# conf vol. XVI. 1. m. mum et primarium auctorem tacent, eius tamen nomen ſingulis eius commentariis praefigunt, et a Mutoni
appendicibus (ad ſimplicium cognitionem vero nil conferentibus) diſtinguunt. # Plures huius operis editio-
n nes, quas nondum poſſideo, citantur a Mercklino, et Seguierio, l. c. n) *HIERONYMI Herbarii*
apodixis germanica, ex qua facile vulgares herbas omnes licebit perdiſcere pagg. 183—199. vid. art.
8 VI. Hactenus ex Brunfelſio. 8) Huc etiam pertinet ΟΝΟΜΑΣΤΙΚΟΝ *ſeu Lexicon medicinae ſimplicis*
OTHONIS BRVNFELSII primum ingenio, tum amicorum poſt ſe recognitione et ſtudio, iuſtiore lima repurgatum auctumque. Addita vocum quarundam Germanica expoſitione, iuxta veriorem DIOSCORIDIS hiſtoriam. a. 1543. Argentorati Io. Schottus aere perennius dedit fol. chartis ſeu foliis 195. praemiſſ. fol. 6. Iam anno 1534. prodiiſſe hoc opus, indicat Keſtn. p. 72. et teſtatur ipſa
9 auctoris praefatio Bernae 11. Februarii a. 1534. ſcripta. 9) Eodem anno 1534. Lutetiae apud Simon. Colinaeum in 16. prodierunt *BENEDICTI TEXTORIS, Seguſiani, ſtirpium differentiae ex Dioſcoride, ſecundum locos communes, opus ad ipſarum plantarum cognitionem admodum conducibile.* vid. Merckl. p. 123. a., Maitt. annal. T. II. p. 804. et *Venetiis in offic. diui Bernardini 1537.* in 12. teſte Segu. p. 54. et 190. quam vtramque editionem nondum vidi. Recuſum autem eſt hoc opuſculum cum TRAGI ſtirpium nomenclaturis Argent. 1552. in 4. editis (vid. art. IX. 3.) *eodem titulo* a pag. 1129. ad 1200., et auctoris praefatio (qua IAC. SYLVIVM praeceptorem ſuum laudat) ſcripta eſt Lutetiae ex aedibus
10 IO. TAGAVTII medici ad Idus Iunias 1534. 10) HENRICVS VRBANVS, ſeu ficto nomine magis notus EVRICIVS CORDVS, Simeſuſae vico Haſſiae a. 1486. natus (vid. vita eius a WIGANDO KAHLERO deſcripta et Rintelii 1744. in 4. excuſa p. 7. 8. 11. et 12.) haud pauca protulit ad momenta rei herbariae tunc temporis valde adhuc obſcura illuſtranda opuſculo hoc titulo euulgato: a) *EVRICII CORDI, Simeſuſii medici Botanologicon. Coloniae apud Io. Gymnicum a. 1534.* 8. pagg. 183. ind. pagg. 20. b) *Eodem titulo,* his additis: *Elenchus meliorum rerum, quae in eo continentur. VALERII CORDI annotationes in DIOSCORIDIS de medica materia libros. Index locupletiſſimus. De herbis ſingulis ac reliquis ſimplicibus, quorum medicinae vſus eſt, iudicium, et huius generis eorum, quae apud medicos contrauertuntur, explicationem, hi duo libelli complectuntur. Pariſiis ap. Guil. Morelium 1551.* 12. Botanolog. pagg. 193. praemiſſ. pagg. 8. annotat. pagg. 395. ind. pagg. 38. De VAL.
11 CORDO vid. num. vlt. ſeq. 11) Inter Auctores, qui in PLINII hiſtoriam naturalem commentati ſunt, recenſet Cl. D. Seguier. p. 145. IAC. MILICHIVM (Friburgo-Briſgoium) et indicat eius commentarii in Librum II. editionem a. 1534. (Maitt. Annal. T. II, p. 823. vero a. 1535.) Hagenoae in 4. publicatam: meum exemplar hunc prae ſe fert titulum: *C. PLINII liber ſecundus de mundi hiſtoria cum commentariis IACOBI MILICHII, diligenter conſcriptis, et poſtremo ab autore recognitis, et multis in locis auctis a. 1552. Francofurti ap. Petrum Burbachium 1553.* 4. pagg. 459. praemiſſ. cum ind. pagg.
12 20. Sed hoc in opere nil ad ſtirpes pertinens deprehenditur. 12) Botanicis libris etiam annumeratur Stockhorni montis deſcriptio, quam IO. RHELLICANVS (alias MVLLER, e loco Rhellicon patria ſua in ditione Tigurenſi ſic dictus, vt Segu. p. 159. monet) bonarum litterarum apud Bernenſes Profeſſor compoſuit, quaeque inſcribitur *IOANNIS RHELLICANI Stockhornias. Qua Stockhornus mons altiſſimus in Bernenſium Heluetiorum agro verſibus heroicis deſcribitur. Tiguri apud Geſneros,* ſ. a. Num ſigillatim typis excuſum fuerit hoc ſchediaſma, annotatum haud inueni: teſtante dedicatione, tituli paginae auerſae adpreſſa, ſcriptum eſt Bernae 12. Aug. 1536. et proſtat cum CONR. GESNERI de raris et admirandis herbis, quae ſiue quod noctu luceant, ſiue alias ob cauſas, Lunariae nominantur, commentariolo &c. Tiguri apud Andr. Geſnerum F. et Iac. Geſnerum fratres. 4. ſine anno (ſecundum Geſneri dedicationem a. 1555.) vbi a pag. 77. ad 82. reperitur, ideoque totum hoc carmen 4. paginis continetur et nonniſi tres plantas in hoc monte repertas, nempe Gentianam, Elleborum niueum, et Manum Chriſti flore fuſco et atro odore moſchi, ſimpliciter tantum nominat. Antea tamen hoc ipſum carmen prodiiſſe cum Vita HOMERI, quam idem RHELLICANVS ex Plutarcho latinitate donauit, et obſeruationes marginibus adiecit, quamque Rob. Winter excudit Baſil. 1537. in 8. chartis 10, reperi in Biblioth. Geſn. pagg. 450. b, vbi MULLERI nominis nulla mentio fit, quod vero etiam aſſeritur in Joech. Gel. Lex. T. III. pagg. 730. Cl. Seguierius Biblioth. p. 74.
13 inter Geſneri edita hanc quoque editionem ſed in 12. indicat. 13) MARCELLVS, Gallus et Burdegallenſis ciuis, medicus empiricus atque praeterea ſumme ſuperſtitioſus, vixit ſub finem ſeculi IV. Opus, quod compoſuit, CORNARII cura prodiit hoc titulo: *MARCELLI, viri illuſtris, de medicamentis empiricis, phyſicis ac rationalibus liber, ante mille ac ducentos plus minus annos ſcriptus, iam primum in lucem emergens, et ſuæ integritati plerisque locis reſtitutus, per IANVM CORNARIVM, Medicum, Phyſicum Northuſen. Item CLAVDII GALENI libri nouem nunc primum latini facti, idque opera eiusdem IAN. CORNARII, quorum argumenta verſa pagina indicabit. Elenchi in vtrumque opus.* Ad calcem: *Baſileae in officina Frobeniana per Hier. Frobenium et Nic. Epiſcopium 1536.* fol. vnacum tit. et praef. pagg. 252. ind. pag. 10. Galeni libri (quae agunt de reſpiratione, de vtero, foetu et ſemine) pagg. 178. ind. pagg. 6. Primam et vnicam hanc eſſe MARCELLI editionem nec ab vllo commentario illuſtratam, cum Medicis antiquis vero ex Aldi editione Venet. 1547. p. 81. et cum Medicae artis Principibus ex editione Henr. Stephani 1567. (vbi tom. III a pag. 238. ad 414. inſerta reperitur) recuſam, monet Keſtner. p. 122. §. VI. p. 345. not. t. p. 347. §. XI. conf. Merckl. p. 772. a. qui addit, eam cum AETII contractae

ex

ex veteribus medicinae Tetrab. (vid. ſequ. n. 19. c.) ibidem, forma et anno eodem extare. De ſimplicibus vegetabilibus ſigillatim quidem haud agit hic auctor, eorum tamen ſynonyma hinc inde indicat. Ceterum ſilentio haud praetereundum eſt, quod ipſe CORNARIVS in praefatione iam indicauit, nempe SCRIBONIVM LARGVM (conf. num. ſuper. 7. b.) totum in hoc opere contineri diuerſis locis inſertum ab ouo (vt aiunt) fere vsque ad mala &c. ex quo ſimul probare annititur, SCRIBONIVM graece ſcripſiſſe; ex citatis tamen Brunfelſii aliquot euoluens, ea non eadem in Marcello inueni. 14) MVSAE atque APVLEII opuſcula a) primum aliis operibus iuncta prodierunt hoc titulo: *De re medica huic volumini inſunt. SORANI Epheſii Peripatetici, et vetuſtiſſimi Archiatri, in artem medendi Iſagoge, hactenus non viſa. D. ORIBASII Sardiani fragmentum, de victus ratione, quolibet anni tempore vtili, antea nunquam aeditum. C. PLINII Secundi de re medica libri V. accuratius recogniti et (nothis ac pſeudepigraphis ſemotis) ab innumeris mendarum millibus, fide vetuſtiſſimi codicis repurgati. L. APVLEII Madaurenſis, philoſophi Platonici, de herbarum virtutibus, vere aurea et ſalutaris hiſtoria, e tenebris eruta, et a ſitu vindicata. Acceſſit his vice coronidis libellus vtiliſſimus de Betonica, quem quidam ANTONIO MVSAE, nonnulli L. APVLEIO adſcribendum autumant, nuper excuſus. Praeterea rerum et verborum locupletiſſimus index.* Ad calcem: *Baſileae in aedibus Andr. Cratandri, menſe Auguſto 1528.* fol. pagg. 125. auerſ. non numeratis, praemiſſ. c. ind. pagg. 24. Epil. pag. 2. Apul. a pag. 99. ad 123. vbi haec inſcriptio praefigitur: *L. APVLEII &c. hiſtoria, quam a Chirone Centauro praeceptore Achillis, et ab Aeſculapio accepit, hactenus nunquam in lucem aedita.* Muſa p. 124. a. b. 125. a. Collectio haec et contentorum emendatio debetur ALB. TORINO, ſupra no. 5. iam laudato, qui in praefatione de Apuleio addit, ſe duorum vetuſtiſſimorum exemplarium collatione vſum eſſe. Bibliothecae Riuin. catalogus a Ge. Sam. Hermanno Lipſ. 1727. 8. editus p. 573. no. 6386. recenſet *APVLEII Platonici herbarium ad Marcum Agrippam, Romae 8. mai. ap. Phil. de Lignamine. Edit. antiquiſſ. c. f. illum.*, cuius etiam mentionem facit Keſtnerus in der Stolliſchen Biblioth. P. XIII. p. 410. §. II. not. c. et Biblioth. med. p. 341. not. m. vt et Segu. p. 224. Quum annus editionis non addatur, ex inſpectione indicet alius, quousque haec editio vetuſtior habenda ſit illa Baſilienſi, quae eodem anno Pariſiis apud Chr. Wechelium in fol. recuſa eſt, vid. Merckl. p. 758. b., et alio titulo p. 85. b. ſeq. vt et Segu. p. 224. addatque, quo pretio habendae ſint figurae, quas continet. Ceterum etiam in dubium adhuc vocant varii auctores, num hocce opus LVCIO APVLEIO, Afro, qui ſec. III. floruit, an APVLEIO CELSO Siculo, qui ante Chr. tempore Auguſti Romae iam claruit, an vero horum neutri ſed iuniori cuidam tribuenda ſit, de quo conf. Keſtner. Stolliſch. Biblioth. l. c. p. 413. §. 7. et Jöch. Gel. Lex. T. I. p. 882. ſeq. quemadmodum etiam incertum adhuc eſt, num capitulum de Betonica ad ANT. MVSAM, Auguſti Caeſaris archiatrum, adeoque Apuleio Celſo ſynchronum, an ad ipſum Apuleium pertineat: huius certe et reliquorum capitum expoſitio vno eodemque ſtilo exarata eſt. Singulis capitulis praemittitur ſtirpis, de qua agit, hiſtoria, quae vero in ſynonymis tantum variarum linguarum vndique collectis, ſed vix fide dignis, conſiſtit: quae de viribus addit, merito vilipenduntur. b) Eadem Muſae et Apuleii opuſcula deinde ſigillatim recuſa eſſe cum commentario HVMELBERGII in 4. Tiguri ap. Froſchover 1537. indicat Maitt. Annal. T. III. p. 268. Meum exemplar hunc prae ſe fert titulum: *In hoc opere contenta: ANT. MVSAE de herba Vetonica liber I. L. APVLEII de medicaminibus herbarum Lib. I. per GABRIELEM HVMELBERGIVM, Rauenſpurgenſem, Archiatrum Iſinenſem, recogniti et emendati, adiuncto commentariolo eiusdem.* 4. ſine loco et anno; dedicatio autem data eſt Iſinae menſe Februario 1537. pagg. 305. praemiſſ. pagg. 8. ind. pagg. 7. Muſae liber cum comment. a p. 1. ad 17. Ex hoc quoque commentario quoad plantarum cognitionem nihil profici, monuit iam Geſnerus in ſaepius citato catalogo. 15) PAVLI Aeginetae exemplar Graecum alterum, cuius curam egit HIER. GEMVSAEVS (quem Merckl. p. 432. b Heluetium dicit, Joecherus vero in Gel. Lexic. T. II. p. 915. Muhlhuſae in Alſatia a. 1505. ex veteri proſapia Sueuiae, von GESCHMAVS dicta, natum indicat) primo Aldino (vid. num. ſuper. 5.) longe praeferendum eſſe, monuit iam Keſtn. biblioth p. 107. §. XV. Prodiit illud hoc titulo: ΠΑΥΛΟΥ ΑΙΓΙΝΗΤΟΥ ἰατροῦ ἀρίστου, βιβλία ἑπτά. ἐν ἀρχῇ ἑκάστου τῶν βιβλίων δείκνυται τὰ ἐν ἐκείνῳ περιεχόμενα. *PAVLI AEGINETAE medici optimi, libri ſeptem. In principio ſingulorum librorum omnia indicantur, quae in eo continentur libro. Omnia haec collatione vetuſtiſſimorum exemplarium, magna fide ac diligentia emendata et reſtituta, nec non aliquot locis aucta: vt hic liber plane nunc primum e tenebris erutus, in lucem prodiiſſe dici poſſit, quemadmodum in calce operis videre licet. Baſileae 1538.* ſed ad calcem: *Baſileae per Andr. Cratandrum menſe martio 1543.* (conf. ſequ. n. 22.) fol. pagg. 306. praemiſſ. pagg. 12. quae praeter titulum continent Gemuſaei praefationem latinam Calend. Aug. 1538. ſcriptam; opus reliquum vero totum Graecum eſt. 16) IOANNES AGRICOLA, cognomine AMMONIVS, Doctor et Profeſſor Graecae linguae et medicinae Ingolſtadii (vid. Joecher. Gel. Lexic. T. I. p. 151.) edidit librum hoc titulo: *Medicinae herbariae libri duo, quorum primus habet herbas huius ſeculi medicis communes cum veteribus, Dioſcoride videlicet, Galeno, Oribaſio, Paulo, Aetio, Plinio et horum ſimilibus. Secundus fere a recentibus medicis inuentas continet herbas, atque alias quasdam praeclaras medicinas, vt quae poſt Galenum vel inueſtigatae ſunt, vel in vſum medicum peruenerunt. Autore IOANNE AGRICOLA AMMONIO, artis medicae Profeſſore. Baſileae ex offic. Barthol. Weſthemeri. menſe Auguſto 1539.* 8. pagg. 336. ind. pagg. 52. cui ſubnectitur *Hippocratis Coi de medico mediciue officio Lib.* pagg. 10. Dedicatio a p. 3. ad 13. Ingolſtadii Kal. Maii 1530. ſcripta eſt. Librum ſecundum a pag. 232. praeter ſtirpes, alia quoque ſimplicia pharmaca recenſere, ſcilicet ſuccos, decoctiones, lapides &c. praefatio huic ſigillatim praefixa vlterius exponit. Agit autem A. vbique nonniſi de nomenclaturis et virtutibus. b.) Qui poſt biennium eiusdem cura prodiit *NICOLAI ALEXANDRINI, Medici Graeci vetuſtiſſimi, liber de compoſitione medicamentorum ſecundum loca, translatus e Graeco in Latinum a NICOL. RHEGINO, Calabro, antehac nusquam impreſſus, cum breuiſſimis annotationibus locorum difficilium IO. AGRICOLAE*

AMMONII &c. Ingolſtadii in officina Alexandri Weiſſenborn 1541. 4. ſine paginar. numeris, foliis
260. ſeu alph. 2. plag. 16. ind. fol. 7. vix huc referendus eſt: rarius namque ſimplicium remediorum ex vege-
tabilibus nomina explicantur, idque nonniſi per vnum alterumue ſynonymon. Plura eiusdem edita huc re-
17 ctius forte referenda indicat Geſner. in Biblioth. p. 382. a. 17) CAROLVM FIGVLVM Confluentiae in
Germania ſcripſiſſe methodum de herbis Coloniae 1540. in 4. excuſam, annotauit iam Geſnerus in Biblioth.
p. 162. et in Catalogo ſaepius citato addit, eum ibidem de herbis cognoſcendis in genere quaedam tractare.
Libri, quem nondum vidi, integer titulus eſt: *Dialogus, qui inſcribitur botano-methodus, ſiue herba-
rum methodus. Coloniae ap. Io. Schoenſtenium 1540.* 4. vid. Mercklin. p. 141. b. et Segu. p. 64. 18)
18 Eodem anno MACRI (vid. num. ſuper. 3.) poemata auctiora et emendatiora prodierunt hoc rubro: *MACRI de
materia medica L. V. verſibus conſcripti. Per IAN. CORNARIVM medicum phyſicum emendati
ac annotati et nunquam antea ex toto editi. Contenta ſingulis libris. I. et II. de herbis ac plantis
vulgarib. III. de plantis peregrinis. IIII. de quibusdam plantis itemque animalium partibus, ac
terrae ſpeciebus. V. de lapidibus ac gemmis.* ad calc. *Franc. Chr. Egen. 1540.* 8. pagg. 132. auerſis
non. numer. praef. ind. pagg. 22. dedicatio eiusd. anni Cal. Martiis Francofurdae data eſt. Annotationes
19 ſingulis capitibus ſubiectae potiſſimum in vocum etymis explicandis verſantur. 19) AETIVS, natus Amidae,
Meſopotamiae oppido, vixit ſeculo IV. vel ſecundum alios ſub finem ſeculi V. et PAVLO Aegineta aetate in-
terior habetur, conf. Merckl. p. 17. b. Segu. p. 220. Ioecher. Gel. Lexic. T. I. p. 130., quare, habemus in eo GA-
LENVM contractum, ORIBASIVM explicatum, PAVLVM Aeginetam ampliatum, ſcribit Petr. Caſtellanus in
vita illuſtr. medicor. Antverp. ap. Guil. a Tongris 1618. 8. p. 131; ſed Geſner. in Catal. citat. affirmat, eum,
aeque ac Oribaſium et Paulum, ne latum quidem vnguem a Galeni iudicio vsquam deceſſiſſe et nihil ferme
prorſus de ſuo adieciſſe, ſed omnia ſua ex eo vel iisdem verbis vel breuius aliquanto repetiiſſe. Integrum
Graecum exemplar typis nondum excuſum eſt: ſolos libros octo priores editos indicat Maitt. T. II. p. 803.
hoc titulo: *AETII Amideni librorum medicinalium tomus primus, primi videlicet libri octo nunc
primum in lucem editi, Graece in aedibus haeredum Aldi et Andr. Aſulani Venetiis 1534. menſ. Se-
ptembr.* fol., chartis 91. addit Geſner. Biblioth. p. 14. b. conf. Merckl. p. 18. a. Segu. p. 220., et vbi reliqui
in manuſcripto aſſeruantur, annotat Keſtn. bibl. p. 105. not. o. In Latinam vero linguam tranſlati proſtant
libri ſeu ſermones XVI. Librum octauum ad tertium decimum vsque primus ex mutilo exemplari latine edi-
a dit CORNARIVS hoc titulo: a) *AETII Antiocheni &c. Medici de cognoſcendis et curandis morbis ſer-
mones ſex, iam primum in lucem editi, interprete IANO CORNARIO Zwiccauienſ. medico.
Quae in ſingulis ſermonibus continentur in principio cuiusque habetur. De ponderibus et menſuris ex
PAVLO Aegineta, eodem interprete. Baſil. in offic. Frobeniana 1533.* ad calc. *per Hier. Frobenium
et Nic. Epiſcopium 1533. menſ. Aug.* fol. pagg. 438. de ponderib. a pag. 439. ad 441. praemiſſ. pagg. 12.
b Deinde et reliqui prodierunt hoc titulo: b) *AETII Amideni, quem alii Antiochenum vocant, medici
clariſſimi libri XVI. in tres tomos diuiſi, quorum primus et vltimus IO. BAPTISTA MONTANO
Veronenſi medico, ſecundus IANO CORNARIO Zuiccauienſi, et ipſo medicinae profeſſore, inter-
pretibus latinitate donati ſunt. In quo opere cuncta quae ad curandi artem pertinent congeſta ſunt,
ex omnibus, qui vsque ad eius tempora ſcripſerant, diligentiſſime excerpta. Additus eſt index in
omneis Tomos copioſiſſimus. Baſileae in officina Frob. 1535.* fol. T. I. continet L. I.—VII. p. 350. prae-
miſſ. p. 12. ad calc. *per Hier. Froben. et Nic. Epiſc. menſ. Aug. 1535.* T. II. eſt idem exemplar cum *eo-
dem titulo* anni 1533. T. III. hoc frontiſpicio diſtinguitur: *Tomus tertius habet AETII Amideni medici
clariſſimi de re medica libros tres, IO. BAPT. MONTANO medico Veronenſe interprete. ibid.
1535.* continet L. XIV—XVI. pagg. 182. indic. general. pagg. 18. ad calc. menſ. Aug. 1535. Hoc opus
prius Venetiis excuſum eſſe, indicat praefatio editionis ſequentis; ſed nemo ex auctoribus citatis aliam indi-
c cat, quam Venetiis ex officina Farrea 1543. 8. Poſtea omnes libri recuſi ſunt hac inſcriptione: c) *AETII
medici Graeci contractae ex veteribus medicinae tetrabiblos, hoc eſt quaternio, id eſt libri vni-
uerſales quatuor, ſinguli quatuor ſermones complectentes, vt ſint in ſumma quatuor ſermonum qua-
terniones, id eſt ſermones XVI. per IAN. CORNARIVM Medicum Phyſicum latine conſcripti.
Baſil. 1542.* ad calcem *impenſis Hier. Frobenii et Nic. Epiſcopii menſe Septembri 1542.* fol. pagg. 929.
de ponderib. ex Paulo p. 930—932. ind. pagg. 28. tit. et dedicatio, quae calendis Nouembribus 1541. ſcri-
pta, pagg. 10. Haec editio recuſa reperitur inter Medicae artis Principes Stephani T. II. a p. 1. ad 840.
20 Ex his libris primus agit de ſimplicibus pharmacis ex plantis. 20) Quibus praerogatiuis CONR. GESNERVS
diſtinguendus ſit ab omnibus botanicis, qui eum praeceſſerunt, ſatis teſtantur eius ſcripta, praecipue ea, quae
ſub ſeculi XVI. dimidii alterius initium in lucem prodierunt, et omnium maxime, quae poſthuma nunc de-
a mum D. V. hic Norimbergae comparitura ſunt. Quae hoc in catalogo locum habent, ſunt a) *Hiſtoria
plantarum et vires ex Dioſcoride, Paulo Aegineta, Theophraſto, Plinio et recentioribus Graecis.
iuxta elementorum ordinem, per CONRADVM GESNERVM Tigurinum: vnacum rerum et
verborum locupletiſſimo indice. Baſileae ap. Robert. Wynter 1541.* 8. pagg. 281. tit. dedic. pagg. 7.
ind. pagg. 15. Eodem anno eodemque titulo hunc librum recuſum eſſe Pariſiis ap. Io. Lodoicum Tileta-
num in 12. annotat. Maitt. annal. T. III. p. 324. et Venetiis per Melch. Seſſam in 12. idem T. V. p. 438. Se-
guierius p. 73. hunc librum eiusque editionem Tigurinam et Venetam eiusdem anni alio titulo tanquam
aliam ex Geſn. Biblioth. citat, vbi tamen Geſnerus has ipſas editiones aliis tantum verbis recenſet et enchiri-
dium vocat; neque etiam Maittaire, quem allegat, l. c. Pariſienſis editionis formam in 8. ſed in 12. indicat.
Ceterum eundem librum excuſum ibid. anno eodem ap. Guil. Richardum in 12. ex Falconeti bibliotheca
Pariſ., aliamque, titulo de plantis antehac ignotis &c. ſine anno et loco ex Biblioth. Reg. Pariſ. addit. Epiſt.
dedicat. huius libri Lauſannae (vbi tunc A. degebat) IX. Aug. ſcripta eſt. Hiſtoria ſingularum plantarum
continet ſimul earundem deſcriptionem ex veteribus collectam, et ad margines addita ſunt vocabula Graeca
et quandoque Arabica. Quae praeter Dioſcoridem acceſſerunt plantae, ſigno * notatae ſunt, vt ipſe in recen-

ſione

ſione huius libri biblioth. l. c. monet, ſimul vero indicat, hoc ſignum typographorum incuria ſaepius omiſſum eſſe. b) *Catalogus plantarum Latine, Graece, Germanice et Gallice.* Πίναξ φυτῶν λατινισὶ, ἑλληνισὶ γερμανικῶς, καὶ ζελτικῶς. *Nahmenbuch aller Erdgewächſen lateiniſch, Griechiſch, Teutſch, und Franzöſiſch. Regeſtre de toutes plantes en quattre langues, Latin, Grec, Aleman, & Francoys. Vna cum vulgaribus pharmacopolarum nominibus. En tibi candidiſſime Lector, ſtirpium interpretationem ſupra omnes omnium hactenus de re herbaria libros locupletiſſimam inſtructiſſimamque, in qua non ſolum omnia recte antehac ab aliis ſcripta breuiter continentur, ſed permulta prius a nemine tradita, vel nunc primum inuenta, clariſſime docentur. Adiectae ſunt etiam herbarum nomenclaturae variarum gentium, Dioſcoridae adſcriptae, ſecundum litterarum ordinem expoſitae. Auctore CONR. GESNERO Tigurino. Tiguri ap. Chriſtoph. Froſchouerum 1542.* 4. pagg. 162. auerſ. non numerat. Tit. dedic. pagg. 7. Segu. p. 73. addit ibid. 1541. et 1542. vt et Francof. 1543. (ex Biblioth. Bodl. vbi vero p. 219. b. nec locum nec annum additum reperi) in 4. ſed ipſe Geſnerus in biblioth. p. 181. b. nonniſi illius a. 1542. mentionem facit. Mercklin. p. 208. a. editionem Tiguri apud Froſchou. 1552. in 4. indicat; ſed procul dubio errore typographico. 21) Anno 1542., vel ſecundum Mercklinum iam a. 1533. acris orta eſt controuerſia inter FVCHSIVM atque CORNARIVM, cuius occaſione euulgata ſunt a) *LEONH. FVCHSII tractatus: Cornarius furens. Baſil. ap. Eraſm. Xylotectum 1533.* 8. Merckl. p. 744. a. ibidemque 1545. in 8. Biblioth. Riuin. no. 1788. et in 4. Biblioth. Meibom. P. III. no. 3800. Segu. p. 69. b) *IO. CORNARII vulpecula excoriata, ſiue refutatio hiſtoriae Leonardi Fuchſii de plantis. Francof. ap. Egenolph. 1543.* 4. Merckl. p. 502. a Segu. p. 45. c) *Nitra ac brabyla pro Vulpecula excoriata aſſeruanda per IAN. CORNARIVM ad Leon. Fuchſium. ibid. 1545.* 4. Merckl. l. c. Biblioth. Riu. no. 6420. Segu. p. 45. Controuerſiam hanc praeter modum, qui eruditos decet, agitatam eſſe, ipſae inſcriptiones docent: num ſtirpium cognitio in tractatione illuſtrata ſit, iudicent alii: ad meas namque manus nondum haec ſcripta peruenerunt. 22) Graecum PAVLI exemplar, a GEMVSIO in lucem editum, (vid. no. 15. ſuper.) poſtea idem illuſtrauit hoc opere: *In libros PAVLI AEGINETAE omnes, annotationes nunc et primum concinnatae, et in lucem editae. Baſileae in aedibus Andr. Cratandri 1543.* fol. pagg. 60. tit. dedic. pagg. 8. Praefatio cum ipſo titulo coniuncta indicat, has obſeruationes aliorum emendationes interea publicatas vel probare, vel refutare, nouamque promittit interpretationem, quam autem editam ab vllo annotatam non inueni; dedicatio, Baſil. eiusd. anni Cal. Mart. exarata, autorem harum obſeruat. declarat et praecipue ingenium ANDERNACI (vid. n. 6. ſuper.) notat et e contrario illud OROSCII (vid. ſeq. artic. XV.) valde laudat. Interpretatio PAVLI, quam CORNARIVS denique adornauit, anno demum 1556. Baſil. ex offic. Io. Heruagii in fol. prodiit (vid. Merckl. p. 865. b. Segu. p. 290. Keſtn. p. 108. not. k.) atque etiam occurrit inter Medicae artis Principes a Stephano editos T. I. a p. 347. ad 701. cum praemiſſ. pagg. 5. hoc titulo: *PAVLI AEGINETAE de re medica libri ſeptem IANO CORNARIO interprete,* et ſubiunctis *eiusd. CORNARII Dolabellarum in PAVLVM AEGIN. libri VII.* a p. 702. ad 749. 23) Hiſtoria mundi ſeu naturalis, libris XXXVII. comprehenſa et L. X—XIX. de ſtirpibus agens, quam CAIVS PLINIVS (a patre) SECVNDVS (a matre) Maior quoque et Senior cognominatus, Veronenſis vel Romanus, Augur et Caeſareus Procurator, initio ſeculi I. conſcripſit (conf. Merckl. p. 137. a. Io. Ge. Fabricii biblioth. lat. Vol. alt. p. 401. Io. Harduini praef. in ſuam edit. Pariſ. 1723. fol., Segu. p. 141. Ioech. Gel. Lex. T. III. p. 1632.) ab a. 1469. (vid. ſeq. art. XV.) ad noſtra vsque tempora ſaepiſſime typis excuſa atque praeterea variorum eruditorum emendationibus pariter ac commentationibus illuſtrata eſt. Inter commentatores, quorum amplum catalogum Fabricius, Harduinus, Seguierius l. c. atque Maittaire Annal. typ. T. V. p. 156. exhibuit, Germanos quoque fuiſſe, haud reperi, ſi forte MILICHIVM (ſupra no. 11.) IVL. CAESARIVM Iuliacenſem, IAC. ZIEGLERVM Bauarum, RVD. GOCLENIVM Marpurgenſem, et BEAT. RHENANVM Alſaticum excipias; ex quibus tamen priores vnum vel alterum tantum librum huc non pertinentem expoſuerunt, neque vltimus vltra L. XIVtum progreſſus eſt. In Germanicam linguam vero traductum eſſe hoc opus atque editum Francof. 1571. 1584. et 1600. in folio, indicat Fabricius l. c. et eiusd. Vol. ſupplem. p. 619. vt et eius libros quinque VII—XI Argentor. iam 1543. ſuppl. l. c. atque ex hoc Segu. p. 144. 145. ex quibus hanc tantum mea collectio continet editionem hoc titulo: *CAII PLINII SECVNDI von Veron, natürlicher hiſtory fünff Bücher. namlich das VII. von der Menſchen und Völckern wunderbarlichen Geſtalten, Weiſsen, Wandel, Art, Natur und Gebräuchen, beyderley Geſchlechten, Mann und Weibern. VIII. von den Thyeren, ſo uff dem Erdreich wonen. IX. von der Fiſch allerley Geſchlecht und Eygentſchafften, ſo im Waſſer wonen. X. von dem Geflügel, ſo im Lufft lebt. XI. von den kryechenden und mynderen Thyeren, ſo abgeſpalten an ergäntzung irer glyder. newlich durch HEINRICH von EPPENDORFF verteutſcht. zu Straſsburg bey Hans Schotten 1543.* fol. pagg. 235. ind. pagg. 4. Hoc opus autem, vt inſcriptio iam docet, pariter de ſtirpibus nil continet, excepto cap. 26. p. 62. quod breuiſſime de plantis agit, quarum vſum medicum animalia docuerunt. Num reliquae editiones germanicae a me nondum viſae plures contineant libros, inquirant alii: mihi dubium mouet exemplar, quod mecum communicauit cl. D. D. GE. LEONH. HVTHIVS, Collega honoratiſſimus, quod per M. IO. HEYDEN germanice redditum et Francof. 1565. in fol. pagg. 494. per Pet. Schmidt impenſ. Sigiſm. Feyrabend editum eſt eodem ferme ampliori tamen titulo, atque etiam haud plures, quam quinque indicatos, libros continet, figuris vero ligno inciſis, atque hinc etiam cap. 26. p. 150. ſequ. 18. plantarum Egenolfianis, refertum eſt. 24) IO. DANTZIVS, Aſtenſis (vulgo von AST dictus) natus quidem eſt in Comitatu Italiae Aſtenſi, Germanis tamen accenſendus videtur ex eo, quia non ſolum poſtea in Germania, praeſertim Francofurti ad Moenum, vitam degit et diem ſupremum obiit, verum etiam et praecipue, quia DIOSCORIDEM in Germanicam linguam, et quidem primus, tranſtulit ibidem 1546. typis euulgatum vid. art. XII. 1. et conf. artic. VI. Ab eodem porro edebantur *Tabulae ſimplicium medicamentorum, quae apud Dioſcoridem, Galenum et Plinium ſunt, omnium, exceptis iis, quae ab animalibus ſumuntur, facultates tam generales quam particulares continentes, et eam quae eſt ad principia ſequelam, et vt omnia ad elementorum rationes conſequantur, nec*

*quicquam in iis reperiatur pugnans, mira induſtria euidentiſſime ob oculos ſpectanda, exponentes.
Quas aliae conſequuntur tabulae, eo iudicio doctrina et compendio compoſitae diſpoſitaeque, vt
ſimplicium viribus ex prioribus tabulis cognitis, primo aſpectu medicis ad pleroſque morbos reme-
diorum praeſidia inuenire promptiſſimum et facillimum ſit. De ſimplicium medicamentorum facul-
tatibus in genere, deque iis tum ratione tum experientia inueſtigandis, dialogi quatuor, quorum argu-
menta proxima tabula exhibebit. Per IO. DANTZIVM Aſtenſem Medicum. Baſileae apud
Henrichum Petrum menſe Auguſto 1543.* fol. tit. praef. dedic. et ind. p. 22. tabula prima pagg. 97. ſe-
cunda a p. 101. ad 155. dialogi pagg. 85. Singulis his diuiſionibus proprius praefixus eſt titulus iisdem fer-
me verbis; praefatio vſum tabularum docet; dedicatio Baſileae XIV. Calendas Martias 1543. ſcripta, indicat
occaſionem, qua, ante iter in Italiam ſtirpes inueſtigandi cauſſa ſuſcipiendum, hoc opus compoſuit, vbi etiam poſt
reditum auctiorem editionem promittit; index morborum remedia indicat; prima tabula ſtirpium aliorum-
que ſimplicium remediorum nudas nomenclaturas Latinas et Graecas ſecundum priores literarum ordine et
ſimul horum remediorum qualitates viresque indicat; reliqua huius operis contenta ad morborum remedia,
25 remediorumque qualitates ſolummodo pertinent. 25) Quae IOANNES LONICERVS, ADAMI parens (vid.
Ioech. Gel. Lex. T. II. p. 2521.) linguae Hebraicae, Graecae Latinaeque, vt et Theologiae in Academia
Marburgenſi Profeſſor (ibid. p. 2522.) ad Dioſcoridis interpretationem contulit, prodierunt hoc titulo: *In
DIOSCORIDAE Anazarbei de re medica libros, a VIRGILIO MARCELLO verſos, ſcholia
noua, IO. LONICERO auctore, cum rerum et vocabulorum, quae hiſce ſcholiis inſunt, indice.*
Ad calcem: *excuſum Marpurgi per Chriſtian. Aegenolphum, menſe Auguſto 1543.* fol. pagg. 87.
auerſis non numeratis. Praemiſſ. pagg. 4. ind. pagg. 16. quem tractatum, eodem, vt videtur, anno, titulo
communi (ſeruato tamen huius tractatus titulo peculiari) iunxit idem typographus Dioſcoridis operi cum
annotationibus RYFFI Francof. excuſis vid. art. ſuper. XI. 4.; parum autem laudis obtinuit a Geſnero Bib-
lioth. p. 434. a. Eundem iam a. 1531. edidiſſe *NICANDRI Theriacam et alexipharmaca cum ſcho-
26 liis et interpretatione latina*, indicat Merckl. p. 627. b. 26) Multis operibus latine et germanice editis
amplam famam aucupatus, exiguam vero vel nullam plane conſequutus eſt GVALTERVS ſiue WALTERVS
HERMANNVS RYFF, RIFFVS vel RIVIVS nominatus, medicus Argentoratenſis. Male autem omnibus fer-
me audit atque etiam iam Geſnero, qui eum biblioth. p. 284. b. ſequ. graui virgula cenſoria notat: ſufficiant
haec pauca; *ſi quae tamen in illis* (operibus) *bona reperiuntur, mera ſunt furta, et pleraque perperam a
primis autoribus exſcripta ac deprauata.* conf. art. XI. poſt n. 15. Eiusdem farinae cenſentur *eiusdem in Dio-
27 ſcoridem obſeruationes* ſupra iam art. XI. 4. 5. indicatae. 27) Maioris pretii haud eſt opuſculum hoc titu-
lo euulgatum: *Tomus ſecundus elementorum phyſiologiae, ſeu philoſophiae naturalis, tres libros conti-
nens: Primus animam, ſecundus plantas, tertius animalia deſcribit. Autore IOANNE MON-
HEMIO. Coloniae haeredes Gymnici excudebant 1544.* 8. ſine paginarum numeris, lib. I. vnacum tit.
et dedic. plag. 5. L. II. alph. 1. plag. 9. cum pagg. 5. Accedit ex libello EOBANI HESSI carmen *de con-
ſeruanda bona valetudine* et *Horti alcinoi* pagg. 9. tertius autem liber de animalibus non additus, ne-
que, quantum ſcio, poſtea ſigillatim editus eſt. Hunc pariter plagii crimine accuſat Geſnerus l. c. p. 438.
b; ſed ipſemet auctor in dedicatione Coloniae Cal. Iulii 1544. ſcripta indicat, puerorum erudiendorum tan-
tum in gratiam ſe compoſuiſſe hoc opuſculum et auctores ipſumque Geſnerum nominat, ex quorum mo-
numentis illud compoſuit. Primus tomus, huc autem non pertinens, hac inſcriptione prius comparuit:
*Elementorum phyſiologiae ſeu philoſophiae naturalis libri ſeptem, in duos tomos diſtincti, vniuerſam
artem μεθοδικῶς complectentes: Authore IO. MONHEMIO. Coloniae Io. Gymnicus excudebat
1542.* 8. plag. 8. cum dimid. LI. rerum naturalium principia eorumque circumſtantias deſcribit, II. mun-
28 dum et eius partes, III. Meteora, IV. metalla atque lapides; reliqui tres ad Tom. II. pertinent. 28) Quum
a. 1549. altera DIOSCORIDIS (art. XI. 5.) editio pararetur, omittebantur IO. LONICERI ſcholia, ſed addebantur
VALERII CORDI in PED. DIOSCORIDIS de medica materia libros annotationes a p. 449. ad
533. vt et *EVR. CORDI iudicium de herbis et ſimplicibus medicinae, ac eorum, quae apud medi-
cos contrauertuntur, deciſio et explicatio* a p. 534. ad 541. tandemque *Herbarum nomenclaturae va-
riarum gentium, Dioſcoridi adſcriptae, ſecundum litterarum ordinem expoſitae a CONR. GESNE-
a RO* a p. 541. ad 554. vid. artic. XI. 5. Quod a) ad EVR. CORDI opuſculum attinet, typographus in praefa-
tione indicat, eſſe hoc nil aliud, quam epitomen Botanologici (ſup. n. 10. a.) eiusdem auctoris; ſed continet
eandem iam prima Botanologici editio, vti etiam illa Pariſiis recuſa (n. 10. b.) vbi indicis loco annectitur hac
inſcriptione: *index et quaſi epilogus ſeu epitome omnium fere eorum, quae in hoc dialogo* (ipſum namque
botanologicon colloquii in modum conſcriptum eſt) *tractantur*: perperam ergo tanquam diſtinctum huius
auctoris opus citatur a Merckl. p. 265. a. et Segu. p. 44. qui praeterea hunc peculiarem titulum indicat:
*iudicium de herbis ſingulis, quarum in medicina vſus eſt, et huius generis eorum, quae apud medicos
controuertuntur, explicatio. Prima editio. Francof. ap. Egenolphum 1539.* (ſine formae additione)
ibidem cum Dioſcoride ex editione Ruellii 1549. in fol.; videntur autem haec ex aliorum citationibus
b variis et imperfectis tantum tranſcripta. b) VAL. CORDI, EVRICII filii, annotationes ex manuſcripto, quod
auctor Vitembergae nonnullis medicinae ſtudioſis dictauerat, omnino primum hic publicatae et deinde cum
patris Botanologico Pariſiis (10. b) recuſae ſunt. Conſcripſit easdem iuuenis adhuc aetatis 17. annum
agens et a. 1531. Vitembergae adhuc ipſe diſcipulus in magiſtrorum admirationem, dum commilitonibus Dio-
ſcoridem ter praelegiſſet: vnde facile colligi poteſt, qua induſtria, quoque ingenio praecoci, et nihilominus
acri, condecoratus fuerit, et quam ob rationem fata eius praematura, quae d. 25. Sept. a. 1544. aetatis 29.
Romae contigerunt, luxerint omnes cordati et de publica vtilitate ſolliciti viri. Erant autem hae obſeruatio-
nes non niſi prima collectanea, quae poſtea vlterius perficere haud intermiſit, docente id ipſum exemplari
manu eius ſcripto, quod multo auctius et emendatius poſtea vnacum reliquis eiusdem poſthumis operibus
edidit GESNERVS hoc titulo: *In hoc volumine continentur VALERII CORDI Simeſuſii annotatio-
nes in PED. DIOSCORIDIS Anazarbei de medica materia libros V. longe aliae quam antehac*

ſunt

ſunt euulgatae. EIVSD. VAL. CORDI Hiſtoriae ſtirpium Lib. VII. poſthumi, nunc primum in lucem editi, adiectis etiam ſtirpium iconibus et breuiſſimis annotatiunculis. Sylua, qua rerum foſſilium in Germania plurimarum, metallorum, lapidum et ſtirpium aliquot rariorum notitiam breuiſſime perſequitur, nunquam hactenus viſa. De artificioſis extractionibus liber. Compoſitiones medicinales aliquot, non vulgares. His accedunt Stocc-bornii et Neſſi in Bernatium Heluetiorum ditione montium, et naſcentium in eis ſtirpium, deſcriptio BENEDICTI ARETII, Graecae et Hebraicae linguarum in ſchola Bernenſi profeſſoris clariſſimi. Item CONRADI GESNERI de hortis Germaniae liber recens, vnacum deſcriptione Tulipae Turcarum, Chamaeceraſi montani, Chamaemeſpili, Chamaenerii, et Conyzoidis. Omnia ſummo ſtudio atque induſtria doctiſſ. atque excellentiſſ. viri CONR. GESNERI medici Tigurini collecta et praefationibus illuſtrata. Ad calcem: *Argentorati excudebat Ioſias Ribelius 1561.* fol. pagg. 303. auerſis non numeratis: Praemiſſ. pagg. 16. Cordi annotat. in Dioſc. p. 1—84. hiſtoria p. 85—212. icon. 275. deſcr. Tulipae &c. p. 213—216. icon. 5. Sylua obſ. &c. p. 217—231, opuſculum ARETII p. 232—235. hort. Germ p. 236—301. Ind. pagg. 11. Ex praefationibus et dedicationibus Geſneri diſcimus, a quibus haec omnia Cordi opera acceperit, quidque ipſe ſubinde illis addiderit (conf. nota Seguier. p. 45.) nec non vnde additae icones deſumtae ſint, nempe (vltra 200) ex apparatu illo, quem typographus pro Tragi hiſtoria ſtirpium edenda parari curauit, reliquis exceptis, quas Geſnerus vel ſecundum aliorum auctorum (circiter 12) imagines, vel ſecundum picturas, quas ipſe parandas curauit vel a KENTMANNO communicatas accepit (56. praeter 5. vltimas) quas omnes ingenuus Geſnerus notis diſtinxit. Biennio poſt ſequutus eſt *VAL. CORDI Simeſuſii ſtirpium deſcriptionis liber quintus, qua in Italia ſibi viſas deſcribit; in praecedentibus vel omnino intactas, vel parcius deſcriptas. Hunc autem morte praeuentus perficere non potuit. De morbo et obitu VAL. CORDI epiſtola HIER. SCHREIBERI Norimbergenſis. In eiusdem obitum CASP. CRVCIGERI elegia. Emendationes quaedam et additiones in opera VAL. CORDI Argentitinae excuſa apud Ioſ. Ribelium 1560.* (1561.) *Argentorati excudebat Ioſ. Ribelius 1563.* fol. pagg. 13. auerſ. non numeratis, ſine figuris. Quo teſtimonio MELCH. ADAMI in vita VAL. CORDI operis ſui in 8. Heidelb. 1620. p. 47. et in fol. Francof. 1706. p. 21. a. affirmauerit, *ſextum hiſtoriae ſtirpium autographum librum* ſuperfuiſſe, non indicauit. c) Herbarum denique nomenclaturae Geſneri, quae Dioſcoridis editioni ſupra citatae acceſſerunt, extabant iam cum eiusdem catalogo plantarum &c. ſupra no. 22. indicato. c

§. XV. Hi ergo ſunt, ſi recte memini, omnes vel ſaltem praecipui illi Germani, qui pro inſtauranda et emendanda re herbaria ad primum vsque ſeculi XVI. dimidium omnes vires neruosque intenderunt. Quum vero iniquum fore duxi, ſi reliquorum virorum in eandem ſcientiam collocata ſtudia, quibus eadem temporis periodo et partim iam ante Germanos pro meritis claruerunt, ſilentio penitus praeterirem, eorum quoque operum, quatenus mea collectio ſuccurrit, pari ordine chronologico, ſed primis tantum lineis adumbrata recenſio, colophonem tandem imponat. Ne autem veterum auctorum ea opera, quae ſtirpium hiſtoriam valde ieiune tantum pertractarunt, huic catalogo perperam inſerta videantur, in gratiam eorum, qui rei herbariae hiſtoriam nondum cognitam habent, pauca praemittenda neceſſum duxi. Quam diu litterarum barbaries omnes ſcientias artesque ſubiugauit, vnacum reliquis botanica quoque penitus negligebatur. Quicquid de ſtirpium cognitione ad pharmaca inde conficienda conſeruandum erat, in nudis ferme conſiſtebat vocabulis, quae ex Arabum praecipue operibus in latinam linguam male translatis et peius adhuc intellectis traditioneque fallaci, absque omni inquiſitione vlteriori, colligebantur. Quam ſterilis ergo atque infida eiusmodi expoſitio ſtirpium medicinalium a Barbaro-Latinis medicis conſcripta fuerit, facile teſtantur illi, qui tamen ex his praeferebantur reliquis, e. gr. IO. PLATEARIVS, SIMON IANVENSIS, MATTH. SYLVATICVS &c. quibus adhuc accenſendi ſunt eiusdem aeui Barbaro-Graeci SIMON SETHI, MYREPSVS &c. Quod ad Arabes attinet, hi iterum ſtirpium medicinalium recenſionem potiſſimum ex Graecorum, praecipue GALENI eiusque epitomatorum ORIBASII, PAVLLI (§. XIV. 4.) AETIIque (ibid. 19) operibus, lingua Arabibus pariter peregrina conſcriptis parique difficultate transferendis, deſumſerunt, multas tamen ſimul cognitas fecerunt, quarum apud Graecos nullum veſtigium reperitur, ex quibus praecipui ſunt SERAPIO, AVERRHOIS, RHASIS, AVICENNA, HALYABAS, MESVE &c. Ex Graecis denique, quorum codices conſeruati vel ſaltem huc vsque typis excuſi ſunt, ſolus DIOSCORIDES, et iam ante hunc THEOPHRASTVS Ereſius, in tradenda ſtirpium hiſtoria curioſius occupati fuerunt: ipſe namque GALENVS, medicinae poſt HIPPOCRATEM nouus reformator, ad DIOSCOR. & THEOPHR. frequenter ablegat (IO. ALB. FABRICIVS in *Biblioth. Graec. L. IV. c. 17. p. 570. & 588.* loca citata ſigillatim indicat) et nullibi (quod GESNERVS iam in catalogo ſaepius citato notauit) quoad ſtirpium hiſtoriam noui quicquam addidit. Ante TEOPHRASTVM quidem eius praeceptor ARISTOTELES problematum ſectione XX. de illis, *quae ad ſtirpium genus et oleracea pertinent*, egit, et eius opera porro continent peculiares libros II. *de plantis* inſcriptos: ſed (vt taceam, horum librorum auctorem aeque, ac eorum interpretem, omnium fere conſenſu incertum eſſe) et hi et illa nil continent, quam inutiles de generalibus ſtirpium qualitatibus diſſertationes, hincque ex botanicorum claſſe merito proſcribuntur. Haec omnia fuſius iam explicauit TOURNEFORTIVS in Iſagoge in rem herbariam ſuis inſtitutionibus praefixa, aliique in ſimilibus recenſionibus, ad quas plura ſcire deſiderantem ablego; ex hactenus allatis autem iam ſatis patere opinor, quam ob rationem veterum opera in botanicorum recenſione praeteriri nequeant. Aliorum catalogi multorum adhuc operum mentionem faciunt, quae, dum morborum remedia indicant, multas variasque ſtirpes ſimul nominant, e. gr. ipſius HIPPOCRATIS, CORN. CELSI &c. pluriumque Barbaro-Latinorum; ſed hae hinc inde interſperſae non ſolum improbo labore colligendae eſſent, verum etiam ſimpliciter tantum nominatae, raro vno vel altero ſynonymo, nunquam vero ſufficiente deſcriptione explicatae, reliquorum operum indices aliquibus forte nominibus quidem auctura e, vix autem, ac ne vix quidem, ad ipſam earum cognitionem quicquam adlaturae eſſent, id quod etiam probant ſpecimina illa, quae BRVNFELSIVS (art. XIV. 7. b l.) exhibuit. Huc etiam vocant plurimi, et quidem maiori iure, geoponica ſeu de re ruſtica opera CATONIS, VARRONIS, VIRGILII, COLVMELLAE, PALLADII &c. ſed ne ad nauſeam vsque extendam hanc diſquiſitionem, ea praeterii, cumprimis quia illorum auctores non aeque ſtirpium cognitionem, quam earundem culturam, emendandam docendamue curae cordique habuerunt.

§. XVI. Ex libris itaque adhuc recenſendis 1) quantum ego quidem reperi, typis excuſa ſunt opera MESVES. Vixit autem ſec. VIII. vel initio IX. MESVE ex ciuitate Niſabor regionis Choroſaniae olim Bactrianae ortus, ſeu IOHANNA filius MESVACH, itemque IOANNES ſeu IANVS Damaſcenus, medicus Syrus, qui pro eodem habetur; inclaruit vero etiam ſeculo XI. vel XII. IOANNES MESVE Damaſcenus, filius HAMACH filii ABDELA, regis Damaſci, cui nomen MESVACH alii tribuunt: quomodo autem hi diſtinguendi, et cuinam opera Meſues nomine publicata tribuenda ſint, nondum conſentiunt auctores: *vid. Caſtell. p. 143. Merckl. p. 640. a. Tourn. l. ſ. p. 17. Segu. p. 279. Keſtn. p. 126. 136. Ioech. T. II. p. 1917. III. p. 478.* Sequitur autem tractatum, canones inſcriptum, alius tractatus de ſimplicibus purgantibus, vbi hinc inde, valde tamen imperfecte, hae ſtirpes vel earum partes deſcribuntur, ſpecies nonnullae indicantur et ſynonyma adduntur; in *Grabadin* ſeu antidotario quoque earum ſubinde mentio fit. Opus eius *de medicinis vniuerſalibus Venet. ap. Clementinum Patauinum 1471.* in fol. vid. Segu. p. 279. Maitt. Annal. tyogr. T. I. ſeu IV. p. 310. et *eiusd. practica in medicinis particularium aegritudinum cum PETRI APPONI additione Neapol. per Berthold. Rying de Argentina 1475. die 12. Ian.* in fol. Segu. p. 279. Maitt. ibid. p. 346. Mea exemplaria ſunt ſequentia. a) MESVE *cum expoſitione* MONDINI *ſuper canones vniuerſales. ac etiam cum expoſitione CHRISTOPH. de HONESTIS* in *Antidotarium eiusdem. Additiones PETRI APPONI. Additiones FRANCISCI de PEDEMONTIVM. Antidotarium NICOLAI cum expoſitione PLATEARII. Tractatus quid pro quo* (absque auct. nomine indicat remedia ſibi inuicem ſubſtituenda) *Tractatus de ſinonimis* (iterum ſine A. nomine) *Libellus BVLCHASIS ſiue SERVITORIS* (translatus a SIM. IANVENSI interprete ABRAAM Iudeo Tortuoſienſi). *Compendium aromatariorum SALADINI. IO. de SANCTO AMANDO ſuper antidotarium Nicolai. Venetiis per Io. et Gregor. de Gregoriis fratres 1497. d. 14. Oct.* in fol. pagg. 360. (ſed ex typographi incuria, ſunt enim 374.) auerſis non numerat. (Cum inſcriptione iisdem verbis *impreſſa per Bonetum Locatellum Bergomenſem iuſſu et impenſis nobilis viri Dom. Octauiani Scoti ciuis Modaetienſis 1495. prid. Kal. April.* vid. Maitt. l. c. p. 602. *MVNDINI et CHR. de HONESTIS expoſitiones Ferrariae et Bononiae iam 1488.* in fol. Segu. p. 279.) b) *Eodem titulo ibid. 1508. d. 20. Oct. Sereniſſ. Dom. D. Leonardo Lauretano Venetiarum Duce imperante.* fol. pagg. 379. auerſ. non numeratis. c) *Eodem titulo* cum his additis: *Additiones noue ſuper Meſue et Nicolai Antidotariis. Quotationes item marginales. Tabule due nouiter addite. Prima ad breuius et facilius inueniendum quodlibet antidotum in antidotariis Meſue et Nicolai poſitum. Secunda vt promptius proprietates et iuuamenta dictorum antidotorum ſciri poſſint. Omnia accuratius quam hactenus fuerint emendata cum marginalibus adnotamentis nuperrime adiectis.* Ad calcem: *Impreſſa in famatiſſimo Lugdunenn. emporio, Induſtria probi viri Gilberti de Villiers chalcographi Lugdunenſ. incolae, ſumptibus vero et impenſis honeſti viri Vincentii de Portonariis de Tridino de monte ferrato. 1519. die vlt. menſ. Iulii* fol. foliis 327. ſeu pagg. 654. tab. alphabetica pagg. 13. d) *Diui* MESVE *et noua quedam vltra ea que ſecum aſſociari conſueuerunt opera preclariſſima vt inferius ſpeculanti ſub manus indicio demonſtratur.* Haec titulo ſubiecta indicant has acceſſiones: *CHR. GE.* (ſc. de HONESTIS) *Florentini tractatus de aqua et ptiſana ordeacea conficienda. ALCHINDI medicorum perſpicaciſſimi de medicinarum compoſitarum gradibus inueſtigandis libellus. Subtiliſſimus HABENGVEFIT de ſimplicibus medicinis libellus. Egregius APVLEI medici antiquiſſimi de ponderibus et menſuris libellus. Antidotorum in MESVE et NICOLAI Antidotariis contentorum index. Remediorum variis aegritudinibus conferentium ſummula copioſiſſima.* Ad calcem: *que diligenti IOAN. BAPT. de NICOLAIS Brixiani Salodienſis elucubratione caſtigata poſt vniuerſas eorum impreſſiones in florentiſſ. Venetiar. vrbe Domini Luce Antonii Iunta florentini huius artis curioſiſſimi ſumptibus excuſa ſunt anno* NB. *ante Chri. aduentum 1527. Marcii idibus* fol. pagg. 388. auerſis non numeratis. e) *Opera Diui* IOANNIS MESVE. *Diui* IO. MESVE *Medicorum euangeliſtae celeberrimi praeclara opera, ſtudioſis artis medicinae perquam vtilia, quae non ſolum quam hactenus fuerint nuperrime caſtigatiora, verum etiam multum locupletiora reddita ſunt, vt candidiſſimo cuique lectori conſtabit, opuſculorum inſcriptiones, quas proxime ſequens pagina complectitur, diſpicienti* (ſecundum hanc paginam accedunt: *inſignis medici COPHONIS tractatus de arte medendi, omnibus morborum curam auſpicaturis apprime neceſſarius. GENTILIS FVLGINATIS de doſi medicinarum inueſtiganda libellus. DOMINICI (VICENTINI) ARCHIGNANEI de ponderibus et menſuris libellus, tres continens tractatus, qui ad praxim quam maxime neceſſarii ſunt.* Praeterea addition. nouar. edit. c. d. auctor nominatur D. MICHAEL a CAPELLA Tornacenn.): ad calcem: *excuſa in famatiſſimo Lugdunenn. emporio ſumptibus et impenſis honeſti viri Vincentii de Portonariis de Tridino de monte ferrato: induſtria vero Ioann. Creſpin. alias du Carre 1533. die XV. menſis Maii* fol. foliis 357. ſeu pagg. 714. NB. in hoc et antecedenti exemplari MONDINVS nominatur MVNDINVS DE LENTIIS (a LVCIIS Segu. p. 279.) et CHR. de HONESTIS, appellatur CHRISTOPH. GEORGIVS. f) *IO. MESVAE Damaſceni de re medica libri tres:* (Theoremata ſeu Canones vniuerſales, de medicamentis ſimplicibus purgantibus, et antidotarium) *IACOBO SYLVIO medico interprete. Pariſiis ap. Chr. Wechelum 1542.* fol. pagg. 350. Liber ſecundus, qui agit de medicamentis ſimplicibus purgantibus, copioſis notis ad margines et ad calcem ſingulorum capitulorum inſtructus eſt, maximam tamen partem ex veteribus Graecis aliisque petitis et ſemper citatis; neque etiam antidotarium iisdem caret. g) *Eodem titulo Lugduni ap. Io. Tornaeſium et Guil. Gazaeum. 1548.* 8. pagg. 372. praemiſſ. pagg. 16. ind. pagg. 22. h) *In Antidotarium IOANNIS Filii MESVE* (cenſura) *cum declaratione ſimplicium medicinarum, et ſolutione multorum dubiorum ac difficilium terminorum. Adiecto facillimo atque copioſo indice, nec non et receptario caſtigatiſſimo cum ſuo repertorio. Opus ſane quibuscunque tam medicinae ſtudioſis, quam aromatariis, vtile et neceſſarium.* Ad calcem: *per Venerandos Patres et IEſu Chriſti ſeruos, Fratres BARTHOLOMAEVM VRBEVETANVM et ANGELVM PALEAM IVVENATIENSEM, Ordinis Minorum obſeruantiae Prouinciae Romanae. Impreſſum Venetiis per Barthol. de Zanettis Brixienſem 1543. XVIII. Menſis Iulii.* fol. antidot. pagg. 328. praemiſſ. cum indice copioſiſſ. pagg. 52. Receptar. pagg. 84. in column. diuiſis, ſingulis diuiſionibus numeratis, ind. pagg. 5. Auctores huius operis declarat ſubſcriptio indicata et dedicatio ex ſacro Araecaeli conuentu Romae IV. Nonas Iulii 1542. data, et poſſeſſor huius mei exemplaris anonymus manu adſcripſit, ex ipſius fratris Angeli relatione ſe eodem publicationis

cationis anno Venetiis audiuiſſe, illum cum ſocio ſuo in opere hoc elaborando per 20. annos deſudaſſe illudque porro per 15. medicinae Doctores Italiae eruditiores correctum et approbatum eſſe. Ipſe titulus indicat, continere hoc opus ſolum antidotarium; ſed omnia ſimplicia, quae compoſitiones ingrediuntur, ſatis prolixe vbique expoſita ſunt. i) *Eodem titulo Lugdun. ap. Io. et Franciſc. Fellonios fratres 1546.* ad calcem: *1545.* in 8. pagg. 622 praemiſſ. pagg. 32. Receptar. pagg. 81. ind. pagg. 12. k *MESVE et omnia quae cum eo inprimi conſueuerunt, pulchrioribus typis reformata, diligentiorique animaduerſione emendata, et pluribus in locis reſtituta, atque copioſiori indice, quid in quoque opere contineatur, ſignificante decorata: quae in ſequenti pagina deſcripta ſunt. Addita eſt IAC. SILVII interpretatio canonum vniuerſalium, ſimplicium medicinarum, atque antidotarii: in quo et ponderum varietatem in margine annotauimus. Et duo Trochiſci Meſue, quae in manuſcriptis exemplaribus inuenimus: et quaedam compoſitiones ex Galeno, quae nunc ab aromatariis in vſu habentur.* Ad calcem: *Venetiis in officina haeredum D. Lucae Ant. Iuntae menſe Ianuario 1549.* fol. Prior diuiſio pagg. 141. poſterior pagg. 313. vbique auerſis non numeratis, tit. et ind. pagg. 27. Auerſa tituli pagina indicantur praeter editionis lit. e. et huius tituli contenta *IAC. de PARTIBVS Summula, remedia continens omnium aegritudinum, ad alphabeti ſeriem diſpoſitarum.* l) *IO. MESVE Damaſceni, medici clariſſimi, opera de medicamentorum purgantium delectu, caſtigatione, et vſu, libri duo, quorum priorem Canones vniuerſales, poſteriorem de ſimplicibus vocant. Grabadin, hoc eſt compendii ſecretorum medicamentorum, libri duo, quorum prior Antidotarium, poſterior de appropriatis vulgo inſcribitur. Cum MVNDINI, HONESTI, MANARDI et SYLVII in tres priores libros obſeruationibus, quae vulgo cum his prodire conſueuerunt. His acceſſere plantarum in libro ſimplicium deſcriptarum imagines ex viuo expreſſae. Et IO. COSTAEI annotationes, tum quas in editione priori* (forte 1589. vid. Merckl. p. 640. b) *dedimus, tum praeterea nouae aliae in poſtremas nouem Antidotarii ſectiones, quae deſiderabantur. Reliqua vero, quae cum Meſuae operibus exire ſolent, in aliud volumen coniecimus, quod nomine ſupplementi in Meſuen inſcriptum eſt. Quae omnia accuratiſſime hac poſtrema editione prodeunt emendata et ab innumeris mendis et erroribus, qui in ſuperiori irrepſerant, adhibita doctorum hominum induſtria, expurgata. Venetiis ap. Iuntas 1623.* fol. pagg. 252. ſupplem. pagg. 278. vbique auerſ. non numeratis, praemiſſ. pagg. 12. ind. pagg. 22. Praefixa dedicatio COSTAEI docet, ſe prioris tomi correctionis, poſterioris vero ſeu ſupplementi VINCENTIVM COGOLLVM medicum Vicentinum curam geſſiſſe. Supplementi contenta eadem ſunt, ac editionis lit e., quae verbotenus ferme recenſet Merckl. l. c. Stirpium imaginum numerantur tantum 39. (quum tamen ſtirpium 50 deſcribantur) ligno inſculptae atque eaedem, vel ſaltem maximam partem ad eandem normam denuo factae, quae in Mathioli editione Valgriſiana anni 1570. reperiuntur, adeoque peculiari conſideratione haud dignae. m) IO. IAC. de MANLIIS *annotationes in antidot.* vid. §. 14. 7. m. IO. MANARDI vero num. ſeq 19. b – f. n) Qui IANI DAMASCENI *Decapolitani* nomine ab ALB. TORINO et GERARDO IATRO editi ſunt *Therapeuticae methodi h. e. curandi artis L. VII. Baſil. ex offic. Henr. Petri Menſ. mart. 1543.* in fol pagg. 491. praemiſſ. pagg. 24. penitus ſunt diſtinguendi, neque de vegetabilibus agunt, niſi in remediorum formulis, vbi vero ſimplicibus tantum nominibus indicantur. 2) SIMON IANVENSIS, ſeu GENVENSIS, itemque SIMON GENIATES, vel SIMON a CORDO dictus (quae nomina nonnulli absque ſufficienti teſtimonio diſtinguunt) Genuae natus et ſec. XIII. clarus fuit: vid. *Merckl p. 971. a. Maitt. annal. T. I. ſ. IV p. 473. V. P. II. p. 246. Segu. p. 268. 304. Keſtn. p. 71. 528. nota m. Ioech. T. I. p. 2094. II. p. 1843. IV. p. 599. 600.* Opus eius, *clauis ſanationis* inſcriptum, iam *a. 1474. Patauii per Petrum Mauſer Normannum,* in fol. prodiiſſe, teſtatur *Segu. p. 268.* a) Meum exemplar non aliud habet frontiſpicium, quam hanc ipſius tractationis inſcriptionem: *Incipit clauis ſanationis elaborata per venerabilem virum, Magiſtrum* SIMONEM IANVENSEM *Domini Pape ſubdyaconum et capellanum medicum quondam felicis recordationis Domini Nicolai Pape quarti qui fuit primus de ordine minorum.* Ad calcem: *Venetiis per Guilielmum de Tridino ex Monteferrato 1486. die 13. Nouembris* fol. in columnis diuiſis ſine paginarum numeris foliis 98. b) Alteri hic praefixus eſt titulus: SIMONIS IANVENSIS *opuſculum, cui nomen clauis ſanationis ſimplicia medicinalia latina greca et arabica ordine alphabetico mirifice elucidans recognitum ac mendis purgatum: et quotationibus Plinii maxime ac aliorum in marginibus ornatum: et quam diligentius ac correctius id fieri potuit impreſſum.* Ad calcem: *finis Simonis Ianuenſis additis auctoritatibus Plinii locis propriis per* GEORGIVM DE FERRARIIS *de Varolengo montisferrati, artium et medicinae Doctorem. Impreſſum Venetiis per Gregorium de Gregoriis 1514. die 22. menſis Maii.* fol. pagg. 65. auerſis non numeratis. Inſcriptio tractationis eadem eſt, ac prioris editionis, cuius frontiſpicium forte deficit. Eſt autem opus hoc nil aliud quam lexicon litterarum ordine non ſolum ſtirpium, verum etiam aliarum rerum, in ſcriptis medicis occurentium nominum artisque terminorum tum per ſynonyma tum per breuem deſcriptionem expoſitio. Quousque differant vel conueniant *ſynonyma* SIMONIS GENVENSIS: *impreſſ. per Anton. Zarotum die Martis III. Auguſti Mediolani 1473.* in fol. (quae indicat *Maitt. Annal. T. I. ſ. IV. p. 329.*) iudicent alii. Ceterum conf. ſuper. num. 1. a. et ſeq. num. 3. a. c. 3) MATTHAEVM SYLVATICVM medicum Mantuanum, (*vid. Caſtell. p. 158. Merckl. p. 794. b. Tourn. Iſagog p. 19. Segu. 303. Keſtn. p. 58. Ioech. T. IV. p. 960.*) ſec. XIV. opus ſuum compoſuiſſe, teſtatur ipſa eius inſcriptio; prodiit autem a) ſine titulo hac tractationis inſcriptione: LIBER. PANDECTARVM. MEDICINAE. OMNIA. MEDICINE SIMPLICIA. CONTINENS. QVEM. EX. OMNIBVS. ANTIQVORVM LIBRIS AGGREGAVIT. EXIMIVS. ARTIVM. ET. MEDICINAE. DOCTOR. MATTHEVS. SILVATICVS. AD. SERENISSIMVM. SICILIE. REGEM. ROBERTVM. Ad calcem: *Opus pandectarum medicine emendatum per eximium artium et medicine doctorem dominum et magiſtrum* MATTHEVM MORETVM *brixianum Bononie in medicina et aſtronomia legentem. Et impreſſum per magiſtrum Iohannem Vurſter de Kampidona 1474.* fol. regal. charta firmiſſ. et typo elegantiſſ. ſplendide excuſum. in columnis diuiſis ſine pagin. numeris, ſine litteris initialibus (vbique tamen eleganter vel rubro vel caeruleo pigmento adſcriptis) et ſine cuſtode foliis 348., ſequitur vnicum folium cum quibusdam addendis, et deinde MORETI praefatio atque index alphabeticus nominum latinorum fol. 5. quae forte bibliopegi errore poſt poſita ſunt. Praefatio indicat inter auctores, ex quibus conſcriptum eſt hoc opus, etiam SIM. IANVENSEM, et addit: *Huius autem auctoris nomen licet ſit ambiguum; ipſum tamen a fide dignis* MATTHEVM SILVATICVM *nuncupatum fuiſſe accepi.* Con-

ſtat autem capp. 720, quibus totidem vocabula explicantur obſcura per aeque obſcurum, vti *Keſtn. p. 58. §. IV.* recte iam annotauit. Ceterum de hac et alia eodem anno Neapolis excuſa editione vid. *Maitt. annal. T. I.* p. 106. I. ſ. IV. p. 333.* vbi titulo: liber *cibalis et medicinalis pandectarum* MATTH. SYLVATICI, citatur, et conf. *id. T. V. P. II. p. 270.* b) Tituli loco ſolum exhibet nomen *Pandecte*, deinde ſequitur index latinus cum eadem MORETI praefatione fol. 3. porro opus ipſum hac inſcriptione: *Opus pandectarum, quod aggregauit eximius artium et medicine doctor MATHEVS* SILVATICVS *ad ſereniſſ. Sicilie regem Robertum, qui fuerunt anno mundi 6516. anno vero Chr. 1317. coeui* PETRO DE ABANO, DINO DE GARBO, GENTILI, BONAVENTVRE, FRANCISCO MAYRONI, *et* NICOLAO DE LYRA. pagg. 192. auerſis non numer. ad calcem: *Opus pandectarum medicine ordinatam ſecundum litteras alphabeti ita, vt facillime et quam primum reperiatur, quicquid ineſt, per* GEORGIVM DE FERRARIIS *de monte ferato artium et medicine doctorem. Impreſſum Venetiis per Philippum Pinzium Mantuanum 1492. d. 16. Iunii, ſumptibus et expenſis Domini Bernardini Fontana.* Sequuntur denique p. 193. additamenta, Haec editio capp. 702. conſtat in fol. ord. ſine litt. initialibus. c) *Pandectae medicinae. Opus Pandectarum medicinae clariſſimi viri* MATTHAEI SILVATICI, *tam aromatariis, quam medicis omnibus neceſſarium, nuperrime caſtigatius redditum, et non inuenuſtis characteribus in gratiam ſtudioſorum excuſum, ac plurimis celeberr. auctorum, inprimisque* SIMONIS NB. GENVENSIS, *adnotationibus decenter illuſtratum, nec non variis capitibus ſimplicium medicinarum, quae in perquam multis codicibus non comperiuntur, adauctum: cum tractatu quoque declarante quantum ex ſolutiuis laborioſis ingrediatur pro ſingula drachma pilularum et electuariorum ſolutiuorum. Tabula ſimplicium proxime ſequentem paginam voluenti ſeſe offert. Subiecta quoque eſt in fine operis tabula omnium capitum per elementorum alphabeti ſeriem digeſta. Adiecta item fuere Adnotamenta pleraque ſtudioſis lectoribus haud dubie profutura per eximium medicae facultatis Profeſſorem* DOMINICVM MARTINVM DE SOSPITELLO, *qui non pauca quae deprauata fuerant integritati ſuae non indiligenter reſtituit. Lugduni apud Hugonem a Porta, 1541.* Ad calcem: *Explicit opus Pandectarum medicinae* MATTH. SILVATICI SYMONIS*que* NB. IANVENSIS *cum tabula et additionibus ac doſi ſolutiuorum Magiſtri* BAPTISTAE SARDI, *ac inſuper annotationibus capitulorum et autorum nuper additis per Dom. Magiſtrum* DOMINICVM MARTINVM DE SOSPITELLO. *Lugduni nunc demum exactiſſime per inclytum probumque virum Theobaldum Paganum chalcographum excuſum 1541. d. 6. menſis Aprilis.* fol. pagg. 172. auerſ. non numeratis, praemiſſ. pagg. 8. ind. pagg. 6. Haec editio conſtat capp. 716. quae ſequuntur alia 36. quasdam ſtirpes omiſſas fuſius deſcribentia. 4) AVICENNA filius HALI, Perſa, cuius integrum nomen eſt ABVALI (ABVHALI aut ABVVALI) ALHASEN (ELHVSEIN) EBENHALI, IBN ADALLA, IBNVSINA (IBNTSINA, ABENSINA aut EBENSINA) corrupte AVICENNA, vixit ſec. XII. vel rectius ſub finem ſec. X. et initium XI. *vid. Caſtell. p. 136. Merckl. p. 98. a. Tourn. Iſag. p. 17. Segu. p. 225. Ioech. T. I. p. 647.* Huius auctoris primarium opus vocatur Canon medicinae et conſtat V. libris, accedunt tres alii libri et ſic dicta cantica. Ex his canonis libri II. tractatus ſecundus capitibus vel 758. vel 756. vel his 4. ex lectione hebraica additis exponit ſimplicia remedia, quae maximam partem ſunt vegetabilia. *Canonem*, per GERHARDVM Carmonenſem Hiſpanum latine verſum, per *Ioh. Hebert* Paduae a. 1476. iam excuſum eſſe, indicat *Maitt. T. I. ſ. IV. p. 360. Segu. p. 225.* Mea exemplaria ſunt a) *Liber* AVICENNA. Sola haec verba continet tituli pagina: ſequentibus libris ſingulis propriae ſuae praefixae ſunt inſcriptiones. Ad calcem: *Venetiis per Simonem Papienſem dictum Biuilaquam 1500. die XI. Nouembris*, 4. ſine paginarum numeris conſtat foliis 625. Huius editionis canonis liber VI, eſt tractatus de vi cordis, reliqui nondum additi ſunt. b) *Liber canonis totius medicine ab* AVICENNA *arabum doctiſſimo excuſſus a* GERARDO *Cremonenſi ab arabica lingua in latinam reductus, et a PETRO ANTONIO* RVSTICO *Placentino in philoſophia non mediocriter erudito ad limam ex omni parte ab erroribus et omni barbarie caſtigatus. Nec non a Dom.* SYMPHORIANO CAMPERIO *Lugdunenſi fecundis annotationibus terminisque arabicis et eorum expoſitionibus nuper illuſtratus: vnacum eius vita a Dom.* FRANCISCO CALPHVRNIO *non minus vere quam eleganter excerpta 1522.* Ad calcem: *Liber Auicenne Lugduni finem ſortitus eſt optatum opera Iacobi Myt diligentiſſimi calcographi 1522. nouembris* 4. pagg. 450. auerſ. non numeratis. Haec editio diſtinguit librum de vi cordis a reliquis, inſtructa eſt indice et continet etiam cantica; ſed reliqui tractatus adhuc deſunt. Haec etiam et antecedens continet 758. ſimplicium capita. c) AVICENNE *liber canonis medicine. Cum Caſtigationibus* ANDREAE BELLVNENSIS. Ad calcem: *Venetiis in edibus Lucae Antonii Iunta Florentini menſe iunio 1527.* fol. maior. in column. diuiſis pagg. 445. auerſ. non numeratis. praemiſſ. pagg. 8. Ex PAVLI ALPAGI dedicatione et praefatione patet, eum hoc opus patrui ſui ANDR. BELLVNENSIS poſthumum in lucem edidiſſe vbique ſecundum varia arabica exemplaria emendatum et auctum. Hac in editione ſimplicium capita ſunt 756. et praeter tract. de viribus cordis (ſeu rectius de medicinis cordialibus) et cantica nil acceſſit. d) AVICENNAE *medicorum Arabum principis liber canonis, de medicinis cordialibus et cantica. Iam olim quidem a* GERARDO CARMONENSI *ex Arabico ſermone in Latinum conuerſa. Poſtea vero ab* ANDR. ALPAGO *Bellunenſi, philoſopho et medico egregio, infinitis pene correctionibus ad veterum exemplarium Arabicorum fidem in margine factis, locupletiſſimoque nominum Arabicorum ab ipſo interpretatorum indice* (hic priori editioni c. nondum additus eſt) *decorata. Nunc autem demum a* BENEDICTO RINIO *Veneto, philoſopho et medico eminentiſſimo, eruditiſſimis accuratiſſimisque lucubrationibus illuſtrata. Qui et caſtigationes ab* ALPAGO *factas, ſuis quasque locis aptiſſime inſeruit: Et quam plurimas alias deprauatas lectiones in margine ingenioſiſſime emendauit. Et locos, in quibus autor ipſe vel eandem ſententiam, eandemue medicamenti vnius compoſitionem iterat, vel oppoſitas inter ſe ſententias ponit, vel aliquid denique ab Hippocrate, Ariſtotele, Dioſcoride, Galeno, Paulo, Aetio, Alexandro, Serapione, Raſi, Halyabate, Alſarabio mutuatur, diligentiſſime indicauit. Plurimis etiam Arabicis vocibus nunquam antea expoſitis, Latinum nomen inuenit: Indicemque latinum medicamentorum ſimplicium in ſecundum librum compoſuit. His acceſſerunt* AVICENNAE *libellus de remouendis nocumentis, quae accidunt in regimine ſanitatis: Eiusdem tractatus de Syrupo acetoſo.*

Ab

Ab eodem ALPAGO *ex Arabico in Latinum ſermonem translati. Cum indice rerum ac verborum notatu dignorum copioſo. Baſileae per* Ioannes Heruagios *1556.* fol. maior. pagg. 2004. Praemiſſ. et index pagg. 44. ad calcem arabicor. nominum interpretatio pagg. 27. et eorundem antiqua expoſitio pagg. 11. Haec editio omnes continet auctoris libros, et tractatus de ſimpl. medicinis capita 758. vbi nominibus arabicis maximam partem addita ſunt latina. e) Huc etiam pertinet opus hoc titulo: *Hic merito inſcribi potēs vite liber corporalis* ABOHALI ABYNSCENI *Canonis libros quinque duplici fere per totum commento munitos nuperque translatos: de viribus cordis. Ac Canticam eiusdem expoſitam. Aliaue quamplura diligenti patefacienda lectori luculentiſſime apprehendit. Doctores circa textum poſiti vt locis ſuis apparebit hi ſunt vz.* GENTILIS DE FVLGINEO. IACOBVS DE PARTIBVS. VGO SENENSIS. DINVS FLORENTINVS. MATTHEVS DE GRADIBVS. THADEVSque FLORENTINVS. fol. regali ſine paginar. numeris. Sed hoc meum exemplar incompletum eſt. Primum Volumen, quod poſſideo, praefixam habet breuem editoris, HIER. SVRIANI, praefationem, comprehendit tantum primi canonis fen I. II. III. et conſtat foliis 290. locus et annus ad calcem non additus eſt. Maximam ſpatii partem occupant commentarii in columnis diuiſis, quibus in diſtinctis areolis inſertus eſt Avicennae textus. Alias editiones a recentioribus denuo emendatas et auctas praetereo. 5) PEDACIVS vel rectius PEDANIVS (a nobiliſſima Pedania proſapia) DIOSCORIDES, ab Anazerba Ciliciae ciuitate, poſtea Caeſarea Auguſta dicta, Anazerbeus nominatus, vir militaris et medicus, vixit ſecundum nonnullos 56. annis ante aeram chriſtianam, potius vero ſecundum plurimos ſeculi primi priori dimidio Neronis et Veſpaſiani aetate. Opera eius non ſolum omnibus antea compoſitis (quot quidem eorum conſeruata fuere) palmam praeripuerunt, verum etiam ad XVI. vsque ſeculum in ſcholis medicorum ſtirpium earumque virium docendarum normam ſuppeditarunt et litterarum barbarie ſuperata omnium frequentiſſime emendata commentariisque illuſtrata comparuerunt, quorum vero defectus, tum quoad ſtirpium deſcriptionem tum quoad earum vſum, poſtea ſatis ſuperque manifeſtarunt perſpicaciores accuratioresque: *vid. Caſtell. p. 85. Merckl. p. 874. a. Tournef. Iſagog. p. 6. Fabr. Bibl. Gr. L. IV. c. 3. p. 88. ſeqq. Segu. p. 51. Keſtn. p. 525. §. 1. Ioech. T. II. p. 147.* Pertinent autem huc eius libri de materia medica, et quidem liber I. II. (exceptis primis 77. capitibus, quae de animalibus agunt) III. IV. et cap. I. libri V. Opus hoc primum latine prodiiſſe 1478. in fol. indicat *Maitt. T. V. p. 346.* ſed nec loci nec interpretis nomine addito: an eadem editio? quam *Segu. ex Spic. Vet. Edit. p. 51.* hoc titulo indicat: DIOSCORIDIS *Opera, latine, interprete et expoſitore* PETRO *Paduanenſi. Colle, Ioh. Alemannus, 1478.* in fol. Meum exemplar hunc prae ſe fert titulum: a) *Index librorum in preſenti volumine contentorum.* DYOSCORIDIS *exactiſſimi indagatoris fideliſſimique ſcriptoris virtutum ſimplicium medicinarum Liber CCCCCCCXVI continens capitula: cum nonnullis additionibus* PETRI *Paduanenſis in margine libri notatis. Eiusdem Dyoſcoridis de naturis et virtutibus aquarum tractatus vnus.* Ad calcem: *explicit liber Dyoſcoridis de natura ſimplicium quem Petrus paduanenſis padue legendo correxit et exponendo que vtiliora ſunt in lucem deduxit: impreſſus Lugduni per Gilbertum de villiers expenſis honeſtiſſimi viri Barthol. trot 1512. die vero XXIX. menſis martii.* in fol. minor. vel potius 4. maior. fol. 120. (i. e. pagg. 240.) tit. et index praemiſſus foliis 16. ad calcem index capitulor. fol. 3. Tituli paginae auerſae appreſſa eſt praefatio ANTONII DE TOLEDO Lugdunenſis, omnium medicinae Profeſſorum (vt addit) minimuli, vnde recenſionis loco pauca haec tranſcribere liceat: *in qua* (operum ſerie) *Galienum, Plinium aliosue Dioſcoride poſteriores alegando: translatorem non parum apocrizare, inſpicienti luce clarius eluceſcet. Volens igitur librum hunc omnibus peculiarem fieri — eum terſum: limpidum: ac mendis emendatum: calcographis imprimendum tradidi.* Ceterum autem neque interpretis neque prioris editionis mentionem facit vllam. Quae poſtea horum operum verſio cura HERMOLAI BARBARI non amplius barbara prodiit, primum excuſa eſt hoc titulo: DIOSCORIDIS *Anazarbei, de medicinali materia Libri V. latinitate primum donati ex verſione* HERM. BARBARI, *cum corollariis eiusdem et cum notis* IO. BAPT. EGNATII in folio ſine temporis et loci mentione: *vid. Giornale de letterati d' Italia T. XXVIII. p. 197. n. 3.* Eandem indicat *Segu. p. 53. ex Bibl. Maz.* et addit: *forſan Romae 1492.* ſed corollariorum tantum titulum exhibet, totius vero operis aliam editionem *Venet. 1516. in fol.* (cuius et iam meminit diarium Ital. l. c.) adducit *p. 52. n. 3.* Mea collectio hanc corollar. editionem aſſeruat b) HERMOLAI BARBARI, *Patricii Veneti et Aquileienſis Patriarchae in* DIOSCORIDEM *Corollariorum Libri V. Adiectus eſt Index eorum, quae hiſce libris explicantur, quem poſt Dioſcoridis indices conſulto locauimus. Coloniae ap. Io. Soterem 1530. menſ. Febr.* fol. pagg. 78. auerſ. non numeratis. conf. quae ſequ. lit. k. l. adduntur. Egnatii praefatio ſine anno et die tituli paginae auerſae adpreſſa docet, eum hoc opus poſt auctoris obitum in lucem edidiſſe. Pauca ex his excerpta reperiuntur apud Brunfelſium. vid. art. XVI. n. 7. c. Graecum exemplar primum excuſum eſt hoc titulo c) ΠΕΔΑΚΙΟΥ ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ *ἀναζαρβέως περὶ ὕλης ἰατρικῆς λόγοι ἕξ. Ἔτι περὶ ἰοβόλων ἐν ᾧ καὶ περὶ λυσσῶν τοῦ κυνὸς σημειώσεις τε τῶν ὑπ᾽ αὐτῶν δεδηγμένων καὶ θεραπεία.* ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ *τοῦ κολοφωνίου ποιητοῦ θηριακά, μετὰ σχολίων. Τοῦ αὐτοῦ Ἀλεξιφάρμακα.* Ad calcem Nicandri alexiph. *Venetiis apud Aldum menſe Iulio 1499.* fol. ſine paginarum numeris Dioſc. opera pagg. 268. Nicandri pagg. 76. ſcholia pagg. 20. Secunda Aldina editio prodiit 1518. 4. (*vid. Fabr. biblioth. Gr. L. IV. p. 96. Keſtn. p. 94. not. o. Maitt. T. I. ſ. IV. p. 87. et p. 687. T. II. p. 313.* vbi vero ſecundae forma in 8. indicatur) et tertia Cornarii cura *vid. artic. XIV. n. 2.* His addit *Merck. p. 874. b.* aliam Venet. apud Aldum *1506. in fol.* quam vero reliqui tacent. Nouam verſionem, quam deinde RVELLIVS ſuſcepit, primum prodiiſſe Pariſiis apud Henr. Stephanum 1516. in fol. vid. *Tournef. Iſagog. p. 22. ſeq. Maitt. T. II. p. 282. Segu. 52. Keſtn. p. 94. nota r.* Meae editiones ſunt d) PED. DIOSCORIDIS *Anazarbei de medica materia libri ſex,* IOANNE RVELLIO *Sueſſionenſi interprete, nunc primum ab ipſo Ruellio recogniti et ſuo nitori reſtituti. Pariſiis ap. Simon Colinaeum 1537.* 8. pagg. 246. auerſ. non numeratis, praemiſſ. fol. 20. ſ. pagg. 40. ad calcem annexa folia totidem. e) *Eodem titulo,* his tamen mutatis et additis: *poſtremum ab ipſo Ruellio recogniti et ſuo nitori reſtituti. His acceſſit, praeter pharmacorum ſimplicium catalogum, copioſus omniumfere medelarum ſiue curationum index. Baſil. ap. Mich. Iſing. 1542.* 8. pagg. 479. praemiſſ. pagg. 43. annexa pagg. 144. f) *Eodem titulo,* his additis: *nunc primum ſtudio cuiusdam viri doctiſſimi ad graecum exemplar recogniti:*

ac

ac eadem opera in curioſorum gratiam vulgatis officinarum nominib. paſſim aſperſis. Vnacum duplici indice, quorum primus quidem ſtirpium nomenclaturas Dioſcoridi: alter Seplaſiariorum et Herbariis vſitatas continebit. Ad calcem: *Lugduni excudebant Io. et Franciſc. Frellonii fratres* 1543, in 12. pagg. 617. praemiſſ. pagg. 32. annexa pagg. 46. g) *Eodem titulo ac lit. e.* (omiſſis tamen: poſtremum ab ipſo Ruellio recogniti et ſuo nitori reſtituti) *Lugduni ap. Io. Frellonium* 1547. in 12. pagg. 543. tit. &c. pagg. 4. annexa pagg. 156. h) *Eodem titulo* eodemque paginarum numero ac lit. g. *Lugd. ap. Io. Franc. de Gabiano* 1554. in 12. Singulae hae editiones continent, praeter indices in rubro indicatos, alium hac inſcriptione: *notha et Dioſcoridi falſo adſcripta quae vt facile, ſi quis ita velit, ſuis ſingula locis applicentur, numeris notantur* &c. Editio lit. d. e. praeterea continet DIONYSII CORRONII praefationem, quae docet, Ruellio, dum primam adornauit editionem, vnicum tantum, idque corruptum et mutilum, exemplar ad manus fuiſſe, in hac vero (lit. d. e) eundem correxiſſe ſuam priorem interpretationem, hocque in labore, uti etiam in condenda ſtirpium hiſtoria, (vid. Cat. I. ſub nomine Ruellii) vſum fuiſſe CORRONII auxilio, et ambos eo praecipue collaboraſſe, vt multa Dioſcoridi falſo adſcripta ſollicite diſtinguerent eaque ſigillatim exhiberent. Paullo poſt noua ſequuta eſt interpretatio MARCELLI VIRGILII, cuius primam editionem cum eius notis prodiiſſe Florentiae per haeredes Phil. Iuntae 1518., teſtatur *Maitt. T. II. p. 313.* ex hoc *Segu. p. 52. Keſtn. p. 95. nota 5.* Apud me aſſeruantur i) PED. DIOSCORIDAE *Anazarbei: de medica materia: libri ſex. A* MARCELLO VIRGILIO *Secretario Florentino latinitate donati: cum eiusdem commentationibus: nuper quam diligentiſſime ex ſecunda interpretis recognitione excuſi. Accedit inſuper in Dioſcoridem index latine graeceque excuſus: alius praeterea in commentationes quam copioſiſſimus eorum, quae tum graece tum latine notatu digna viſa ſunt.* Ad calcem. *Florentiae per haered. Phil. Iuntae 1523. idib. Febr.* fol. pag. 352. auerſ. non numeratis, praemiſſ. cum indicib. pagg. 20. k) ΠΕΔΑΚΙΟΥ ΔΙΑΣΚΟΡΙΔΟΥ Ἀναζαρβέως, περὶ ὕλης ἰατρικῆς βιβλία Ε. &c. PEDACII DIOSCORIDAE *Anazarbei de medica materia L. V. de letalibus venenis eorumque praecautione et curatione. De cane rabido: deque notis, quae morſus ictusue animalium venenum relinquentium ſequuntur: deque eorum curatione liber vnus. Interprete* MARCELLO VERGILIO, *Secr. Flor. Eiusd. Marc. Vergelii in hoſce Dioſcoridis libros commentarii doctiſſimi, in quibus praeter omnigenam variamque eruditionem, collatis aliorum interpretum verſionibus, ſuae tralationis ex vtriusque linguae auctoribus certiſſima adferuntur documenta, morborum praeterea atque humani corporis vitiorum genus omne, quorum ſubinde meminit Dioſcorides, diligentiſſime explicatur. Coloniae opera et impenſa Io. Soteris 1529.* fol. pagg. 753. praemiſſ. cum indicib. pagg. 20. Haec editio a praecedenti differt Graeco textu (ſed cuius exemplaris, non indicatur) columnis diuiſis addito et typographi dedicatione praefixa, ex qua patet, eum HERM. BARBARI corollaria (quae anno ſequenti ſeparatim edidit, vid. ſuper. lit. b) in hac editione ob temporis anguſtiam omiſiſſe. Praefatio eadem vtriusque editionis monet, interpretem conſuluiſſe non ſolum quinque exemplaria graeca varia, verum etiam plures in linguam latinam translationes, et inter has, praetet Ruellii et Barbari verſiones, antiquiſſimam Longobardis litteris ſcriptam. Ex eadem ſatis etiam intelligitur, quam curam adhibuerit Vergilius, vt plusquam grammaticum interpretem agat. l) P. DIOSCORIDAE *pharmacorum ſimplicium reique medicae L. VIII.* IO. RVELLIO *interprete. Vnacum* HERM. BARBARI *Corollariis, et* MARC. VERGILII *in ſingula capita cenſuris ſiue annotationibus. Adiecto indice duplici ſingulorum ſimplicium et difficilium terminorum. Praeter alia multa, quae in praefatione indicantur, quaeque in prioribus aeditionibus deſyderabantur. Argentor. ap. Io. Schottum 1529.* fol. pagg. 362. auerſ. non numeratis, praemiſſ. pagg. 8. ind. pagg. 23. Titulus ſingularibus figuris et emblematibus ornatus eſt. Praemiſſa continent praefationem OTTHON. BRVNFELSII, RVELLI ipſiusque DIOSCORIDIS. Prima docet, quantis conuitiis obnoxii fuerint, qui, relictis Arabibus et Barbaris, Graecorum auctorum opera in vſum communem edere coeperunt; deinde, cur Ruelli interpretationem elegerit, nempe quia purior, ſuauior atque familiarior ipſi videbatur; tandem, quam curam adhibuerit in adornanda hac editione, qua praecipue vtrumque commentarium, Barbari et Vergilii, reſectis ſuperfluis, emunctiorem luculentioremque reddidit. m) DIOSCORIDIS *libri octo Graece et Latine. Caſtigationes in eosdem libros. Pariſiis impenſis viduae Arnoldi Birckmanni 1549.* Ad calcem: *excudebat Benedictus Prevoſt menſ. Aug. 1549.* 8. pagg. 392. auerſ. non numeratis. Praemiſſ. cum indice vocabulorum Graeco et Latino pagg. 40. Ex typographi et FRANCISCI FONTANONI Monſpeſſulenſis praefatione patet, huius editionis emendationem adornaſſe IACOBVM GOVPYLVM. Graeco textui, vbi emendationes ſigno * notantur, in columnis diuiſis addita eſt IO. RVELLII interpretatio a p. 1. ad 316. a. quibus comprehenduntur libri V; ſequitur a p. 316. b. ad 352. b. Liber VI. VII. VIII. quorum interpretationi auctor non additur; deinde a p. 353. a. ad p. 382. a. quae inter Dioſcoridis verba falſo adſcripta in quibusdam codicibus erant; denique a p. 382. b. ad 391. a. caſtigationes cum breui praefatione ſine auctoris nomine. His annectuntur p. 391. b. et 392. a. pauca adhuc hac inſcriptione: *quae ſequuntur, ab ipſo Ruellio ex veteri aliquo codice, quo ille uſus erat, addita fuerunt prioribus codicibus, quae, cum Graeca eis reſpondentia non haberemus, in hunc locum reiecimus.* Praeter has latinas interpretationes et DANTZII germanicam (vid. art. XII. n. 1.) proſtant etiam Italicae, ex quibus ad manus eſt n) DIOSCORIDE *Anazarbeo della materia medicinale. Tradotto per* M. MARCANTONIO MONTIGIANO *da S. Gimignano Medico. In Lingua Fiorentina. In Firenze 1547.* ad calcem: *ſtampato in Fiorenza, appreſſo Bernardo di Giunti di Genaio. 1546.* in 8. pagg. 302. auerſ. non numeratis. ind. nom. italic. pagg. 14.

6) SERAPIO ſecundum nonnullos iam ſec. VIII. ſecundum alios XI. demum vixit: quidam inter vtrumque diſtinguunt et illum ſimpliciter SERAPIONEM Arabem, hunc vero IOANNEM filium SERAPIONIS nominant; *vid. Caſtell. p. 75. Merckl. p. 681. b. Tournef. Iſagog. p. 16. Segu. p. 268. Keſtn. p. 127. §. 3. p. 355. §. 3. Ioech. T. IV. p. 513.* Operum eius prima editio a *Maitt. T. I. ſ. IV. p. 404.* indicatur hoc titulo: SERAPIONIS *liber aggregatus de medicinis ſimplicibus; translatio* SYMONIS IANNOENSIS, *interprete* ABRAAM *Iudaeo Tortuoſienſe, de Arabico in Latin. Completa ſunt haec opera* IO. *filii* SERAPIONIS; *et impreſſa Kal. Aug. per Rynaldum de Nouimagio Venet. 1479.* fol. conf. *Segu. p. 268.* vbi titulo paullulum mutato recenſetur. In mea collectione proſtant a) *Practica* IO. SERAPIONIS *dicta Breuiarium. Liber* SERA-

PIONIS *de ſimplici medicina. Liber de ſimplici medicina dictus circa inſtans. Practica* PLATEARII. Ad calcem: *Impreſſum Venetiis mandato et expenſis nobilis viri Domini Octauiani Scoti ciuis Modoetienſis per Bonetum Locatellum Bergomenſem 17. Kal. Ianuarias 1497.* fol. pagg. 211. auerſ. non numeratis. Tractatus I. inſcribitur *Breuiarium Ioannis filii Serapionis medici*: ad calcem: *et hunc librum tranſtulit Magiſter GERARDVS CREMONENSIS in collecto de Arabico in latinum.* p. 2. — 86. cui accedunt p. 86. b. 90. a. *ſynonyma Serapionis.* Sequitur p. 91. a. b. tabula ſeu index tractatus II. qui inſcribitur *liber Serapionis aggregatus in medicinis ſimplicibus ſecundum translationem* SYMONIS IANVENSIS *interprete* ABRAAM *iudeo tortuoſienſi de arabico in latinum,* p. 92. — 168. et quidem de ſimplicibus ex plantis p. 98. b. — 154. ex mineral. et animal. p. 154. — 168. tertius tractatus inſcribitur IO. PLATEARII *Salernitani medici excellentiſſimi practica breuis* p. 169 - 185. quartus denique eſt *liber de ſimplici medicina ſecundum Platearium dictus circa inſtans* p. 186 - 211. b) *Eodem titulo*. Ad calcem: *Impreſſum Venetiis mandato et expenſis nobilis viri Domini Andr. Toreſani de Aſula per Bernardinum Vercellenſem 29. Kal. Nouemb. 1503.* fol. Haec editio ad priorem recuſa tantum eſt, paginis etiam illi reſpondet. c) *Practica* IO. SERAP. *Neceſſarium ac perutile opus totius medicine Practice, profundiſſimi ac antiquiſſimi Arabis Domini* IOANNIS *filii* SERAPIONIS, *in quo non ſolum habetur Breuiarium totam practicam ſub breuitate continens, verum etiam librum copioſum de ſimplici medicina, diligenti ac nouo examine correctum, pulchriſque ac vtilibus annotationibus exornatum, vnacum plurimis huc ſpectantibus nouiſſime additis. Practica etiam breuis Dni* IO. PLATEARII *Salernitani vtiliſſima 1530.* ad calcem: *Impreſſum Venetiis mandato et expenſis heredum quondam nobilis viri domini Octauiani Scoti ciuis Modoetienſis, ac ſociorum. 1530. die XXVII. Februarii* fol. Et haec editio, nonniſi recuſa, contentis et paginis prioribus reſpondet. d) *In hoc volumine continentur inſignium medicorum* IOAN. SERAPIONIS *Arabis de ſimplicibus medicinis opus praeclarum et ingens.* AVERROIS *Arabis de iisdem liber eximius.* RASIS *filii* ZACHARIAE *de iisdem opuſculum perutile. Incerti item auctoris de centaureo libellus hactenus* GALENO *inſcriptus. Dictionum Arabicarum iuxta atque latinarum index valde neceſſarius. In quorum emendata excuſione, ne quid omnino deſyderaretur,* OTTHONIS BRVNFELSII *ſingulari fide et diligentia cautum eſt.* Ad calcem: *Argentorati excudebat Georg. Vlricher Andlanus 1531. menſe Septembri.* fol. pagg. 399. praemiſſ. et ind. vocabulor. arabic. latinorumque pagg. 20. Serap. p. 1. — 308. de centaureo p. 309. — 312. Averr. p. 313. — 372. Raſis p. 373. — 399. Brunfelſii praefatio explicat, quare Arabes et Barbari non penitus negligendi ſint. e) IO. SERAPIONIS *de ſimplicium medicamentorum hiſtoria libri ſeptem. Ex Arabum, ac Graecorum, praeſertim Pauli Aeginetae, Dioſcoridis et Galeni commentariis quam accuratiſſime excerpti. Interprete* NICOLAO MVTONO *Medico Mediolanenſi. Acceſſerunt inſuper Nomenclationum omnium, quae hiſce de ſimplicium medicamentorum Hiſtoria commentariis continentur, multiplices ſane ac copioſi indices, Arabibus nimirum, Graecis, Latinis, Barbaris, Officinis, Italis, Gallis, Germanis ac Hiſpanis ſeorſum inſcripti. Venetiis apud Andream Arriuabenium 1552.* fol. pagg. 167. auerſ. non numeratis. Praemiſſ. cum indicib. pagg. 48. Hoc opus plane aliud eſt a Mutono potius conſcriptum; neque etiam noua proprie interpretatio eſt (ſiquidem in dedicatione auctor ſe ipſum Mauritanae linguae prorſus rudem ac expertem profitetur) ſed ex ſola autorum et locorum collatione deriuata. 7) IACOBI de DONDIS, qui et Aggregator Patauinus cognominatur, *liber aggregationis in medicina,* alicubi in Italia, vt videtur, impreſſus in folio magno, chartis 142. recenſetur a *Geſnero biblioth. p. 352. b.* eſtque procul dubio idem, qui titulo *promptuarii medicinae* Venet. 1481. aliaque eius editio ibid. ap. Iuntas 1576. in fol. indicatur a *Merckl. p. 480. b.* vbi integer titulus reperitur, *conf. Segu. p. 245. Keſtn. p. 71. §. XVIII. Ioech. T. II. p. 181.* et titulo *promptuarii ſanitatis* repetitur, a *Keſtn. p. 527. §. 2.* Exemplar, quod ego poſſideo, in columnis diuiſis charta regia excuſum, titulo, loco et anno, itemque paginarum numeris, cuſtode et litteris initialibus caret chartisque 284. conſtat, eſt ſine dubio idem, quod in *Biblioth. Riuin. p. 497. no. 5678.* indicatur hoc titulo: IAC. de DONDIS *Aggregator Paduanus de medicinis ſimplicibus, editio antiquiſſima ſine mentione loci et anni fol. reg.* In meo exemplari hoc auctoris nomen equidem nondum inuenire potui. Incipit abſque vlla inſcriptione a praefatione pag. 1. a. vbi haec leguntur: *et quia opus hoc ex pluribus autoribus aggregatur, liber aggregationis nomen acquirat,* quibus verbis tituli quaſi loco ſubiiciuntur haec: *Aggregator Paduanus de medicinis ſimplicibus;* finitur autem haec praefatio his verbis: *Opus quidem hoc longus retro temporibus inchoatum completum eſt per me artium et medicine Doctorem Magiſtrum* IACOBVM PADVANVM *a. Domini. 1355.* ex quo ſimul patet, perperam eius obitum a. 1385. vel ſaltem 1350. aut 1330. apud *Merckl. Segu. et Ioech.* annotari. Praefationem ſequuntur rubricae tractatuum et ſingulorum horum capitum a p. 1. b. ad pag. 8. a. vbi in fine columnae 1. incipit tractatus primus, quorum ſunt decem: priores nouem medicamenta recenſent nudis nominibus ſecundum vires ſuas ita, vt omnino, quemadmodum *Keſtn.* l. c. iam monuit, auctor magis de indicandis ſimplicium virtutibus, quam de ipſarum indole et natura deſcribenda atque elucidanda ſollicitus fuerit. Hoc vero peculiare habet, quod auctores, qui hanc vel illam cuiusuis remedii virtutem praedicarunt, vbique ſigillatim nominat. Decimus tractatus a p. 268. a. ad 278. b. col. 1. catalogum omnium ſimplicium et deinde vsque ad finem compoſitarum medicinarum litterarum ordine indicat. Apud CONR. GESNERVM de chirurgiae ſcriptoribus Tig. 1555. in fol. p. 359. — 391. vt et apud PETR. VFFENBACHIVM in theſauro chirurgiae Francof. 1610. fol. p. 1019. — 1062. reperitur IACOBI DONDI *Patauini medici et philoſophi praeclari, quem Aggregatorem cognominant, enumeratio remediorum ſimplicium et compoſitorum ad affectus omnes qui a chirurgo curantur, ex vetuſtiſſimis et optimis quibusque authoribus;* quae vero eſt idem tractatus, qui in meo exemplari a p. 227. b. ad p. 251. a. continetur et inſcribitur: *tractatus ſeptimus de diſpoſitionibus parti chirurgie pertinentibus.* Haec omnia cum recenſione huius operis Geſneri ſupra citata collata, nullum relinquunt dubium, meum exemplar eſſe idem opus, quod alii promptuarii titulo indicant. Denique ſilentio praeterire haud poſſum, huius auctoris nomine a *Segu. l. c.* indicari *Herbolario volgare, nel quale ſi dimoſtra a conoſcer le herbe e le ſue virtù, del latino in volgar tradotto. In Venegia per Franciſco Bindone, e Mapheo Paſini 1536.* in 8. et cum iconibus aeri inciſis. Ibid. *Giovanni Pa-*

lamide 1540. in 8. quibus additur: *in hac editione deſunt plantarum deſcriptiones XIX. quae in prima reperiuntur*; quot autem haec contineat, non indicatur. Notandae namque ſunt figurae eo tempore iam aeri inciſae, et deinde, quum iam a. 1485. et 1486. Patauiae latino ſermone impreſſus ſit *aggregator practicus de ſimplicibus* (vid. Artic. III.), quaeritur, num inter ſe conueniant, quo in caſu hic liber ad Dondum certe non pertineret. f8) RHASIS, RASIS, RAZIS, RAZY, ALRASI et ARRASI a Rai Perſiae ciuitate ita dictus, alias ABVBECHER, ABVCHARE, ALBVBECAR, ALBVBETER, ABETER (quae nomina nonniſi ob linguam Arabicam male intellectam vel varie pronunciatam differunt) filius RASI filii ZACHARIAE nominatus, vixit ſec. X. vel XI vid. *Caſtell. p. 142. Merekl. p. 3. b. Segu. p. 295. Keſt. p. 128. Ioech. T. I. p. 40.* Huius A. operis primam editionem indicat Maitt. T. I. ſ. IV. p. 451. hoc titulo: ABVBETVR RHASIS Mahometani medici libri *correcti per* HIERONYMVM SVRIANVM *medicum Vol. 2. Brix.* 1483. fol. Meae editiones ſunt a) *Continens* RASIS *ordinatus et correctus per clariſſimum artium et medicine doctorem magiſtrum* HIERONYMVM SVRIANVM: *nunc in Camaldulenſi ordine Deo dicatum. Vltimo impreſſus.* Diuiſum eſt hoc opus in 3. vol. quorum I. conſtat foliis 298. et continet libros XXVI. Praemiſſ. foliis 8. ind. fol. 1. Vol. II. inſcribitur *Secunda pars continentis Raſis* et comprehendit a folio 299. ad 512. libros a XXVII. ad XXXVI. Vol. III. peculiari titulo caret, conſtat foliis 100. ſigillatim numeratis. Ad calcem: *impreſſum Venetiis per Bernardinum Benalium 1509.* 5 kal. Aprilis. folio regali chartis firmis et elegantiſſimis. Proſtant vero etiam exemplaria charta paullo minori excuſa, cuius Vol. I. poſſideo ſeparatum a reliquis. Vltimum volumen hanc praefixam habet inſcriptionem: *incipit liber vltimus praefati continentis Raſis: et continet tractatus quatuor, quorum primus eſt de ſimplicibus: et continet capitula 766.* tractat. 2: conſtat capit 764., tractat. 3. capit. 118. qui vt et 4. et vlt. agunt pariter de ſimplicibus et ſunt priorum expoſitiones. Ad calcem porro docetur, editum eſſe hoc opus per PAVLVM SVRIANVM, qui, antequam monachus fieret, erat HIERONIMVS SVRIANVS, phyſicus, Domini Magiſtri IACOBI SVRIANI de Ariminio phyſici quondam filius. Annectitur porro catalogus operum, quae antea ab eodem Hieronymo in lucem edita ſunt. Opuſcula huius auctoris varia cum aliis aliorum auctorum iunctim per Bonetum Locatellum 1497. in folio edita, non agunt de ſimplicibus, ſi excipias tractatum de ſynonymis, qui eſt quartus libri vltimi editionis anni 1509. Neque etiam eiusdem auctoris opera exquiſitiora Baſileae in officina Henr. Petri 1544. in fol. excuſa huc pertinentia continent. Tractatum de ſimplicibus ſigillatim editum vid. ſuper num. 6. d. 8*) TYRTAMVS, Ariſtotelis diſcipulus et ab hoc propter eloquentiam primum EVRASTVS deinde vero THEOPHRASTVS vocatus, alias a patria, Ereſo inſulae Leſbi civitate, ERESIVS cognominatus, vixit ante Chr. natum annis 310. vid. *Caſtell. p. 27. Merekl. p. 1001. a. Tournef. Iſag. p. 4. Fabric. Bibl. Graec. L. III. c. XI. p. 234. ſeqqu. Keſtn. p. 525. §. 1. Segu. p. 191. Ioech. T. IV. p. 1123.* Operum eius conſeruatorum et deperditorum prolixa recenſio reperitur apud Fabricium; eorum vero, quae ad botanicam pertinent, apud Tournefortium l. c. Primam eius operum editionem indicat *Maitt. T. I. ſ. IV. p. 441.* hoc titulo: THEOPHRAST. *de plantis latine*, THEODORO GAZA *interprete, Taruiſii per Barthol. Confalonerium de Saladio 20. Febr. 1483.* fol. Apud me aſſeruantur a) THEOPHRASTI *de ſuffruticibus, herbisque ac frugibus libri quatuor*, THEODORO GAZA *interprete.* Ad calcem: *Argentor. per Henr. Sybold menſe Auguſt.* 8. ſine anno (meo exemplari manu adſcriptus eſt a. 1528.) et ſine paginar. numeris, foliis 96. Praefatio HENR. SYBOLDI, artis medicae profeſſoris, indicat, ſe auctorem fuiſſe, vt hi quatuor libri ex Theophraſti operibus ſeparatim excuderentur. b) THEOPHRASTI *de hiſtoria et cauſis plantarum libri quindecim* THEOD. GAZA *interprete. Eiusdem Tabulas duas capita librorum complectentes: quarum vnam libris de hiſtoria, alteram de cauſis plantarum, vnacum vocabulis quibusdam Graecorum et Latinorum nominum, praefixas inuenies lector.* THEOD. GAZA *interprete. Vaenit Pariſiis, apud Chriſtian. Wechel 1529. ad calcem: excuſum Lutetiae in aedibus Chr. Wechel idibus Nouembris 1529.* 8. Libri priores pagg. 343, praemiſſ. pag. 30. ind. pagg. 22. reliqui 6. libri pagg. 354. praemiſſ. pagg. 18. ind. pag. 23. Huic editioni praefixa eſt interpretis dedicatio ad Nicolaum V. Pontificem max. cuius iuſſu hanc verſionem ſuſcepit, vt et praefatio, in qua docet translationis difficultatem et conqueritur de textu graeco, (cuius vnum tantum exemplar nactus eſt) mendoſo et temporis iniuria deprauato. c) THEOPHRASTI *de hiſtoria plantarum Libri VIIII. et decimi principium. De cauſis ſiue generatione plantarum libri VI.* TH. GAZA *interprete. Cum eorum omnium, quae his Theophraſti libris continentur, indice.* Ad calc. *Baſileae apud Andr. Cratandrum menſe martio 1534.* fol. pagg. 264. tit. et index praemiſſus pagg. 28. Differt haec editio ab antecedente b. ſolo indice addito et omiſſis tabulis capitum. d) *Iisdem ferme tituli verbis* cum hoc additamento: *quantum diligentiae huic editioni* JOANNES IORDANVS *medicus doctiſſimus adhibuerit in reſtituendis, quae corrupta erant ex Graeco, docebit te ſequens epiſtola ad lectorem.* Lugduni apud *Theobaldum Paganum* 1552. 8. pagg. 399. praemiſſ. pagg. 56. ind. vocab. pagg. 14. Huic editioni acceſſit praefatio IORDANI Cal. April 1550. ſcripta, qua indicat, ſe ex collatione meliorum exemplarium, praecipue Graeci in Germania typis excuſi (procul dubio illius, de quo mox lit. f.) textus emendationem ſuſcepiſſe, aliqua etiam nomina latina mutaſſe. e) *Eodem titulo Lugduni ap. Guil. Rouillium* 1552. 8. a praecedenti editione non differt, niſi noua tituli plagula: utrique etiam ad calcem adpreſſum eſt: *Lugduni excudebat Nic. Bacquenoius 1552.* Ceterum adhuc monendum, editionem c. d. prodiiſſe vnacum *ARISTOTELIS de hiſtoria animalium L. IX. de partibus animalium et earum cauſis L. iiij. de generatione animalium L. V. eodem* GAZA *interprete*, vt et *de communi animalium greſſu L. I. de communi anim. motu L. I.* PETRO ALCIONIO *interprete*, quibus in edit. c. tituli communis forma praefixa eſt haec praefatio: *Andr. Cratander lectori S. En tibi candide lector* ARISTOTELIS *et* THEOPHRASTI *hiſtorias, quibus cuncta fere quae D. O. M. homini contemplanda et vſurpanda exhibuit, ad amuſſim complectuntur: creaturas inquam omnes et ſenſu praeditas, quae animalia dicuntur, et ſenſus expertes, quas appellant plantas &c. &c. multo quam ante hac diligentius emendatiusque &c. Baſileae 1534.* fol. Prior pars pagg. 320. tit. et ind. pag 40. ad calc. vocabula latina et graeca ex libris Ariſtot. pagg. 9. Editio vero d. hoc peculiari titulo inſtructa eſt: ARISTOTELIS *et* THEOPHRASTI *hiſtoriae, cum de natura animalium, tum de plantis et earum cauſis, cuncta fere, quae Deus opt. max. homini contemplanda exhibuit, ad amuſſim complectentes: nunciam ſuo reſtitutae nitori et mendis omnibus, quoad fieri potuit, repurgatae. Cum*

indice

F Aggregator namque hic practicus anonymi, et ille Patavinus Dondi, in expositione plantarum virium penitus differunt, ideoque diversos auctores indicant.

indice copioſiſſimo : ex quo ſuperfluum quod erat, decerpſimus : quod vero neceſſarium nobis viſum eſt, ſuper addidimus. Lugd. ap. Theob. Paganum 1552. 8. pagg. 495. tit. praef. (quae eſt eadem, quam Cratander tituli loco poſuit, cum eius nomine praefixo) pagg. 4. ind. pagg. 76. ad calc. voc. lat. et graec. etc. pagg. 15. THEODORVS Graecus de Gaza ſeu Gazinus, in ciuitate Theſſalonica natus et ſacerdos citatur a Ioech. T. IV. p. 1105. medicus vero nominatur a Iordano in praef. edit. lit. d., elegantiae latini ſermonis quam herbarum peritior videtur Tournefortio Iſag. p. 4. conf. p. 21. Graecum Theophraſti de plantis earumque cauſis exemplar primum excuſum eſſe Venetiis ſine anno, ex Biblioth. Maz. indicat *Segu.* p. 191. ibid. apud Aldum Manutium 1479. fol. *Mercklin. p. 1001. b.* ibidemque 1495. in fol. et 1497. Maitt. T. I. ſ. IV. p. 79. 634. nec non 1498. *Fabric. Bibl. Gr. L. III. c. 9. p. 236. et Keſtn. p. 91. nota c.* Meum exemplar eſt f) ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ τοῦ Πλάτωνος μὲν πρῶτον, εἶτα δὲ Ἀριστοτέλους μαθητοῦ καὶ διαδόχου, τὰ μέχρι νῦν σωζόμενα ἅπαντα. THEOPHRASTI *primum quidem Platonis, mox Ariſtotelis quoque diſcipuli et in Philoſophiae profeſſione ſucceſſoris, omnium vero philoſophorum, M. Tullii quoque teſtimonio, elegantiſſimi atque eruditiſſimi, Opera, quae quidem a tot ſaeculis adhuc reſtant, omnia: ſummo ſtudio partim hinc inde conquiſita, atque in vnum veluti corpus nunc primum redacta: partim a multis, quibus etiam hactenus ſcatebant mendis, doctorum virorum induſtria ac meliorum exemplarium ope repurgata. Eorum tum praeſtantiam, tum ſingulorum rationem ac ordinem, ex praefatione et ſubiecto eidem catalogo abunde cognoſces. Baſileae.* Ad calc. *typis Io. Oporini 1541.* fol. pagg. 291. praemiſſ. pagg. 7. quae continent titulum, praefationem et librorum catalogum, quo indicantur : *Theophraſti vita ſecundum Diogenem. De plantarum hiſtoria L. X. de plantarum cauſis L. VI. Ariſtotelis de plantis L. II. Theophr. de lapidibus L. I. De piſcibus L. I. De igne L. I. De Ventis L. I. De ſignis aquarum et ventorum L. I. De vertigine oculorum L. I. De laboribus L. I. De odoribus L. I. De ſudoribus L. I. Characteres morales ſiue de notis L. I. Metaphyſicorum L. I. PRISCIANI philoſophi Lydi expoſitio Theophraſti de ſenſu. Eiusdem expoſitio Theophraſti de phantaſia.* Totum opus graece excuſum eſt et praefatio latina HIER. GEMVSAEI nihil ad commendationem huius editionis indicat, quod non ex contentorum catalogo patet. Proſtat haec eadem editio etiam cum praefatione IOACH. CAMERARII, vid. Fabric. l. c. g) ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ περὶ φυτῶν ἱστορίαν, καὶ περὶ φυτῶν αἰτιῶν, καί τινα ἄλλα αὐτοῦ βιβλία περιέχων τόμος VI. THEOPHRASTI *hiſtoriam de plantis, et de cauſis plantarum, et quosdam alios ipſius libros continens tomus VI.* Ad calcem: *Venetiis apud Aldi filios. Expenſis vero Nobilis viri Dom. Federici de Turriſanis eorum auunculi 1552.* 8. p. 652. praemiſſ. cum vita Theophr. pagg. 14. Ex breui Turriſani praefatione conſtat, hunc tomum operibus Ariſtotelis vltimo additum eſſe, et ex contentis indicatis patet, eum eadem ac editio f. continere, ſi excipias Ariſtotelis libros de plantis, Theophr. librum de laboribus et de phantaſia, quae hic omiſſa ſunt, et PHILONIS de mundo L. I. qui hic acceſſit. Optimam hanc eſſe editionem monet *Keſt. p. 91. not. c.* 9) BARTHOLOMAEVS ANGLICVS, ſeu ſecundum alios BARTHOLOMAEVS GLANVIL vel GLANVYLE, Anglus, ex proſapia Comitum Suffolcienſium Angliae, ordinis Minorum, floruit circa medium ſeculi XIV. *vid. Segu. p. 257. Ioech. T. II. p. 1015.* Opus eius de rerum proprietatibus ex libris veterum (quod auctor ipſe in praefatione fatetur) ſed ſine iudicio et ſine eruditione collectum ſtiloque barbaro expoſitum eſſe, monuit iam *Geſner. in Catal. ſaepius cit.* Illud nihilominus in pretio fuiſſe, affirmat non ſolum *idem ibid. et Biblioth. p. 131. b :* verum etiam teſtantur id repetitae editiones, quarum *Maitt. T. V. p. 112.* tredecim latinas (inter quas prima Coloniae per Io. Koelhoff de Lubeck 1470. *conf. T. I. ſ. IV. p. 296.*) tres Batauas, tres Gallicas et vnam Anglicam, omnes in folio, indicat, et quibus addendae ſunt ex *Segu. l. c.* vna alia adhuc latina vnaque Anglica pariter in fol. et ex *Merckl. p. 113. a.* alia a. 1601. demum Francofurti in 8. recuſa, cui librum 19. acceſſiſſe monet, quum tamen omnium tituli iique, quibus ipſe 18. tantum adſcribit, teſtantibus aliis, libros 19. indicent. Ex his de ſtirpibus agere librum 12. addit *Segu. l. c.;* ſed illius, editionis a. 1488. quam Geſn. biblioth. l. c. recenſet, vt et illarum, quas ego poſſideo, liber 17. inſcribitur *de arboribus et herbis et earum proprietatibus*, et conſtat capp. 197. a) *Liber de proprietatibus rerum* BARTHOLOMEI ANGLICI. Ad calcem : *Impreſſus Argentine 1485. finitus in die S. Valentini* fol. ſine bibliopolae aut typographi nomine et paginar. numeris, chart. 299. b) *Venerandi patris* BARTHOLOMEI ANGLICI, *ordinis minorum: viri eruditiſſimi: opus: de rerum proprietatibus inſcriptum: ad communem ſtudioſorum vtilitatem iam denuo: ſumma cura: labore: ac induſtria recognitum: chalcographieque demandatum: atque adfabre politum.* Ad calcem: *Opus de proprietatibus rerum: editum a patre Barthol. Anglico ordinis fratrum minorum: ſtudioſiſſime reuiſum, correctum et emendatum: ac per Frideric Peypus ciuem Nurembergnn. impreſſum: expenſis prouidi viri Ioannis Koberger eiusdem ciuitatis incole feliciter explicit. 1519. Id. III. Maii.* fol. ſine paginar. numeris, chart. 192. 10) CLAVDIVS GALENVS, Pergami in Aſia minori natus, et ſec. II. Athenis, Alexandriae et Romae medicus clariſſimus *vid. Caſtell. p. 113. Merckl. 183. b. Fabr. Bibl. Gr. L. IV. c. 17. p. 510. Tournef. Iſag. p. 11. Segu. p. 255. Ioech. T. II. p. 832.*) immo medicorum principis titulo per plura ſecula condecoratus, multos variosque compoſuit tractatus, quorum plurimi (circiter 170.) pedetentim typis exſcripti et tandem in aliquot volumina collecti ſunt, ſed totidem ferme (circiter 140.) inter deperditos recenſentur, quorum omnium ampliſſimum et ſtupendo labore conquiſitum catalogum exhibuit *Fabricius l. c. p. 528. ſequ.* ſollicite ſimul notatis illis, quorum latina tantum interpretatio proſtat ut et quae pro ſuppoſititiis et ſpuriis habentur. Ex his huc praecipue pertinent *de ſimplicium medicamentorum facultatibus Libri XI.* ex quibus liber VI. VII. et VIII. de plantis litterarum ordine agunt, ſed ſecundum monitum Geſneri ſupra §. XV. iam allegatum ea ratione, vt illarum cognitio exinde nullum plane augmentum ceperit. His ita omnino ſe habentibus, facilis coniectura eſt de reliquis libris, ſimilis argumenti, ſcilicet *de euporiſtis, de compoſitione medicamentorum ſecundum genera* itemque *per ſingula loca,* vbi etiam ſimplicium vegetabilium frequens fit mentio, nec non *de ſimplicibus medicamentis ad Paternianum* et *de plantis* ſigillatim, qui duo vltimi libri praeterea ſpuriis accenſentur, *(conf. Merckl. p. 197. b. Segu. p. 256.)* quos ergo omnes, exceptis primo loco indicatis, breuitatis ſtudio praetereo. Omnia GALENI opera Latine Venetiis per Philipp. Pincium de Caneto iam 1490. in fol. edita eſſe, ex *Orlando Orig. del Stamp* indicat *Segu. p. 255.* quod fidem ſuperat; *Mattaire* vero *T. V. p. 416.* hanc editionem ad quaedam tantum reſtringit. Num illa citatos libros de ſimpl. medic. facult. iam contineant, me latet: ſufficiat indicaſſe, in quibus

k editio-

editionibus, quas ego poſſideo, et quo earum loco reperiantur. a) Rariſſimae et paucis viſae editionis, cuius *Keſtn. p. 99. nota n.* meminit, ſecundum tantum volumen poſſideo, cuius titulum pauca haec verba conſtituunt: *Pars ſecunda operum* GALENI. *Impreſſione ſecunda.* Sequitur ſtatim auerſa pagina *liber quomodo oportet redarguere ſimulantes egritudinem;* ad calcem *libri de dinamidiis* leguntur haec: *Explicit liber G. de Dinamidiis: correctus atque emendatus per excellentiſſimum artium ac medicine doctorem dominum magiſtrum* HIERONYMVM SVRIANVM *Clariſſimi quondam phyſici domini magiſtri* IACOBI SVRIANI de ARIO *omnium etate ſua primarii filium. Venetiis per Bernardinum Benalium ciuem Bergomenſem impresſus: ducante ſereniſſimo Principe Leonardo Lauretano 1502.* Excipit hunc *liber de incantatione: adiuratione: et colli ſuſpenſione: Galieno adſcriptus*, et tandem *Tabula ſecunde partis operum Galieni ſecunda impreſſione continentis opera 37.* In fol. reg. columm. diuiſis cum litteris cuſtodis et initialibus paruis, ſed ſine paginarum numeris, chartis 316. Libros huc pertinentes non continet hocce volumen. b) *Primum* GALENI *volumen. Quarta impreſſio ornatiſſima: continens omnes* GALENI *libros aliàs impreſſos: melius quam prius ordinatos: et magis quam antea emendatos. Emittensque alios eiusdem libros nunquam cum aliis impreſſos: impreſſione tamen dignos, doctrinam ipſius decorantes atque perficientes: in tertio volumine nouiter imprimendo contentos.* Ad calem: *Habes humaniſſime lector hoc primum volumen operum Galeni artium ac medicinae Doc. perfulgentiſſimi, quam plurimis erroribus emendatum: ac omni fere menda, (vt humanitus fieri potuit) purgatum: Papiaeque ſummo cum ſtudio elaboratum per Iacob. Paucidrapium de Burgofrancho 1515. pridie calend. Oct.* fol. reg. pagg. 226. auerſ. non numerat. praemiſſ. chart. 9. cum praefat. RVSTICI PLACENTINI, qui curam huius editionis habuit. *Secundum volumen eodem titulo.* Ad calc. *editor, locus, annus idem, Idibus Octobris,* chartis 296. Index libror. et contentor. chart. 10. Hic tomus continet *libros de virtute ſimplicis medicinae* et quidem a p. 121. b. — ad 136. b. tres libros huc pertinentes, nempe ſextum hac inſcriptione peculiari: *Liber VI. de virtute medicinar. ſimpl. translatione* HVMAIN *filii* YSAAC, *continens cap. 144.* ſequitur L. VII. capp. 119. et VIII. capp. 179. Tertium volumen *eodem titulo* ſub finem tamen ita mutato: *in hoc tertio volumine aureo nuperrime impreſſo contentos:* ad calcem: *Habetis ſacre philoſophie ac medicine cultores candidiſſimi in hoc tertio praeclaro volumine diuerſa collectanea oper. Galeni medicorum monarche, variis verſionibus dilucidata exactiſſimaque cura per ſolertem virum Iacob. Paucidrapenſem: de Burgofranco: Papiae abſoluta 1516. pridie idus Iun.* chart. 188. accedunt adhuc aliquot libri chart. 13. Et huic et antecedenti volumini praefixa eſt peculiaris RVSTICI PLACENTINI artium et medicinae cultoris lectoriſque praefatio. Huius editionis nullus auctorum hactenus citatorum mentionem facit. c) A. 1525. prima prodiit exemplaris Graeci editio Venetiis apud Aldum et Andr. Aſſulanum in fol. V. volum. (*vid. Merckl. p. 184. a. Fabr. l. c. p. 558. Maitt. T. II. p. 663. Cat. Bibl. Lugd. Bat. p. 136. b. et ex hoc Segu. p. 255. Keſtn. p. 99. §. X. Ioech. T. II. p. 832. a. 1500. procul dubio typographico vitio*) altera vero melior et emendatior ab omnibus tamen mendis nondum purgata poſt tredecim annos, quae haec eſt: ΓΑΛΕΝΟΥ ἅπαντα. GALENI *Pergameni ſummi ſemper viri, quique primus artem medicinae vniuerſam, apud priores homines obſcuram et veluti errantem, in perſpicuam quandam et propriam expoſitionem traduxit, opera omnia, ad fidem complurium et perquam vetuſtorum exemplariorum ita emendata atque reſtituta, vt nunc primum nata atque in lucem aedita videri poſſint Baſil. 1538.* ad calcem: ἐτυπώθη ἐν Βασιλείᾳ τῆς γερμανίας παρ᾽ Ἀνδρέᾳ τῷ Κρατάνδρῳ, ἔτει ἀπὸ τῆς θεογονίας αφλξ. fol. pagg. 567. praemiſſ. HIER. GEMVSAEI praefatio cum tit. plag. pagg. 16. *Pars ſecunda ibid. a. eod.* ad calc. ἐτυπώθη ἐν Βασιλείᾳ ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ Ἰωάννου Βεβελίου αφλξ. pagg. 491. Huic tomo, qui primo loco continet *de temperatura medicaminum ſimplicium libros XI.* et a p. 67. ad 115. librum VI. VII. et VIII., praefixa eſt praefatio LEON. FVCHSII. In hac editione capita numeris non diſtinguuntur; numerantur autem in L. VI. §§. 175. VII. 125. VIII. 183. *Pars tertia ibid. anno eodem* ſine ſubſcriptione ad calcem pagg. 487. Praemiſſ. cum typographi praefatione pagg. 5. *Pars quarta ibid. a. eod.* ad calcem: *Baſileae apud Io. Heruagium et Io. Eraſm. Frobenium 1538.* pagg. 480. Poſt tit. ſequitur praef. IOACH. CAMERARII pagg. 2. et ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ὅρκος. *Pars quinta ibid. a. eod* ad calcem: οὗτος ὁ πέμπτος τομὸς μετὰ πρώτου καὶ δευτέρου, ἐτυπώθη ἐν Βασιλείᾳ πόνῳ καὶ δεξιότητι καὶ ἐπιμελείᾳ Μιχαὴλ Ἰσιγγρινίου, ἀναλώμασι δὲ Ἀνδρέου Κρατάνδρου καὶ Ἰωάννου Βεβελίου, ἔτει τῷ ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, χιλιοστῷ πεντακοσιοστῷ τριακοστῷ ὀγδόῳ, μηνὸς ἐλαφοβηλιῶνος ἱσταμένου. pagg. 719. Quibus accedit ad p. 737. *liber de oſſibus* latine cum caluariae partis inferioris et ſceleti ab anteriori et poſteriori facie imaginibus. Tit. et noua GEMVSAEI praefatio pagg. 8. d) CLAVDII GALENI *Pergameni, medicorum omnium fere principis Opera, nunc demum a clariſſimis iuxta et eruditis viris latinitate donata, iam vero ordine iuſto, et ſtudio exquiſitiore in lucem recens edita &c. Baſil. 1529.* ad calc. *Baſil. per Andr. Cratandrum menſe Martio 1529.* fol. pagg. 553. auerſ. non numeratis, praemiſſ. cum indice chart. 32. Tituli pagina auerſa indicat 27. tractatus hoc vol. contentos eorumque interpretes, et ANDR. LEENNII praefatio III. cal. Martias 1529. ſcripta docet, eum huius editionis curam geſſiſſe, pro hoc volumine autem elegiſſe non omnia huius auctoris opera, ſed ea tantum, quae per viros clariſſimos latinitate donata ſunt et quidem ſelectiora. Sequebantur autem partitis vicibus plura in eadem officina excuſa, nempe α) *de compoſitione medicament.* κατὰ γένη *Lib. VII. per* IO. GVINTHER. *Andern. iam primum latinitate donati &c. 1530.* chart. 101. praemiſſ. 4. β) *Opera iam recens verſa &c. 1531.* ch. 172. praem. 6. γ) *hiſtoriales campi per* D. SYMPHORIANVM CAMPEGIVM &c. *eiusd.* CAMPEGII *clyſteriorum camporum libellus &c. eiusd. de phlebotomia L. II. 1532.* ch. 77. praem. 4. δ) *de vſu partium corporis humani L. XVII. magna cura ad exempl. graeci veritatem caſtigati* NIC. REGIO *Calab. interprete* cum 7. aliis tractatibus in titulo indicatis, *1533.* ch. 199. praem. 6., quorum ſingulorum titulos plenos breuitatis ſtudio praetereo, idque tantum indico, ea in collectione, quae 1531. cum praefatione IO. STVRMII prodiit, primo loco contineri *de ſimplicium medicamentorum facultatibus libr. XI.* THEODORICO GERARDO *Gaudano interprete,* ex quibus liber VI. VII. et VIII. a p. 54. a. ad 88. a. ſimplicia, ſed iterum ſine capitulorum numeris recenſet ita, vt L. VI. §§. 170. L. VII. 124. et VIII. 183. eorum expoſitiones comprehendat. Et huius editionis mentionem factam non inueni. ε) *Omnia* CL. GALENI *Pergameni ſummi in arte medica viri opera quotquot apud Graecos in hunc vsque diem*

diem extiterunt tum olim, tum non ita pridem, hominum doctiſſimorum diligentia, in latinam linguam conuerſa, deinde recognita et priſtinae incolumitati reſtituta. Quibus praemiſſa eſt praefatio dedicatoria (HIER. GEMVSAEI) *medicinae primam inuentionem, eiusque incrementa, tum ipſam quoque Galeni vitam, ex eius operibus paſſim decerptam, prolixe depingens. Duplex praeterea adiectus eſt index totius operis &c. Baſil. 1542.* Ad calc. *Baſil. per Hier. Frobenium et Nic. Epiſcopium 1542.* fol. Haec operum Galeni collectio conſtat ex libris Iſagogicis, reliquorum VIII. tomis et indice vniuerſali, ſed mole inaequalibus, facile autem in IV. vol. colligandis. Singulis tomis peculiaris praefixus eſt titulus omnibus vero idem locus et annus adpreſſus. Ipſa tractatio impreſſa eſt in columnis diuiſis ſingulis numeratis. Lib. Iſag. col. 367. praem. chart. 16. T. I. col. 1228. praem. ch. 6. T. II. col. 382. praem. ch. 4. T. III. col. 724. IV. 844. V. 1116. VI. 1084. VII. 294. VIII. 428. Index vterque ch. 202. Tomus V. continet libros huc pertinentes ex eiusd. GERHARDI interpretatione, et quidem L. VI.—VIII. a col. 150. ad 239. qui totidem §§phis ac praecedens editio diſtinguuntur, ſed adhuc abſque numeris. Et hanc editionem praetereunt auctores, ſi excipias *Keſtn. p. 101. not. vv.* vbi affirmat, eſſe hanc eandem, quam alii ad a. 1541. referunt. f) Cl. GALENI *Pergameni Aſiani, excellentiſſimi ſemper, poſt vnicum Hippocratem, medici ab omnibus habiti Opera quae ad nos extant omnia, partim iam pridem, partim penitus recens, a viris doctiſſimis in latinam linguam conuerſa, et nunc multis recentiſſimis translationibus per* IANVM CORNARIVM *Medicum Phyſicum exornata: ab eodemque recognita ex toto et innumeris locis reſtitutis abſolutiſſima. Acceſſerunt etiam nunc primum, capitum numeri et argumenta per* CONR. GESNERVM *Medicum in omnes libros, quae cum in alios multos, tum illos pleroſque omnes, qui medicinae candidatis apprime neceſſarii lectu ſunt, ita copioſe ac methodice tractantur, vt legitimae epitomes inſtar haberi poſſint. His omnibus ſubiectus eſt index foecundiſſimus, ab artis medicae peritiſſimo conſcriptus. Baſil. 1549.* Ad calcem: *Baſileae per Hieron. Frobenium et Nic. Epiſcopium 1549.* fol. Diuiſio in libros iſagogicos et reliquorum in VIII. tomos indicemque, itemque impreſſio in columnis diuiſis et ſingulis numeratis eadem eſt, ac in priori editione, et tomis ſingulis iterum adpreſſus eſt idem locus et annus. Libr. iſag. col. 280. praemiſſa, inter quae Cornarii et Geſneri praefatio, chart. 10. T. I. col. 1316. tit. et IO. BAPT. MONTANI praefat. ch. 5. T. II. col. 430. III. 756. IV. 844. V. 1124. VI. 1100. VII. 294. VIII. 430. Ind. chart. 174. ſeu col. 696. Libros huc pertinentes iterum continet T. V. a col. 153. ad 244. quorum VI. conſtat ex capp. 155. VII. 124. VIII. 179, numeris nunc additis. His addo, neque GALENI *libros aliquot Graecos* &c. *per* IO. CAIVM *Britannum medicum annotationibus illuſtratos* et *Baſil. ap. Hier. Frobenium et Nic. Epiſcopium 1544.* in 4. pagg. 156. et 79. editos; neque etiam GALENI *opera a* LEONH. FVCHSIO *latinitate donata et commentariis illuſtrata, Pariſiis ap. Arn. Birckmann 1550.* in fol. chart. 293. et praemiſſ. ch. 26. excuſa, libros huc pertinentes continere, vt taceam reliqua tria vol. eiusdem cura *ibid. 1554. edita,* vtpote quorum peculiares tituli hoc iam indicant. Ceterum hi libri hactenus citati ſigillatim etiam excuſi ſunt, et quidem, quantum inuenire potui, primum ſecundum verſionem GERARDI Pariſ. apud Simon. Colinaeum 1530. fol. *vid. Maitt. T. II. p. 733.* Apud me aſſeruantur g) Cl. GALENI *de ſimplicium medicamentorum facultatibus libri XI.* THEOD. GERARDO *Gaudono interprete. Qui nunc tibi prioribus editionibus emendatiores exeunt, locis compluribus ſuo nitori reſtitutis, ex Graeci exemplaris collatione. Scholiis inſuper vtilibus, iidem paſſim illuſtrantur. Pariſiis ap. Iacob. Bogardum 1543.* 8. pagg. 228. auerſ. non numeratis. tit. index pagg. 16. Pagg. 226. ſeqq. annexus eſt *Gal. liber de facultatum naturalium ſubſtantia,* GVINTHER. IO. ANDERNACO *interprete.* h) *eodem titulo,* omiſſis iis quae de ſcholiis memorantur, *Lugduni apud Guill. Rouillium 1551.* et i) *1552.* in 12. ad calcem vtriusque: *Lugd. excudebat Philibertus Rolletius,* pagg. 734. praemiſſ. pagg. 32. Et his editionibus, quae non niſi tituli anno adpreſſo differunt, annexus eſt *liber de facultatum nat. ſubſtantia* eodem interprete, ſed praefixa eſt PHILIBERTI SARACENI praefatio IIII. Idus Ianuarii 1547. data, ex qua patet, eius cura et collatione cum graeco exemplari Aldiniano et Germanico hanc editionem emendatam et ſubinde annotationibus illuſtratam eſſe, quibus typographus in breui monito addit, ea, quae non Galeno viſa ſunt eſſe, his [ ] notis includi. Notandum adhuc, in omnibus editionibus hactenus recenſitis libros citatos exponere non ſolum ſtirpes, verum etiam quasdam ex iis productas res. 11) PLINII hiſtoriae naturalis (vid. §. XIV. 23.) vetuſtiſſima editio 1469. Venetiis a Io. Spira excuſa indicatur a *Maitt. T. I. ſ. IV. p. 282.* illa vero Veronae 1468. a Beughemio citata negatur ab eodem *ibid. p. 280. nota o.* Quo pretio ſemper omnes habuerint hoc opus, teſtantur repetitae eius editiones, quarum ſolus *Maittaire T. V. P. II. p. 155.* vsque ad a. 1499. viginti, et ab a. 1507. ad 1543. quindecim, praeter tres in Italicam linguam verſas, indicat. Primus autem, qui hoc opus ex variis cauſſis contaminatum purgare auſus eſt, fuit LEONICENVS, cuius *librum de Plinii et aliorum medicorum erroribus* primum 1491. in 4. prodiiſſe annotat *Fabric. Biblioth. Lat. Vol. alt. p. 612. nota* ** et ex hoc *Segu. p. 105.* ſed ſecundum *Orland. orig. del ſtamp. a Segu. ibid.* citatum, vt et *Maitt. T. I. ſ. IV. p. 554.* Ferrariae per Laur. Rubeum de Valentia 1492. in 4. Mea exemplaria haec ſunt a) NICOLAI LEONICENI *Vicentini de Plinii et plurium aliorum medicorum in medicina erroribus opus primum* ANGELO POLITIANO *dedicatum Eiusdem* NICOLAI *epiſtola ad* HERMOLAVM BARBARVM *in primi operis defenſionem. Eiusdem* NICOLAI *de* PLINII *et plurium aliorum medicorum erroribus nouum opus ad* FRANCISCVM TOTTVM *medicum Lucenſem. Eiusdem* NICOLAI *ad* HIERONYMVM MENOCHIVM *epiſtola, in qua eadem materia de multis ſimplicibus medicamentis pertractatur, et quaedam Plinii, atque aliorum medicorum errata continentur.* Ad calcem: *Impreſſum Ferrariae per Io. Maciochium 1509. IV. Cal. Maii.* 4. anguſtior. ſine paginar. numeris, chart. 96. ſ. pagg. 199. index errator. pagg. 3. Primae epiſtolae praefixa eſt LVDOVICI BONACIOLI medici Ferrarienſis praefatio, qua indicat, eius cura et ſumtu nouum hoc opus editum eſſe, et deinde monet, Leonicenum potius contra barbarorum deprauationes quam Plinii errores calamum ſtrinxiſſe. Hanc excipit epiſtola ANGEL. POLITIANI ad Leonicenum Florentiae die III. Ianuar. 1491. ſcripta, quae continet quasdam obiectiones contra errores Plinio a Leoniceno imputatos, ad quas Leonicenus in ſua epiſtola ſimul reſpondet, ex quibus patet, vel Leonicenum ſuas animaduerſiones cum Politiano, antequam typis excuderentur, communicaſſe, vel easdem iam anno 1491. in publicum editas fuiſſe: ipſi Diarii litt. Italiae auctores hunc editionis annum ex coniectura tantum indicant; *vid. T. XXIV. p. 274.* Opus nouum a pag. 57. ad 152. Totto dicatum excipit Totti epiſtola reſponſoria:

ſoria a p. 152. ad 154. Venetiis idibus Martii 1509. ſignata. Sequitur p. 155. ſequ. epiſtola Menochii ad Leonicenum Cal. Decembr. 1503. data, et deinde a p. 154. ad 198. Leoniceni reſponſio Ferrariae Calendis Febr. 1504. ſcripta. Colophonem imponit IO. MARIAE TRICAELII epilogus, qua curam Bonacioli in his edendis laudat. b) NICOLAI LEONICENI *viri doctiſſimi de Plinii et aliorum medicorum erroribus liber. Cui addita ſunt quaedam eiusdem autoris de herbis et fruticibus, animalibus, metallis, ſerpentibus, Tiro ſeu vipera. Excudebat Henr. Petrus Baſileae menſe Iunio 1529.* 4. pagg. 318. praemiſſ. et ind. pagg. 16. Quae de additamentis huius editionis memorantur, prioris editionis opus nouum iam continet. c) NIC. LEONICENI *Vicentini, Philoſophi et Medici clariſſimi, Opuſcula, quorum catalogum verſa pagina indicabit. Per* D. ANDREAM LEENNIVM *medicum, a multis, quibus ſcatebant vitiis, repurgata atque annotatiunculis illuſtrata. Baſil. 1532.* Ad calc. *Baſil. apud Cratandrum et Io. Bebelium 1532.* fol. pagg. 175. auerſ. non numeratis, praemiſſ. et ind. pagg. 6. Tituli auerſa pagina haec indicat contenta: *De Plinii et plurium aliorum medicorum in medicina erroribus L.IV. de tribus doctrinis ordinatis, ſecundum Galeni ſententiam L.I. De virtute formatiua L.I. De dipſade et pluribus aliis ſerpentibus L.I. De Tiro ſeu Vipera L.I. De morbo Gallico ſiue Neapolitano L.I. Contra ſuarum translationum obtrectatores apologia. Medici Romani, Nicolai Leoniceni diſcipuli, Antiſophiſta.* Excerpta ex hoc autore reperiuntur in *Brunſ. Herbar. T.II. app. Edit. I. p. 44.—89. II. p. 140.—205. vid. §. XIV. 7. e.* 12) Eodem tempore idem argumentum pari laudabili ſtudio tractauit HERMOLAVS BARBARVS (*conf. ſuperior. numerum 5. b.*) quem Leonicenus in epiſtola modo citata Pontificem Aquilegienſem ſalutat. Huius caſtigationes Plinianas primum editas Cremonae a. 1485. ex *Caille* indicat *Maitt. T. I. ſ. IV. p. 462*, ſed in nota 3. recte monet, eas ante a. 1492. vbi Romae apud Euchar. Argenteum in folio excuſae ſunt (*conf. id. ibid. p. 545.*) publicatas haud eſſe, quod aſſertum extra dubium ponit *Giornale de' letterati d' Italia P. XXVIII. p. 184. 186. 202.* vt et praefatio ipſius BARBARI octauo Calendas Septembris a. 1492. ſcripta et huic meo exemplari praefixa: a) HERMOLAI BARBARI, *Patricii Veneti in* C. PLINII *naturalis hiſtoriae libros caſtigationes. Syllabus, ſiue index omnium quae in hoc opere tractantur, accuratiſſimus, quo quos ſcriptores minime ambitioſus corrector ſecutus ſit, quos item locos ex illis emendarit, ac hercle innumera alia, cum eruditione admiranda, tum vſu ſtudioſis maxime neceſſaria quae tradiderit, plane cognoſcas licebit. Baſileae ap. Io. Valderum menſe Martio 1534.* 4. pagg. 523. Praemiſſa (inter quae etiam Io. Oporini epiſtola de hac editione emendata) pagg. 8. ind. pagg. 72. Anno 1496. easdem caſtigationes vnacum PLINII ipſa hiſtoria Venetiis per Bernardin. Benalium in fol. recuſas eſſe, colligere licet ex *Maitt. l. c. p. 614*: ita ſane prodiit hoc meum exemplar b) C. PLYNII SECVNDI *naturae hiſtoriarum libri XXXVII. e caſtigationibus* HERMOLAI BARBARI *quam emendatiſſime editi. Additus eſt ad maiorem ſtudioſorum commoditatem, Index* IOANNIS CAMMERTIS *minoritani, quo Plinius ipſe totus breui mora temporis ediſci poteſt.* Ad calcem: *Editum eſt hoc Plynianum elegantiſſimum opus, ſumptibus ornatiſſimor. virorum Io. Kobergii ac Lucae Alantſee, impreſſum Hagenoae opera induſtriaque Thomae Anshelmi Badenſis menſe Nouembri 1518. Max. Aemiliano imperatore regnante, ex caſtigationibus Herm. Barbari quam accuratiſſime emendatum.* fol. maior. pagg. 286. auerſis nonnumeratis. Praſixa eſt p. 2. praefatio IO. BAPT. PALMARII, qua docet, quae ipſe ad huius editionis emendationem contulerit, quaeque adhuc emendanda ſuperſint. Accedit peculiari titulo *Prima pars Plyniani indicis editi per* IO. CAMERTEM *Minoritanum, S. Theologiae Doct. in qua (tabellae pictae inſtar) mira literarum connexione dicuntur ea omnia Geographiam praeter (nam hanc complectitur pars altera) quae toto Plyniano volumine continentur,* pagg. 192. Vtrique parti praefixa eſt Camertis praefatio: prior Viennae Pannoniae Prid. cal. Sempt. poſterior ſexto Calendas Auguſt. 1514. ſcripta, quibus breuis Pliniani operis recenſio et commendatio continetur. Pertinent huc etiam c) C. PLINII SECVNDI *Hiſtoriae mundi libri XXXVII. ex poſtrema ad vetuſtos codices collatione cum annotationibus et indice. Baſileae in officina Frobeniana 1539.* fol. mai. pagg. 671. praemiſſ. pagg. 36. Continent haec praeter titulum, Plinii praefationes et libr. I. ſeu librorum omnium elenchum, dedicationem D. ERASMI Roterod. qua, a. 1525. ſexto Idus Februar. ſcripta, praemiſſa Plinii commendatione laudat praecipue HERM. BARBARI, GVILHELMI BVDAEI, NIC. BERALDI et IO. CAESARII ſtudium in Plinium emendandum collocatum, et denique indicat, quae ſua cura huic editioni acceſſerint. Accedunt SIGISM. GELENII *caſtigationes ex vetuſtorum archetyporum collatione, in aliqua multa Pliniani operis loca, ab aliis antea parum animaduerſa,* cum eiusdem praefatione Baſileae calend. Ianuarii 1535. data, qua docet, has tertium nunc emendatas et correctas prodire. Sine paginar. numeris chartis 26. ſ. pagg. 52. Sequitur denique peculiari titulo *Index in C. Plinii Secundi naturalem hiſtoriam ad exemplum* IO. CAMERTIS, *mutatis quibusdam, quae ad hanc aeditionem non congruebant, nonnullis etiam adiectis,* chartis 88. ſ. pagg. 175. cuius pars ſecunda etiam geographica ſigillatim comprehendit. 13) HALI (HALY vel ALI) ben (filius) ABBAS, cognomine Magus, diſcipulus ABIMEHER MOYSI filii SEYAR (SERAR) floruit ſub finem ſec. X. (perperam traditur XII.) Arabum medicorum doctiſſimus et auctor laudabilis ſyſtematis medicinae (*conf. Caſtell. p. 145. Merckl. p. 387. a. Io. Freindii Hiſt. med. edit. gallic. p. 141. Keſt. p. 130. §. V. Ioech. T. II. p. 1337.*) quod vero nonniſi ex STEPHANI Antiocheni verſione proſtat (poſterioris partis ſeu practicae codicem MStum in tribus vol. titulo *Theſauri artis medicae* aſſeruat bibliotheca Acad. Leydenſis, *vid. eiusd. catal. p. 441. a.*) et, quantum ſcio, bis impreſſum, nempe a) ſine titulo: ad calcem p. 186. *finit tractatus decimus ſecundae partis ſimulque totus liber regalis diſpoſitio nominatus in arte medicine completus: Quem ſapientiſſimus* HALI *filius* ABBAS, *diſcipulus* ABIMEHER MOYSI *filii* SEIAR *compoſuit: regique inſcripſit: vnde et regalis diſpoſitionis nomen aſſumpſit. Et quia omnia medico neceſſaria continet ideo artis medicine liber completus nuncupatur. Ipſum autem ex Arabico in latinum ornatiſſime traduxit ſermonem* STEPHANVS *philoſophie diſcipulus in Antiochia, Anno dominice paſſionis 1127. 26. Ianuarii* (confer. inſcriptio ſerm. octaui P. II. p. 152. b. vbi eiusd. anni menſis Nou. indicatur) *feria quarta. Qui quum ſcriptorum negligentia et imperitia valde deprauatus eſſet vitioſiſſimusque effectus. Excellentiſſimi artium et medicine doctoris* ANTONII VITALIS *pyrranenſis opera ſummaque diligentia emendatiſſimus redditus eſt. Ita vt nil in eo fere caſtigatione dignum comperias niſi quod impreſſorum incuria praetermiſſum diligens inſpector facile emendaret. Textus autem quosdam corruptos, quosdam vero ſuſpectos. ab antiqua quandoque diſſentientes translatione, quum imprimentium importunitate corrigendi tempus conceſſum non eſſet Tibi lectori ſtudioſiſſimo emendandos reliquit: vt te plurimi laboris ſui participem efficeret.*

ceret. *Quos ne totum hunc librum perquirens oberrares hic ſubſcribi iuſſit.* Sequuntur p. ſequ. haec monita, quibus ſubſcriptum legitur: *Impreſſum Venetiis d. 25. Sept. 1492. opera Bernardini ricii de nouaria. impenſa vero excellentiſſimi artium et medicine doctoris domini magiſtri Ioannis Dominici de Nigro &c.* cum extractu priuilegii. Vltima pagina indicat plagularum cuſtodem et typographi inſigne. fol. regal. chart. firma et nitidiſſ. p. 186. auerſ. non numeratis. Praemiſſa tabula omnium librorum, quae p. 1. auerſa incipit, chart. 4. Totum opus excuſum eſt in columnis diuiſis, diſtinctum in partem theoreticam et practicam, quarum vtraque praefixam habet STEPHANI praefationem et conſtat libris ſeu ſermonibus decem: prioris partis ſermo ſeu liber V. C. 15 – 20. *de cibis ex plantis et earum partibus*, C. 32. *de natura odoriferor. florum et herbarum et* C. 33. *de aromatum iucundorum naturis* agit; poſterioris vero ſermo ſeu liber II. *medicaminum ſimplicium ſcientias eorumque vtilitatem* ſigillatim exponit et quidem poſt generalia agit C. 34. *de herbis* numeris 87., C. 35. *de ſeminibus* n. 88.—177. C. 36. *de foliis* n. 178.—217. C. 37. *de floribus* no. 218.—246. C. 38. *de fructibus* n. 247.—312. C. 40. *de ſuccis* n. 313.—338. C. 41. *de gummis* n. 339.—368. C. 42. *de lignis* n. 369.—404. C. 43. *de radicibus plantarum* n. 405.—447. Sequuntur deinde mineralia et animalia n. 448.—533. C. 53. *de laxatiuis in genere*, C. 54. *de diuerſitate laxatiuorum*, inter quae plura vegetabilia eorumque partes n. 554.—591. recenſentur, nonnulla etiam C. 55. *de medicinis prouocantibus vomitum* nominantur. Vtut autem haec pertractatio quoad qualitates et vires laude ſua non omni priuanda ſit, de ipſis tamen ſtirpibus vix plura, quam nuda nomina arabica, quandoque latina et graeca a Stephano addita, et ſubinde circa quasdam ſpecies leues notae reperiuntur. b) *Liber totius medicine neceſſaria continens quem ſapientiſſimus* HALI *filius* ABBAS *diſcipulus* ABIMEHER MOYSI *filii* SEIAR *edidit: regique inſcripſit. Vnde et regalis diſpoſitionis nomen aſſumpſit. Et a* STEPHANO *philoſophie diſcipulo ex Arabica lingua in latinam ſatis ornatam reductus. Nec non a Domino* MICHAELE DE CAPELLA *artium et medicine doctore fecundis ſinonimis a multis et diuerſis Autoribus ab eo collectis illuſtratus ſummaque cum diligentia impreſſus 1523.* Ad calcem: *hoc preclarum opus multo maiori quam prius cura recognitum mendis omnibus excluſis. Lugduni typis Jacobi myt exacte impreſſum fuit 1523. die vero 18. menſis Martii.* 4. pagg. 319. auerſis non numeratis, praemiſſ. chartis 8. quae continent titulum figuris ligno inciſis, *Hippocratis, Galeni Hali*que imagines referentibus, ornatum, et *Mich. de Capella* breuem praefationem tituli paginae auerſ. adpreſſam, nec non eiusdem ſynonyma litterarum ordine conſcripta. Ceterum haec editio, pariter columnis diuiſis excuſa, a priori non differt, niſi forma et typo multo minori, vnde in anguſtius ſpatium redacta eſt. Plura de Haly Abbatis opere vide num. 18. ſequentem. 13.*) SANTES (SANCTES) ARDOINVS (ARDOYNVS) ſeu DE ARDVINIS de Peſauro ſeu ex Piſaurenſi vrbe natus medicus (*vid. Geſn. Biblioth. p. 590. b. Merckl. p. 960. b. Segu. p. 224. Ioech. T. I. p. 515.*) et ſec. XV. (non XVI. vt legitur apud *Ioech. l. c.*) clarus ſilentio penitus praetereundus haud eſt, quia opus eius non ſolum cum prima *Hali Abbatis* operis editione, diſtincte quidem, ſimul tamen prodiit, verum etiam integer tractatus III. de plantis venenatis agit. Tituli plagula caret; primo vero tractatui haec praefiguntur: *Incipit liber de venenis quem magiſter* SANTES DE ARDOYNIS *de Penſauro phiſicus ſaluatoris noſtri confiſus auxilio edere cepit venetiis die octauo nouembris 1424. Et ipſum ibidem diuino mediante fauore finiuit die 14. Mady 1426. ad honorem et laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti ac ejus glorioſiſſime genitricis Virginis Marie et totius curtae paradiſi.* Ad calcem: *Impreſſum Venetiis opera Bernardini Riccii de nouaria: emendatumque per Excellentiſſ. artium et Medicine Doctorem dnm magiſtrum* DOMINICVM DE CANALI *Feltrenſem. Impenſa vero Excellentiſſ. art. et Med. Doctoris Dni Magiſtri Joannis Dominici de Nigro: qui obtinuit ex ſpeciali gratia a Sereniſſimo Domino venetiar. &c.* (ſequuntur priuilegii verba) *1492. die XIX. Menſis Iulii Regnante D. Auguſtino Barbadico Inclyto Venetorum Principe.* Fol. regal. p. 101. auerſ. non numeratis, in columnis diuiſis. Tertius tractatus p. 26. b. — 41. b. his inſcribitur: *incipit tractatus tertius Libri de venenis in quo tractatu determinatur in ſpeciali de venenis ac mortiferis Medicinis ſumptis ex vegetabilibus et plantis.* Siſtit autem hic tractatus 63. capitibus totidem plantarum noxiarum hiſtoriam medicam ſatis docte, ſed ipſae plantae nonniſi nominantur et quidem nominibus barbaris ſine vlla explicatione vel deſcriptione: reliqui tractatus (ſunt enim eorum VIII.) agunt de venenis in genere et de illis ex mineralibus animalibusque interne ſumtis, vt et horum laeſionibus externe accedentibus ſigillatim. Recuſum eſt hoc opus poſt 70. annos hoc titulo: b) SANTIS ARDOYNI *Piſaurenſis Medici et Philoſophi praeſtantiſſimi opus de venenis a multis hactenus deſideratum et nunc tandem caſtigatiſſime editum. In quo naturalis primum hiſtoria* &c. (quae verbotenus leguntur apud Merckl. l. c.) *cum praefatione luculenta, in qua methodus venenorum cognoſcendorum atque curandorum, ſumma arte, breuitate et facilitate docetur. Adiunximus eiusdem generis commentarium doctiſſ.* FERDINANDI PONZETTI *Cardinalis. Indicem praeterea rerum atque verborum copioſiſſimum.* Ad calcem indicis: *Baſileae per Henr. Petri et Petrum Pennam 1562.* fol. pagg. 573. titulus, praefatio THEODORI ZWINGERI, et index chart. 15. Ponzetti tractatus p. 515. hoc peculiari titulo ſequitur: FERD. PONZETTI, *tituli S. Pancratii Presbyteri Cardin. Melfitenſis de venenis lib. tres, ante annos XL. editi: nunc vero multo emendatiores quam antea typis excuſi, cum indice locupletiſſimo,* quem tamen nec ſigillatim additum nec priori inſertum reperi. In hoc tractatu vix 20. nominantur eiusmodi plantae, quarum iterum vires tantum indicantur. Saepius excuſum eſſe hoc opus, me latet. 14) JOANNES (vel vt alii monent MATTHAEVS) PLATEARIVS, a S. Paulo, patria ſua Galliae ciuitate, cognominatus, medicus Salernitanus, quem alii ſec. XII. vel XIII. alii initio XIV. demum vixiſſe tradunt (*vid. Merckl. p. 662. a. Tournef. Iſag. p. 19. Segu. p. 292. Ioech. T. III. p. 1622.*) duo compoſuit opera, quorum vnum *practica*, alterum *de ſimplici medicina dictum circa inſtans*, ſaepius cum aliorum auctorum operibus, nunquam vero, quantum ſcio, ſigillatim (niſi forte Pariſiis 1582. 4to. *teſte Segu. l. c.*) excuſa ſunt. Quod ad poſterius, ſolum huc pertinens, attinet, prodiit primum cum *Serapionis* Operibus Venetiis 1497. et deinde ibid. 1503. et 1530. excuſis, *vid. numerum ſuper. 6. a. b. c.*, interea vero etiam cum *Nicolai Praepoſiti* diſpenſatorio, de quo no. ſeq. 20. b. conf. etiam *Meſue* huius artic. no. 1. a. ſeqq. Ipſum vero Platearii hoc opus nil continet, quam catalogum ſimplicium medicinalium, quae ex tribus regnis petuntur, ſecundum litterarum ordinem more aliorum barbarorum ita explicatorum, vt, prae-

 miſſis

miſſis nudis nominibus, reliquum de qualitatibus et viribus ſolummodo agat. 15) GEORG. VALLA Placentinus, medicus et profeſſor humaniorum venetiis, latinae et graecae linguae peritiſſimus, vixit circa medium ſec. XV. *vid. Merckl. p. 342. a. Joech. T. IV. p. 1423.* Inter varia eius opera occurrunt quoque *de medicina libri VII. vbi de ſimplicium natura per ordinem litterarum;* num vero hos iam comprehendant *eius aliorumque authorum opera per Anthon. Strata Venet.* iam *1488. in fol.* (*teſte Maitt. T. I.* ſeu *IV. p. 504.*) excuſa, iudicent illi, quibus ad manus ſunt. Eiusdem autem opus de rebus expetendis et fugiendis, quod apud Aldum Venetiis 1497. (*Maitt. T. I.* ſeu *IV. p. 644.*) prodiit et procul dubio haud differt ab illo, quod ibid. impenſa ac ſtudio IO. PETRI VALLAE filii 1501. menſe decembr. in fol. excuſum eſt (*vid. Maitt. T. II. p. 153.*) libros indicatos omnino continet (*vid. Maitt. l. c. nota d et conf. Geſn. Biblioth. p. 272. b. vbi vero editionis annus non indicatur*) cuius editionis primum tantum poſſideo volumen hoc titulo: GE. VALLAE *Placentini viri clariſſ. de expetendis et fugiendis rebus opus, in quo haec continentur De Arithmetica L. III. vbi quaedam a Boetio praetermiſſa tractantur. De Muſica L. V. ſed primo de inuentione et commoditate eius. De Geometria L. VI. in quibus elementor. Euclidis difficultates omnes fere exponuntur, vbi etiam de mechanicis ſpiritalibus, catoptricis, ac opticis, deque quadrato circuli habetur tractatus. De tota Aſtrologia L. IV. in qua fabrica vſusque Aſtrolabi exaratur, et quae ſignorum in exhibendis medicaminibus ſit habenda obſeruatio. De phyſiologia L. IIII. vbi et metaphyſices quaedam lectu qm. digniſſ. vtiliſſimaque. De Medicina L. VII. vbi de ſimplicium natura per ordinem litterarum. &c. &c.* quae ad ſcopum praefixum haud pertinent, ſine loco et anno in primo hoc volumine ſaltem non reperiundo, fol. reg. chart. nitida, ſine paginar. numeris et ſine litt. initialibus maioribus, minoribus tamen areis vacuis impreſſis, cum multis figuris ligno inciſis. chart. 298. praemiſſ. chart. ſeu foliis 14. Deſinit autem hoc volumen, vbi ea, quae ad medicinam pertinent, incipiunt. Ex praefixo autem elencho omnium librorum, quorum 49. et horum capitum ſingulorum inſcriptiones indicantur, patet, ea, quae de vegetabilibus agunt, non vna ſerie recenſeri. b) GEORGII VALLAE *Placentini viri clariſſ. de ſimplicium natura liber vnus. Argentinae per* HENRICVM SYBOLD. Ad calcem: *1528. menſe Auguſto.* in 8. ſine paginar. numeris. plagg. 13. ſ. pagg. 208. *Syboldus* artis medicae Profeſſor, in praefatione indicat, ſe ex Auctoris voluminibus ſelegiſſe librum, cui titulum fecit, *de natura ſimplicium;* huius autem editionis capitum ſecundum litteras ordinem in elencho ſuperioris editionis indicatae haud reperi. Ceterum nec haec tractatio ipſas plantas definit, vnum vel alterum tamen earum ſynonymum plerumque addit. 16) Sub finem ſeculi XV. ROBERTVS DE VALLE, Rothomagenſis et Canonicus Carnutenſis (*Chartres*) Plinii hiſtoriam mundi in compendium reduxit eiusque vocabula explicavit his libris a) *Compendium memorandorum vires naturales et commoda comprehendens a plinio data: valens nedum, ad ſecreta nature noſcenda: ſed ad vſus quoque neceſſarios: corporisque et ingenii conſeruationem.* Ad calcem: *impreſſum pariſiis per felicem baligault impenſa magiſtri durandi gerlier, alme vniuerſitatis librarii. Anno M. V. C.* (1500.) 4. ſine paginar. numeris, pagg. 220. praemiſſ. pagg. 24. b) ROB. DE VALLE *Rothomagenſis Prologus in ſequentem difficilium plinii explanationem* eiusdem formae ſine loco et anno et ſine paginar. numeris pagg. 174. Tituli paginae adpreſſum eſt inſigne M. *Durand. Gerlier* et procul dubio ſimul cum priori tractatu prodiit. Quod ad prius opuſculum attinet, ipſa praefatio docet, miſſis illis, quae noſtris in terris vix in conſpectum veniunt, vtiliſſima tantum excerpendi ſcopum auctoris fuiſſe; omnia ergo, quae in libris XII. — XIX. de vegetabilibus occurrunt, comprehendunt paginae 48. Poſterius opuſculum eſt index, litterarum ordine vocabula a *Plinio* vſurpata explicans et ad plurium auctorum, quos ſaepius citat et in praefatione ſigillatim nominat, mentem illuſtrans: in fronte gerit hanc peculiarem inſcriptionem: *ſequitur plinianorum difficilium in naturalis hiſtorie libris expoſitio a Roberto de Valle rothomagenſi que multas poetrie philoſophie medicineque obſcuritates exquiſite elucidat.* Hoc poſterius opuſculum ergo praeſtat priori, nec adeo vsque vilipendendum eſt, vti cenſuit HARDVINVS ſua in Plinium praefatione, (*conf. Fabr. bibl. lat. p. 410.*) licet ex propriis obſeruationibus parum acceſſerit. 17) RAPHAELIS VOLATERRANI, ſeu potius RAPH. MAFFEII cognomine VOLATERRANI i. e. Volae terrae ducatus Florentini a. 1451. nati (*vid. Segu. p. 113. Ioech. T. III. p. 27.*) *Opera* primum prodierunt Romae per *Beſicken* 1506. fol. *vid. Maitt. T. II. p. 181:* num differant a ſequenti opere, iudicent illi, quibus vtraque ad manus ſunt: *Commentariorum Vrbanorum* RAPHAELIS VOLATERRANI *octo et triginta libri cum duplici eorundem indice ſecundum tomos collecto. Item Oeconomicus* XENOPHONTIS *ab eodem latio donatus, venduntur Parrhiſiis ab Io. Paruo et Iodoco Badio Aſcen.* Ad calcem: *in aedibus aſcenſianis ad XII. Kal. oct. 1515.* fol. pagg. 422. auerſ. non numeratis, praemiſſ. pagg. 38. Recuſum eſſe hoc opus ibid. a. 1526. et Baſil. 1530. 1534. (*Geſn. bibl. p. 538. a.* ann. 1544.) et 1559. vid. *Segu. l. c.* Agitur autem in hoc opere de plantis libro XXVI. fol. 280 — 291. vbi vero iterum excerpta potius ex aliis, quam ex propriis obſeruationibus reperiuntur: accedit, quod *Geſnerus* l. c. iam annotauit, hunc auctorem non pauca a graecis non intellecta perperam transtuliſſe. 18.) Semel tantum, quantum ſcio, excuſum eſt opus hoc titulo: *Omnia opera* YSAAC *in hoc volumine contenta: cum quibusdam aliis opuſculis: Liber de definitionibus. Liber de elementis. Liber dietarum vniuerſalium: cum commento* PETRI HISPANI. *Liber dietarum particularium cum commento eiusdem. Liber de vrinis cum commento eiusdem. Liber de febribus. Pantechni decem libri theorices: et decem practices: cum tractatu de gradibus medicinarum* CONSTANTINI. *Viaticum* YSAAC *quod* CONSTANTINVS *ſibi attribuit. Liber de oculis* CONSTANTINI. *Liber de ſtomacho Conſtantini. Liber Virtutum de ſimplici medicina Conſtantini. Compendium megatechni* GALENI *a Conſtantino compoſitum. Cum tabula et repertorio omnium operum et queſtionum in commentis contentarum.* Ad calcem: *Habes in hoc volumine artis Apollinee ſtudioſiſſime indagator: Yſaac iſraelite Salomonis regis arabie filii adoptiui: coaceruata opera: — Curauit ea imprimi honeſtus vir Bartholomeus trot bibliopola Lugdunenn. Extrema manus appoſita fuit A. Dni XV. ſupra M. menſe Decembri in Lugdunenn. emporio in officina probi viri Iohannis de platea chalcographi.* Fol. pars prior pagg. 226. auerſ. non numeratis. Pars poſterior, quae hac inſcriptione incipit: *Liber Pantegni Yſaac iſraelite filii adoptiui Salomonis regis arabie: quem Conſtan-*

tinus

tinus aphricanus monachus montis caſſinenſis ſibi vendicauit, pagg. 210. auerſ. non numeratis. Repertorium (quod peculiari titulo inſtructum eſt et contenta voluminis repetit) chart. 15. cum hac inſcriptione: Liber definitionum *Yſaac heben amaran philoſophi* &c. *Liber elementorum Yſaac iſraelite medici* &c. ad calcem: *in calce voluminis ponitur tractatus quidam de obliuione a Conſtantino (vt perhibent) compoſitus* &c. Tituli plagae medium occupat figura ligno inciſa, quae *Haly Abbatis*, *Yſaaci* et *Conſtantini* menſae aſſidentium effigies repraeſentat. Auerſae paginae adpreſſa eſt 1) dedicatio ANTON. de TOLEDO med. Doct. Lugd. 15. Dec. 1515. ſcripta, quae indicat, eius cura excuſa eſſe haec opera aetate ferme conſumta et corroſa, per ANDR. TVRINVM Peſcienſem vero correcta. 2) SIMPHORIANI CAMPERII Duc. Lothar. et Barri primarii medici epiſtola ad TVRINVM vltima Iulii 1515. exarata, vbi ex ipſius operis citatis probare conatur, duos fuiſſe YSAAC, alterum HEBEN AMARAN, philoſophum, qui *definitiones* conſcripſit: alterum Iſraelitam medicum, qui plura opera compoſuit, praeſertim *Pantechnen* ſic dictam, hocque opus titulo *complementi medicinae* HALY ABBATI a STEIHANO falſo adſcriptum eſſe. Conf. num. 13. ſuperior. 3.) ANDR. TVRINI epiſtola IV. Kal. Dec. 1515. data, vbi ex horum operum et ex RASIS atque MESVE citatis *Pantechne* vt et *Viaticum* non ſolum iterum YSAACO vindicatur, verum etiam additur, haec opera CONSTANTINVM quoque furto ſibi adſcripſiſſe. Ceterum menda excuſat ob codices tum mendis plenos tum carioſos. Addo his, *Petr. Caſtellum p. 144.* quoque *Iſaac* Iſraelitam medicum et *Heben Amaran* philoſophum diſtinxiſſe, *Conr. Geſnero biblioth. p. 467. a.* vero probabile fuiſſe, ISAACH BEIMIRAM et EBEN AMRAM vel HEBEN AMARAN eundem fuiſſe: ſic enim citatum legi in libris IO. SERAPIONIS et IO. MESVE. Quo tempore ISAAC vixerit, valde diſſentiunt auctores. Medium ſeculi VII. ipſi aſſignat *Morreau* de V.S. in pleuritide; ſeculi XII. vero *Iuſt.* chron. med. a Merckl. p. 714. a. citati; ſeculi X. *Ioech.* T. II. p. 1988. et ſeculi XI. *Geſn.* biblioth. l. c. Quod ad *Pantechnen* attinet, hoc opus et *Haly Abbatis complementum medicinae* omnino vnum idemque eſt, non ſolum quoad diuiſionem itemque capitulorum et paragraphorum numerum, verum etiam ipſorum contentorum expoſitionem, et ſi vel alicubi differentia in verbis occurrat, nonniſi interpreti tribuenda erit. His non obſtantibus, *Io. Freind Hiſt. med. edit. gall. p. 141. lat. a Io. Wigano* adornata p. 214. plura haud concedit, quam quod *Haly Abbas* quaedam ex *Iſaaco* mutuatus ſit. Vtut autem haec ſe habeant, facile ex adductis patet, opus hoc circa plantarum expoſitionem illo magis haud praeſtare. Aliam horum operum editionem non inueni in *Merckl. l. c. Catal. biblioth. Ac. L. B. p. 136. a. Bradlei. p. 273. a. Maibom. P. III. p. 153. n. 1885. Riuin. p. 413. n. 4873. Ioech. l. c.* qui tamen annum 1516 indicat. Quoddam ex his antea iam ſigillatim excuſum indicatur ex bibl. Menarſ. a Maittaire, T. I. ſ. IV. p. 489. nempe b) *Eximy* ISAAC *medicine monarce de particular. dictis libellus, impreſſ. per Magiſtr. Mattheum Cerdonis de Windiſchgretz Padue 1487. 4.* quem titulum vero auctor nota 16. T. V. P. I. p. 523. ex *Simlero* ita corrigit: *Iſaaci Beimiram medici Iudaei de diaetis vniuerſalibus et particularibus Libri 2.* CONSTANTINVS AFRICANVS, cuius iam mentio facta eſt, vixit ſub finem ſec. XI. Monachus ordinis D. Benedicti in monte Caſſinenſi: laudatur quidem medicinae et philoſophiae aeque, ac graeci, latini et arabici ſermonis peritiſſimus, ſed etiam plagii ſimul accuſatur ferme ab omnibus: *vid. Geſn. biblioth. p. 185. b. Caſtell. p. 161. Merckl. p. 223. b. Freind. l. c. p. 218. ſeqq. lat. edit. p. 324. Ioech. T. I. p. 2067.* Opera eius ſunt c) CONSTANTINI AFRICANI *poſt Hippocratem et Galenum quorum, Graecae linguae doctus, ſedulus fuit lector, medicorum nulli prorſus, multis doctiſſimis teſtibus, poſthabendi opera* (reliqua tituli verba et contentorum elenchum vid. apud Merckl. l. c.) ad calcem: *Baſileae excudebat Henr. Petrus menſe Auguſto 1536.* fol. pagg. 387. praemiſſ. cum ind. pagg. 16. Hoc volumen nihil huc pertinens continet, ſi excipias vltimum tractatum, qui inſcribitur *de gradibus ſimplicium liber* a p. 342. ad finem, qui vero et ordinis et expoſitionis ratione plane differt ab illis, quae in *Haly Abbatis* et *Iſaaci* operibus reperiuntur, neque vero praeter nuda ſimplicium vocabula et eorum virium ſecundum gradus recenſionem plura quam illi profert. d) *Summi in omni philoſophia viri* CONSTANTINI AFRICANI *medici operum reliqua, hactenus deſiderata, nuncque primum impreſſa ex venerandae antiquitatis exemplari, quod nunc demum eſt inuentum. In quibus* &c. vid. Merkl. l. c. Ad calcem *Baſil. apud Henr. Petrum menſe Auguſto 1539.* fol. pagg. 361. Praemiſſ. cum ind. pagg. 16. Hoc volumen, praeter *Ant. Gaizonis* diſſertationem *de ſomno* a p. 347. ad finem, ſolummodo continet *Conſtantini* tractatum de *communibus medico cognitu neceſſariis*, qui eſt ille omnino ad verba ferme conueniens cum *Iſaaci* pantechnes parte prima ſeu theorica: alteram ſeu practicam partem pariter immutatam reperire haud potui. Quaedam *Conſtantini* opuſculorum antea iam ſigillatim excuſa Geſnerus l. c. et biblioth. Riu. p. 235. n. 2215. indicant.

19.) Sub initium ſeculi XVI. ex recentioribus nouus in publicum prodiit barbariei debellator eruditiſſimus et *Leoniceni* diſcipulus, IOANNES MANARDVS Ferrariae a. 1462. natus atque ibidem a. 1536. mortuus, vir ab omnibus laudatus: *vid. Geſn. bibl. p. 435. a. Caſtell. p. 180. Merckl. p. 632. b. Tournef. Iſag. p. 24. Ioech. T. III. p. 92.* De vegetabilibus ſigillatim equidem haud ſcripſit; plurima tamen, quae ad eorundem cognitionem et vſum legitimum pertinent, pertractauit tum in notis ad *Meſuen (conf. art. huius XVI. n. 1. m. et litt. ſeqq. b. c. d.)* tum in epiſtolis varii argumenti medici ad amicos datis. Harum epiſtolarum primum prodierunt L. VI. Ferrariae 1521. nonis Nouembr. formis *Bernardini de Odonino* in 4., *vid. Maitt. T. V. P. II. p. 47.* et Lutetiae apud *Chriſtian. Wechel* menſ. Nov. typis *Simon. Siluii* 1528. in 8. *vid. idem ibid. et Merkl. l. c. Keſtn. bibl. med. p. 292. nota e.* Meum exemplar hunc prae ſe fert titulum: a) *Medicinales epiſtolae* IO. MANARDI *Medici Ferrarienn. doctiſſ. Recentiorum errata et antiquorum decreta penitiſſime reſerantes. Epiſtola* HVBERTI BARLANDI *ad Medicinae apud Louanienſes ſtudioſam iuuentutem. Index operi adiectus, quo prudens lector vel primo guſtu olfacit autoris ſtudium. Argentorati apud Io. Schottum 1529.* 8. minori, pagg. 130. auerſ. non numeratis. Praemiſſ. cum ind. pagg. 32. Continet liber I. epiſtolas 5. (quarum prima ſcripta eſt pridie idus Sextil. 1418. enormi errore typographico loco 1518. in ſequentibus editionibus correcto) L. II. 3. L. III. 4. L. IV. 5. L. V. 5. L. VI. 6. ordine, quo ſcriptae ſunt, haud locatas, ſiquidem L. II. epiſt. 1. anno 1500. et L. VI. epiſt. 2. a. 1504. ſcripta eſt, reliquae ſerius; neque etiam omni-

bus

bus annus, quo datae ſunt, additur. Ex BARLANDI epiſtola patet, hanc editionem recuſam eſſe ad exemplar, quod cum ipſo ERASMVS Baſileae communicauit; num vero Ferrarienſe an Pariſienſe fuerit, non addit, hoc vero affirmat, eam ab infinitis fere iisque monſtroſis mendis veteris editionis ſe vindicaſſe. Denique poſt indicem in ſpatii fugam paucas addit *Barlandus* annotationes, ſtirpium nomenclaturas potiſſimum illuſtrantes. Pariſienſis editionis titulum exhibens *Mercklinus*, huius epiſtolae Barlandi iam mentionem facit; ſed huic non ſolum contradicere videtur praefatio Barlandi erratis ad calcem meae editionis additis praefixa, verum etiam *Maittaire*, qui l. c. eiusdem haud meminit. b) Poſtea vnacum his alios libros XII., adeoque XVIII. vnacum annotationibus in Meſuen Baſileae a. 1535. in fol. chart. 124. apud *Bebelium* excuſos eſſe, docet *Geſner. biblioth. l. c. et Catal. Bibl. Meibom. P. III. p. 305. n. 3776.* Tandem duo libri adhuc acceſſerunt hoc titulo: c) *En poſtremum tibi damus, candide lector*, IO. MANARDI, *Medici Ferrarienſis, ſua tempeſtate omnium Medicinae Profeſſorum per vniuerſam Italiam in Galeni doctrina et Arabum cenſura celeberrimi et optime meriti, Epiſtolarum medicinalium libros XX., e quibus vltimi duo in hac editione primum acceſſerunt, vnacum epiſtola iam dudum deſiderata de morbis interioribus, quam vtinam immatura morte non praeuentus totam abſoluere potuiſſet. Eiusdem in* IO. MESVE *ſimplicia et compoſita annotationes et cenſurae omnibus practicae ſtudioſis adeo neceſſariae, vt ſine harum cognitione aegrotantibus recte conſulere nemo poſſit. Adiecto indice latino et graeco, vtroque copioſiſſimo. Baſil. apud Mich. Iſingrinium 1540.* fol. pagg. 603. praemiſſ. cum ind. pagg. 22. d) IO. MANARDI &c. *Epiſtolarum medicinalium libri viginti, denuo nunc ad autographum haud ſine fructu collati et editi. Eiusd. in* IO. MESVE *ſimplicia et compoſita annotationes* &c. *ibid. apud eundem 1549.* fol. pagg. totidem. e) IO. MANARDI *Medici Ferrarienſis, omnium ſua tempeſtate medicorum, citra controuerſiam, Doctoris eminentiſſimi, Epiſtolarum libri XX. Eiusdem in Io. Meſue ſimplicia et compoſita annotationes* &c. &c. *Lugduni ex officina Godefredi et Marcelli Beringorum fratrum 1549.* 8. mai. pagg. 653. praemiſſ. cum ind. pagg. 37. Vltima pagina ita inſcribitur: *caſtigationes aliquot, quas poſt obitum Manardi ab ipſius haeredibus habuimus;* ad calcem: *reliquas caſtigationes inter excudendum ſuis locis repoſuimus.* Hae tres editiones (c. d. e.) praefixam habent vnam eandemque praefationem COELII CALCAGNINI, Ferrariae ad XXII. Cal. Nou. 1529. ſcriptam, vbi haec leguntur: *emiſit* (Manardus) *annis proximis libros ſex epiſtolarum medicinalium* &c. *ſex alios mihi nuper oſtendit:* num hae XII. libri ſigillatim, vel etiam XVIII. ante Baſilienſem editionem (vid. ſupra b) alibi excuſi fuerint, a nemine annotatum legi. Vnam adhuc editionem addere liceat ſequenti demum ſeculo recuſam, quia ex titulo et auctoris nomine mutato coniicere aliquis poſſet, eſſe illam aliud prorſus opus: eſt autem f) ΙΑΤΡΟΛΟΓΙΑ ΕΠΙΣΤΟΛΙΚΗ *ſiue Curia medica* IO. IAC. MANARDI, *medici Ferrarienſis, omnium medicinae Profeſſorum per vniuerſum orbem in Galeni doctrina Arabumque cenſura nobiliſſimi viginti libris epiſtolarum ac conſultationum medicinalium adumbrata, nec non annotationibus et cenſuris locupletiſſimis in* IO. MESVE *ſimplicia et compoſita adornata* &c. *Hanouiae typis Wechelianis apud heredes Io Aubrii 1611.* fol. pagg. 432. praemiſſ. pagg. 12. index ad calcem pagg. 21. Secundum Mercklin. p. 633. titulo et anno eodem eademque forma prodiit Venetiis ap. haered. *Io. Aubrii*, quem erroris arguit *Keſtner. l. c. p. 292. nota* *. Acceſſit huic editioni praefatio PETRI VFFENBACHII, ſeruata ſimul illa CALCAGNINI; quo iure vero auctor nominetur IO. IACOBVS, non indicatur, nec ex aliis patet. Ceterum neque in hac, neque in antecedentibus (c. d.) mutata ſunt emendanda, quae editionis *e.* pagina vltima indicat, neque etiam vlla praefationem BARLANDI eiusque additamenta edit. a. exhibet. Continet autem opus hoc ſemper celebratum maximam partem medica, multa tamen etiam botanica argumenta. Botanica ſex priorum librorum iam recenſuit BRVNFELSIVS (*vid. artic. ſuper. XIV. n. 7. d.*) reliqua vero etiam neruoſe exhibet *Geſner. biblioth. p. 435. a. ſeqq.* (in eiusd. biblioth. editione *Ioſ. Simleri* Tig. 1574. et *Iac. Friſii* ibid. 1583. haec recenſio omiſſa eſt) vnde patet, botanica tractari L. I. Ep. 3. 4. 5. II. 2. III. 4. IV. 3. V. 5. VI. 2. 3. 5. VII. 4. VIII. 1. 2. 3. IX. 3. 4. 5. X. 1. XI. 3. 4. XII. 1. 4. 6. XV. 3. 5. XVIII. 3. Addo, omnes quidem reliquorum librorum epiſtolas non niſi conſilia pro aegrotis continere, ſubinde tamen, praecipue L. XIX. ep. 1. 3. 5. quaedam occurrere, quae nomenclaturas plantarum illuſtrant, id quod etiam de notis in Meſuem intelligendum eſt. 20) NICOLAVS ALEXANDRINVS, NICOLAVS MYREPSVS, et NICOLAVS PRAEPOSITVS a plerisque pro vno eodemque habetur: *vid. Caſtell. p. 134. Merckl. p. 840. b. et 842. b. Segu. p. 284.* ab aliis tamen ita diſtinguuntur, vt primus Medicus graecus vetuſtiſſimus ante *Æginetam* (qui certe ſec. VII. iam floruit) circa ſec. XII. claruerit (*vid. Merckl. p. 829. b. Ioech. T. III. p. 915.*) ſecundus vltimis Graecis adſcribatur et ad ſec. XIII. referatur (*vid. Ioech. l. c. p. 795.*) tertius vero Medicus Salernitanus ſec. XVI. demum floruerit, *vid. Ioech. l. c. p. 1743.* vbi tamen vtriusque opera confunduntur. His nominibus mihi ad manus ſunt a) NICOLAI ALEXANDRINI *liber de compoſitione medicamentorum* &c. *cum annotationibus* IO. AGRICOLAE AMMONII &c. *vid. artic. ſuper. XIV. n. 16. b.* vbi breuis eius recenſio. b.) NICOLAI ALEXANDRINI *Medici Graeci vetuſtiſſimi liber de compoſitione medicamentorum ſecundum loca, translatus e graeco in latinum a* NIC. RHEGINO *Calabro, nuper poſt germanicam editionem impreſſus et quam plurimis in locis caſtigatus* (ſi verus eſt titulus, addit Geſner. bibl. p. 517. a; eſt autem omnino verbotenus recuſus ita, vt etiam *Agricolae* praefatio, quam hic ipſius tituli paginae ſubiecit, auerſae paginae addatur, epiſtola nuncupatoria vero et poemata praemiſſa omittantur) *cum breuiſſimis annotationibus locorum difficilium* IO. AGRICOLAE AMNONII. *Venetiis apud Andr. Arriuabenum 1543.* 8. pagg. 241. auerſ. non numeratis, praemiſſ. cum ind. pagg. 24. inter quae 24. indicantur vocabula ab *Agricola* non expoſita neque vero hic illuſtrata. c) NIC. MYREPSI *Alexandrini medicamentorum opus in Sectiones quadraginta octo digeſtum hactenus in germania non viſum, omnibus tum medicis tum ſeplaſiariis mirum in modum vtile a* LEONHARTO FVCHSIO *Medico et Scholae Tubingenſis Profeſſore publico, e graeco in latinum recens conuerſum luculentiſſimisque annotationibus illuſtratum. Acceſſit non ſolum rerum et verborum, ſed et medicaminum ſingulis morbis deſtinatorum locupletiſſimus index. Baſileae per Io. Oporinum 1549. menſe Martio.* fol. columnis diuiſis ſingulis numeratis 586. Praemiſſ. fol. 8. index ad calc. fol. 4. d) *Eodem titulo* inter *Medicae artis Principes* ab *Henr. Stephano* editos T, II. 337—834. column.

column. proſtat. et e) ſigillatim recuſum eſt *Lugduni ap. Balthaz. Arnoletum* 1550. 8. pagg. 712. praemiſſ. pagg. 24. ind. pagg. 15. f) NICOLAI antidotarium prodiit primum cum *Meſue* : vid. n. 1. a. huius XVI. articuli. g) *Diſpenſarium Magiſtri* NICOLAI PREPOSITI *ad aromatarios.* fol. pagg. 97. auerſis non numeratis. Ad calcem pag. 93. b. *Finit Nicolai prepoſiti Doctoris medici clariſſimi Yſagogarum ſiue introductionum in artem apotecariatus opuſculum*, ſine loco et anno et ſine litteris initialibus maioribus, minoribus tamen ſubinde et cuſtodis litteris adpreſſis. h) *Preſenti volumine hec continentur. Diſpenſarium Magiſtri* NICOLAI PREPOSITI *ad aromatarios nuper diligentiſſime recognitum. Item compluribus additionibus et notabilibus : et multiplicium confectionum ſiue antidotorum que in ſecundo, ſerie alphabetica libro: deſcriptionibus : adauctum. Item modus debite diſpenſandi tyriacam, ex ſolennium medice facultatis autorum voluminibus excerptus. Item errores, qui circa eiusdem diſpenſationem ſepenumero committuntur: his annectuntur.* PLATEARIVS *vulgo circa inſtans nuncupatus, de ſimplici medicina, nouis exornatus additionibus.* Ad calcem: *Nicolai prepoſiti doctoris medici clariſſimi Iſagogicum ſiue introductorium in artem apothecariam opuſculum: accuratiſſima lucubratione doctiſſimi viri Michaelis de Capella artium et medice facultatum doctoris preſtantiſſimi, variis et multis tum additionibus, tum notabilibus apprime ad eam rem conducibilibus adauctum : nec non compluribus in locis, vbi aut deprauatum aut mancum extitit, priſtine (abſit vero inuidia) reſtitutum veritati: hic optatum ſortitur finem. Impreſſum in famatiſſimo Lugdunenn. emporio impenſis honeſtiſſimi viri Conſtantini Fradin bibliopole. A.* 1512. *IIII. idus Auguſti* (Merckl. p. 842. b. indicat editionem ibid. 1505.) in 4. oblongo ſeu folio minimo, pagg. 90. auerſ. non numeratis. *Platearii* opuſculum pagg. 40. auerſ. non numeratis cum eiusdem loci, bibliopolae et anni ad calcem ſubſcriptione. De hoc *Platearii* opuſculo conf. num. ſuperior 14; videtur autem, illud excerpta tantum litterarum ordine diſpoſita ſiſtere ex eiusdem ſimplicium expoſitionibus, quas ſingulis ſubiecit compoſitis pharmacis *Nicolai* antidotarii, quod cum *Meſue* (*vid. numerum anteced. lit. f*) excuſum eſt. Qui horum *Nicolaorum* opera inter ſe confert, omnino deprehendit, quod *Fuchſius* in ſua praefatione monuit, nempe *Nicolai Alexandrini* opus ab *Agricola* editum ab illo *Myrepſi*, quod ipſe euulgauit, diuerſiſſimum adeoque non Nicolai, ſed alterius cuiusdam opus eſſe, qui nonnulla medicamenta ex Nicolao et diuerſis aliis autoribus in vnum congeſſit librum; *Nicolai Praepoſiti* vero opus multo magis adhuc mancum et ex hoc aliisque compilatum deprehendi, id quod *Agricola* etiam in ſua praefatione iam annotauit. Graecum exemplar typis nunquam excuſum eſt; illud vero oratione parum concinna conſcriptum multisque barbaris vocibus graecis tantum litteris ſcriptis contaminatum eſſe, iterum teſtatur *Fuchſius*, ex quibus facile probari poteſt, eum minus recte vetuſtis Graecis accenſeri poſſe. Ceterum, quicquid ex his operibus ad ſtirpium cognitionem hauriri poteſt, ad *Agricolae* et *Fuchſii* annotationes redit: in *Praepoſiti* opere cap. 3. radicum, cap. 4. herbarum, cap. 5. florum, cap. 7. ſeminum, cap. 8. fructuum, cap. 9. corticum &c. catalogus nudis nominibus cum notis de eorum collectione et conſeruatione praemittitur. 21.) HVBERTVS BARLANDVS (*vid. Ioech. I. p. 792.*) cuius ſupra n. 19. a. mentio facta eſt, ſequentem edidit librum: HVBERTI BARLANDI *philiatri Medici Namurcenſis Velitatio cum* ARNOLDO NOOTZ *Medicinae apud Louanienſes doctore, qua docetur, non paucis abuti nos vulgo medicaminibus ſimplicibus, vt Capillo Veneris, Xylaloe, Xylobalſamo, Spodio, hisque ſimilibus. Deque Auicennae in plerisque horum hallucinatione. Deinde obiter agitur de venae in pleuritide ſectione. Poſtremo Auicennae locis aliquot aliis adhuc dormitatio oſtenditur, ſimul Galenus ab hominis morſibus aliquot defenditur.* Ad calcem: *Antverpiae ex aedibus Henr. Petri Middelbur* 1532. 8. pagg. 196. ſine numeris. Continet non ſolum nominatorum, verum etiam aliorum vegetabilium nomenclaturas correctas. 22.) Ex veteribus Graecis celebrioribus reſtat recenſendus ORIBASIVS ſec. IV. clarus, quem nonnulli Sardianum, alii vero rectius Pergamenum vocant. *vid. Geſn. biblioth. 527. b. Caſtell. p. 124. Merckl. p. 857. b. Tournef. Iſ. p. 14. Fabr. biblioth. Graec. Vol. XII. p. 639. Segu. p. 288. Ioech. T. III. p. 1094.* Opera, quae compoſuit, quaeque ex his adhuc ſuperſunt, recenſet *Fabric. Bibl. Graec. Vol. IX. p. 451. et Vol. XII. p. 641. conf. Keſtn. p. 103. ſ. λII*, quibus merito mirum videtur, eorum exemplar graecum nunquam excuſum, neque etiam omnium operum adhuc ſuperſtitum verſiones latinas in publicum editas, neque vllum eorum commentario illuſtratum eſſe. Codices graeci, qui Vindobonae in bibliotheca Caeſarea proſtant, indicat *Dan. de Neſſel in eorundum Catalogo P. III. p. 31. cod. XIX. n. 16. p. 37. cod. XXVI. n. 9. et cod. XXVII. n. 1. p. 44. cod. XXXII. n. 8. p. 49. cod. XLII. Geſnerus* vidit eiusmodi codicem Venetiis in bibliotheca *Diegi Hurtadi* a *Mendozza*, Caeſarei oratoris, in quo inſpexit librum, qui ſimplicium medicaminum deſcriptiones continet, et deprehendit, eas ſolas ex *Dioſcoride* per ordinem literarum digeſtas eſſe, *vid. eius bibl. p. 181, a. 528. a.* quod repetit in *Catalogo auctorum Trago praefixo.* Operum huius auctoris latine editorum et huc pertinentium ſequentia poſſideo a) CAELII AVRELIANI *Siccenſis tardarum paſſionum libri V.* D. ORIBASII *Sardi, Iuliani Caeſaris Archiatri, Euporiſton libr. III. Medicinae compen. lib. I. Curationum lib. I. Trochiſcorum confect. lib. I. Excudebat Henricus Petrus Baſileae menſe Auguſto* 1529. fol. pagg. 345. praemiſſ. cum ind. pagg. 16. Dedicatio docet, IO. SICHARDVM curam huius editionis habuiſſe. *Oribaſii* opuſcula continentur a pag. 243. et liber II. Euporiſton inſcribitur *de virtute ſimplicium medicamentorum ad* EVNAPIVM, p. 255. – 266. vbi vero, praeter recenſionem virium plantarum, non niſi nuda earum nomina occurrunt raro per ſynonyma expoſita. b) Alterum exemplar exſtat eo in volumine, quod HILDEGARDIS *phyſicam* comprehendit, cuius iam Art. II. mentio facta eſt, cuiusque voluminis integrum titulum prolixum exhibuit *Mercklinus p. 332.* ad quem iterum breuitatis cauſſa curioſos remitto, et hic ſolummodo indico, illud a p. 122. ad 233. continere ORIBASII *de ſimplicium, quae medicis praecipue in vſu ſunt, virtutibus lib. quinque.* Quanquam autem haec editio ab illa SICHARDI multum differat, plantarum tamen, quarum vires recenſet, iterum non niſi nomina nuda proponit. c) ORIBASII *Sardiani Collectorum medicinalium Libri XVII, qui ex magno ſeptuaginta librorum volumine ad noſtram aetatem ſoli peruenerunt.* IO. BAPTISTA RASARIO, *Medico Nouarienſi*, (Italo) *interprete. Venetiis apud Paulum Manutium, Aldi F.* 8. ſine anno. pagg. 750. praemiſſ. pagg. 8. Continet haec

editio libros priores XV. et libr. XXIII. XXIV. inter quos liber XI. p. 413. ad 463. inſcribitur: *Ex dioſcoride de ſimplicium medicamentorum facultate per ordinem literarum ab A. usque M. et eorundem apparatus*, et liber XII. a p. 463. ad 502. *ab N. litera usque ad Ω.* ex quo facile patet, eſſe hos libros eosdem, quos *Geſnerus* inſpexit, neque vero iisdem ad plantarum cognitionem illuſtrandam quicquam ab *Oribaſio* additum fuiſſe; et licet libro I. II. III. IV. VII. VIII. XIV. et XV. plurium vegetabilium pariter mentionem faciat, nulla tamen ex his quoque eorum cognitio hauriri poteſt. d) Haec et alia adhuc *Oribaſii* Opera a *Raſario* pariter latine reddita continentur inter *artis medicae principes T. I. n. VI. columnis 683.* vbi etiam col. 592. ad 617. occurrit *liber de virtute ſimplicium medicamentor.* quibus a col. 677. ad 683. iunguntur *Raſarii* annotationes. 23) Silentio praetereundae haud ſunt *Annotatiunculae aliquot* CORNELII PETRI *Leydenn. Phyſici, in quatuor libros Dioſcoridis Anazarbei. Experimenta et antidota contra varios morbos. De rebus occultis in natura mirandis, et alia quaedam lectu digna.* Ad calcem: *Ioan. Grapheus excudebat, a. 1533. menſe Ianuar. Antuerpiae.* 8. pagg. 86. ſine numeris, praemiſſ. p. 12. Eundem librum ibidem anno eodem in 12. (error forſan in forma) excuſum ex Falcon. indicat *Segu. p. 54. et 139.* Citatur hic autor quoque a *Keſtn. p. 93. §. VI.* et graecae linguae peritus medicus vocatur a *Ioech. T. III. p. 1474.* Praefatio, Leydae Kal. Dec. 1532. ſcripta, docet, auctorem hunc codicillum, vt ait, de ſimplicibus medicamentis ex diuerſis veterum et recentiorum voluminibus in compendium retuliſſe; deinde conqueritur de difficultate deſcriptiones horum auctorum conciliandi et de medicorum nec non pharmacopoliorum praefectorum eo tempore inſcitia, quam aliquot exemplis probat. Annotatiunculae in Dioſcoridem circa ſynonyma plantarum exponenda verſantur, et quamuis haud vbique acu rem tetigerit, legi tamen merentur, quae protulit. Additamenta reliqua nil continent huc pertinens. 24) SYMPHORIVS vel SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, CHAMPEGIVS, CAMPERIVS, CHAMPERIVS, CAMPIER et CHAMPIER, Lugdunenſis Gallus, Eques auratus ſeu S. Georgii, Favergiae Dominus et Ducis Lotharingiae Archiater, floruit circa initium ſec. XVI. *vid. Geſn. bibl. p. 606. a. Caſtell. p. 167. Merckl. p. 986. a. Ioech. T. I. p. 1606.* Ad manus eſt *Hortus Gallicus, pro Gallis in Gallia ſcriptus, veruntamen non minus Italis, Germanis et Hiſpanis, quam Gallis neceſſarius* SYMPHORIANO CAMPEGIO *Equite aurato ac Lotharingorum Archiatro Auctore, in quo Gallos in Gallia omnium aegritudinum remedia reperire docet, nec medicaminibus egere peregrinis, quum Deus et natura de neceſſariis vnicuique regioni prouideat. Lugduni in aedibus Melchior. et Gaſparis Trechſel fratrum 1533.* 8. pagg. 83. praemiſſ. cum ind. pagg. 12. Huic annexus eſt *Campus Elyſius Galliae amoenitate refertus: in quo ſunt medicinae compoſitae, herbae et plantae virentes: in quo quicquid apud Indos, Arabes et Poenos reperitur, apud Gallos reperiri poſſe demonſtratur: a Dom.* SYMPHOR. CAMPEGIO &c. *compoſitus* ibid. anno eodem pagg. 135. tit. et ind. p. 8. In priori libello nonnullae exponuntur plantae officinales ita, vt de earum ſynonymis, hiſtoria et viribus quaedem adducantur; in poſteriori vero, (in quo alia adhuc argumenta pertractantur, quae indicat *Merckl. p. 986. b.*) nihil. vt quis ex titulo coniicere poſſet, huc pertinens reperitur. Quaenam contineant eiusdem *Caſtigationes ſeu emendationes pharmacopolarum* &c. (quarum titulum plenum indicat *Merckl. p. 987. b.* et breuem argumentorum recenſionem ſiſtit *Geſn. biblioth. p. 606. a.*) inquirant alii: in mea collectione nondum proſtant. 25) CAROLVS STEPHANVS, vel ſecundum alios STEPHANI, ROBERTI frater, inclaruit primo ſeculi XVI. dimidio, Medicus Pariſienſis ſimulque Typographus Regius, et non ſolum plantarum cognitionem, ſed et linguae latinae vſum illuſtrauit *vid. Geſn. Biblioth. p. 162. b. eiusd. Catal. Maitt. T. III. p. 115. ſeqq. Segu. p. 394. Ioech. T. IV. p. 815.* Licet opuſcula ſua botanica, vt ipſe monet, puerorum tantum in gratiam conſcripſerit, plurimarum tamen ſtirpium non ſolum nomenclaturas verum etiam deſcriptiones docte expoſuit. Nomen ſuum nulli eorum praefixit auctor, in omnium vero praefatione profeſſus eſt. Prodierunt ea, quae poſſideo, hoc ordine: a) *De re hortenſi libellus, vulgaria herbarum, florum ac fruticum, qui in hortis conſeri ſolent, nomina latinis vocibus efferre docens ex probatis authoribus. In puerorum gratiam atque vtilitatem Pariſiis ex officina Roberti Stephani 1535.* 8. pagg. 99. ind. pagg. 13. b) *Eodem titulo*, cum hoc additamento: *multo quam antea locupletior factus. Cui nuper additus eſt alius libellus de cultu et ſatione hortorum, ex antiquorum ſententia. Ibid. 1545.* 8. pagg. 125. index a p. 126. ad 141. c) *Seminarium ſiue plantarium earum arborum, quae poſt hortos conſeri ſolent: quarum nomina, fructus, item etiam conſerendi vocabula apud authores bene recepta hoc libello declarantur. In puerorum gratiam atque vtilitatem, vt poſt ipſas herbas, etiam arbores cognoſcere facile poſſint.* Ad calcem: *Excudebat Rob. Stephanus Pariſiis 1536. XII. Cal. Iul.* 8. pagg. 107. ind. pagg. 17. d) *Seminarium et plantarium fructiferarum praeſertim arborum, quae poſt hortos conſeri ſolent, denuo auctum et locupletatum. Huic acceſſit alter libellus de conſerendis arboribus in ſeminario: deque iis in plantarium transferendis atque inſerendis, Pariſiis ex officina Rob. Stephani typographi Regii 1540.* 8. pagg. 193. ind. pagg. 11. e) *Eodem titulo ibid. 1548.* 8. pagg. 180. ind. pagg. 20. f) *Vinetum. In quo varia vitium, vuarum, vinorum antiqua, latina vulgariaque nomina, item ea, quae ad vitium conſitionem ac culturam ab antiquis rei ruſticae ſcriptoribus expreſſa ſunt, ac bene recepta vocabula, noſtrae conſuetudini praeſertim commoda, breui ratione continentur. In adoleſcentulorum gratiam ac fauorem. Pariſiis apud Franciſc. Stephanum 1537.* 8. pagg. 73. auerſ. non numeratis. Ind. pagg. 28. g) *Sylua. Frutetum. Collis. ibid. 1538.* 8. pagg. 56. auerſ. non numeratis. Ind. pagg. 16. h) *Arbuſtum. Fonticulus. Spinetum. Ibid. 1538.* 8. pagg. 37. ind. pagg. 3. i) *Pratum. Lacus. Arundinetum.* Ibid. apud *Sim. Colinaeum et Franc. Stephanum 1543.* 8. *vid. Segu. p. 395.* hunc enim libellum ſigillatim excuſum nondum poſſideo. Prodierunt autem ſingula haec opuſcula iunctim hoc titulo: k) *Praedium ruſticum, in quo cuiusuis ſoli vel culti vel inculti, plantarum vocabula ac deſcriptiones, earumque conſerendarum atque excolendarum inſtrumenta ſuo ordine deſcribuntur. In adoleſcentulorum, bonarum litterarum ſtudioſorum, gratiam. Lutetiae apud Carol. Stephanum Typographum regium. 1554.* 8. pagg. 648. index vocabulorum latinorum et gallicorum pagg. 48. Haec editio tum ordine tum copia reliquis praeſtat. l) Cum praefixo auctoris nomine *eodem titulo* et his ſub finem mutatis: *Opus Medicis, Pharmacopolis, Agricolis, caeteriſque germanae latinitatis ſtudioſis perutile. Indice triplici ad maiorem facilitatem locupletatum. Pariſiis apud*

Franciſc.

Franciſc. Pelicanum 1629. 8. pagg. 599. index illo prioris edit. copioſior pagg. 82. m) Praeter hoc opus proſtat adhuc alius in eo non contentus *de latinis et graecis nominibus arborum, fruticum, herbarum, piſcium et auium liber*, quem nondum vidi, licet ab a. 1536. ſaepius recuſus fuerit: *vid. Maitt. T. II. p. 837. III. p. 380. 402. 637. 711. V. P. II. p. 258. Segu. p. 187.* n) Praedium ruſticum, quod Stephani gener, IO. LIEBAVLT, Med. Dr., gallico ſermone tituloque *Agriculture et Maiſon ruſtique* in publicum ſaepius que auctius edidit, quodque etiam in germanicam linguam traductum proſtat, ſilentio praetereo: quia non ſolum altero demum ſeculi XVI. dimidio comparuit, verum etiam penitus mutatum fuit. 26) Quae in AETIO interpretando praeſtitit IO. BAPT. MONTANVS, Veronenſis et Paduae Medicinae Profeſſor, data occaſione iam indicata ſunt Art. XIV. n. 19. b. 27) IO. RVELLII *de natura ſtirpium libri II*, qui a. 1536. primum prodierunt et quorum aliquot editiones in Catalogo I. indicatae ſunt, rei herbariae cognitionem largiſſime emendarunt. Ceterum conf. huius articuli numerum 5. h. 28) Poſt varias PAVLLI AETIIque operum interpretationes iisdem operam ſuam quoque adhibuit OROSCIVS ſeu de HOROZCO vel HOROSCO aut OROSCO, Graecae linguae peritus criticus et in Gymnaſio Salamanticenſi Medicinae Profeſſor celeberrimus, qui floruit primo ſeculi XVI. dimidio, *vid. Geſn. biblioth. p. 167. b. Merckl. p. 178 b.* (vbi ſecundum *Wolfg. Iuſti chronol. Med.* perperam affirmatur, eum iam a. 1496. inclaruiſſe) *Keſtn. p. 105. Ioech. T. II. p. 1715. conf. art XIV. n 22.* Primum comparuerunt a) *Annotationes in interpretes* PAVLI AEGINETAE, CHRISTOPHORO OROSCIO *Authore. Nunc primum in lucem editae ac ſumma diligentia excuſae. Venetiis in officina Lucae Antonii Iuntae 1536.* fol. pagg. 88. praemiſſa pagg. 6; inter quae dedicatio Salmanticae calendis Martii et praef. ibid. XVI. Cal. Nov. 1533. ſcripta. *Poſteriores annotationes in interpretes* PAVLI AEGINETAE, CHRIST. OROSCIO *Authore. Additis caſtigationibus in ſextum librum.* Ad calcem: *ibid. 1536. menſe Aprili.* pagg. 16. Praefatio docet, his annotationibus occaſionem dediſſe *Alb. Torini* et *Io. Guntherii Andernaci* interpretationes *(vid. art. XIV. n. 4. 5. 6.)* emendationes vero factas eſſe ex collatione vetuſtiſſimorum tum *Paulli* tum *Oribaſii* codicum graecorum a praeceptore ſuo *Pinciano* communicatorum, conſultis ſimul *Galeni* operibus. Deinde rationem reddit, cur eas alibi, Venetiis nempe, excudendas curauerit, ob prelorum nempe in Hiſpania tunc temporis adhuc inopiam. Quum *Paulus*, quicquid de ſtirpibus Libro VII. retulit, vel ex *Galeno* vel ex *Oribaſio* mutuatus eſt, *Oroſcius* vero aeque, ac reliqui interpretes, de genuina tantum eius translatione ſollicitus fuit: facile patet, ex his plura, quam ex ipſo fonte, ad earum cognitionem pertinentia hauriri non poſſe. Omne ergo, quod hac ratione praeſtitit *Oroſcius*, eo redit, vt ſaepius ſtirpis nomen, cuius vires laudantur, corrigat. b) Sequutae ſunt *Annotationes in interpretes* AETII *medici praeclariſſimi*: D. CHRISTOPH. OROSCIO *authore. Vnacum latinarum et graecarum dictionum ac rerum, quae in iis annotationibus continentur, locupletiſſimo indice.* Ad calc. *Baſileae in officina Roberti Winter, menſe Martio 1540.* 4. pagg. 341. Praemiſſ. pagg. 12, inter quae dedicatio Salmanticae XII. Cal. Martii et praef. ibid. a. 1538. data. In dedicatione A. ipſe indicat, ſe iuuenem vix vigeſimum primum annum egreſſum, caſtigationes in interpretes Pauli Aeginetae compoſuiſſe (*conf. Ioech. T. II. p. 1715.*) ex quo, cum praefatione eiusdem operis a. 1533. data collato, dubio caret, eum a. 1512. natum eſſe. Praefatio monet, has Aetii correctiones oppoſitas eſſe *Io. Bapt. Montani* et *Iani Cornarii* interpretationibus *(vid. art. XIV. n. 19. a. b. c.)* idque potiſſimum ope vetuſtiſſimi codicis graeci iterum a *Pinciano* communicati. Ceterum de hoc auctore idem valet, quod de Paulo monui, nempe omnes interpretes pariter nonniſi in fidam eius translationem operam poſuiſſe. 29) IO. RODRIGVEZ DE CASTEL BLANCO Luſitanus, circa ſeculi XVI. medium Ferrariae medicinam profeſſus nomine AMATI LVSITANI magnam conſequutus eſt famam, vid. *Caſtell. p. 245. Merckl. p. 34. b. Tournef. Iſag. p. 27.* (vbi homo temerarius et indoctus inanis gloriae auidus audit) *Segu. p. 3. 33. 54. Ioech. T. I. p. 330.* Quae huc pertinentia edidit, ſunt a) *Index* DIOSCORIDIS. *Eiusdem hiſtoriales campi cum expoſitione* IO. RODERICI CASTELLI ALBI *Luſitani. Antverpiae apud viduam Martini Caeſaris 1536.* fol. *vid. Geſner. in praefat. ad Valer. Cordum;* vbi etiam indicat, hoc opus continere commentarios in duos tantum priores Dioſcoridis libros: *conf. Segu. p. 54.* Ipſe hanc editionem non poſſideo. b) *In* DIOSCORIDIS *Anazarbei de medica materia libros quinque enarrationes eruditiſſimae doctoris* AMATI Luſitani, *Medici ac Philoſophi celeberrimi, quibus non ſolum officinarum ſeplaſiariis, ſed bonarum etiam litterarum ſtudioſis vtilitas adfertur, quum paſſim ſimplicia graece, latine, italice, hiſpanice, germanice et gallice proponantur. Venetiis ap. Gualth. Scotum 1553.* 4. pagg. 514. praemiſſ. pagg. 12. ind. graec. et latin. pagg. 30. c) *Eodem titulo Argentorati excud. Wend. Ribelius 1554.* 4. pagg. 536. praemiſſ. pagg. 12. ind. graec. lat. et germ. pagg. 56. d) AMATI Luſitani *Medici ac Philoſophi celeberrimi in* DIOSCORIDIS *Anazarbei de medica materia libros quinque enarrationes eruditiſſimae. Quibus etiam tum ſimplicium medicamentorum nomenclaturae graecae, latinae, italicae, hiſpanicae, germanicae et gallicae proponuntur: tum errores aliorum omnium, qui ad hunc usque diem de hac materia ſcripſerunt, improbantur. Cum rerum ac vocum memorabilium indice locupletiſſimo. Venet. ex officina Iordani Zilleti 1557.* 4. Haec editio primae (b) paginis reſpondet. e) *In* DIOSCORIDIS *Anazarbei de medica materia libros quinque* AMATI *Luſitani Doctoris Medici ac Philoſophi celeberrimi enarrationes eruditiſſimae. Acceſſerunt huic operi, praeter correctiones lemmatum, etiam adnotationes* R. CONSTANTINI, *nec non ſimplicium picturae ex Leonharto Fuchſio, Iacobo Dalechampio, atque aliis. Lugduni apud Matthiam Bonhomme, excudebat vidua Balthazaris Arnoletti 1558.* 8. pagg. 807. praemiſſ. cum indice latino pagg. 76. figg. plant. 363. animal. 15. Ad calcem annexae ſunt *icones, numero triginta, ſtirpium nondum delineatarum, quarum vires in hoc Dioſcoridis libro expreſſae ſunt, vt ex libris et enarrationibus annotatis patebit.* Praefatio breuis his iconibus praefixa monet, eas ad exemplar a DALECHAMPIO acceptum caelatas eſſe. Sunt autem harum nonniſi octo, quae inter praecedentes non reperiuntur, omnes autem exiguae et viles Fuchſianaeque illae ipſae, quae art. X. n 9. notatae ſunt. CONSTANTINI annotationes ſunt rarae, eiusdem vero nomenclaturae auctae frequentiores. Epiſtola, quam adiecit et DALECHAMPIO inſcripſit, annotationes, quas extemporales dicit, ob temporis

a typographo conceſſi anguſtiam excuſat. Ceterum omnibus his editionibus (b. c. d. e.) eadem praemittitur praefatio AMATI Romae d. XV. Maii 1551. ſcripta, qua ipſe monet, ſe iam annis ab hinc quindecim Antverpiae commentaria in primum et ſecundum Dioſcoridis librum edidiſſe. Quod ad plantarum deſcriptiones attinet, ſunt illae valde ieiunae. 30) ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS Ferrarienſis et Ferrariae Ducis Medicus, ab ANTONIO MVSA veteri illo Romano *(vid. artic. XIV. n. 14. a. b.)* probe diſtinguendus, a. 1500. natus et omnium facultatum Doctor a. 1555. mortuus, variis opuſculis, quibus errores circa pharmaca tum ſimplicia tum compoſita tunc adhuc communes corrigere allaborauit *(vid. Merckl. p. 77. b. Tournef. Iſag. p. 25. Segu. p. 232. Keſtn. p. 311. nota q. p. 536. §. VIII. p. 643. §. 10. Ioech. T. I. p. 1338.* inclaruit et hodie adhuc in pretio habetur (*conf. Geſn. bibl. p. 62. b. Keſtn. locis cit.*): obtinebat tamen iam ſynchronum cenſorem, *Aloyſ. Mundellam* (de quo mox. no. 32. plura) et *Ioſeph. Scaliger* eum appellare ſolebat ineptae plebis medicorum cymbalum: *vid. Tournef. l. c.* Ex ſuis operibus huc praecipue pertinet *Examen omnium ſimplicium medicamentorum* &c. quod primum prodiit *Romae apud Ant. Bladum de Aſula 1536.* fol. *vid. Geſn. Biblioth. p. 62. a.* (vbi breuis iam additur recenſio) *Segu. et Keſtn. l. c.* poſtea vero ſaepius recuſum eſt *vid. Merckl. et Segu. l. c.* Editiones, quas ego poſſideo, ſunt a) ANTONII MVSAE BRASAVOLI *Ferrarienſis, Examen omnium ſimplicium medicamentorum, quorum in officinis vſus eſt. Additae ſunt inſuper* ARISTOTELIS *Problemata, quae ad ſtirpium genus et oleracea pertinent. Lugduni apud Io. et Franciſc. Frellaeos fratres. 1537.* 8. pagg. 529. Ariſtot. probl. p. 530 — 542. praemiſſ. pagg. 24. ind. pagg. 13. Auctoris dedicationi praefigitur alia IO. ARGENTERII, cuius cura opus hoc ſecundum exemplar Romanum recuſum eſt, et, vt typographi praefatio indici praefixa monet, caſtigatum et marginalibus annotationibus auctum. b) *Eodem titulo*, omiſſis Ariſtot. probl. his vero additis: *Opus perinſigne et medicinam facientibus perutile ab ipſo authore recognitum et auctum. Cum indice locupletiſſimo.* Ad calcem: *Lugduni excudebant Io. et Franc. Frellonii fratres 1546.* 12°. pagg. 862. ind. pagg. 57. Eſt hoc opuſculum colloquium inter Braſſauolum, pharmacopolam ſenem, et herbarium, quos ille de erroribus, quos committunt, inſtruit. Praeter hoc opus idem auctor compoſuit *Examen omnium ſyruporum* vt et *Examen omnium catapotiorum vel pilularum*, vbi vt Geſner, l. c. iam obſeruauit, et de ſimplicibus pharmacis quaedam diſſeruntur, quæ in libro de examine ſimplicium non ſatis diſcuſſerat; ſed brevitatis cauſſa haec et reliqua (nempe *examen omnium loch i. e. linctuum, ſuffuf i. e. puluerum, aquarum, decoctionum, oleorum; omnium electuariorum, puluerum et confectionum catharticorum; omnium trochiſcorum, vnguentorum, ceratorum, emplaſtrorum cataplaſmatumque et collyriorum; de medicamentis tam ſimplicibus quam compoſitis catharticis*) praetereo, licet vna et altera eorum editio ad manus ſit: quas *Merclin. l. c.* indicat. 31) FRANCISCVS MASSARIVS (MASSARIA *Ioech. T. III. p. 265.*) Venetus, Philoſophus et Medicus eruditiſſimus floruit primo ſeculi XVI. dimidio (*vid. Merckl p. 290. a. Ioech. l. c.*) ingenii ſui acumen vt et multae lectionis propriaeque experientiae vires (*conf. Geſn. biblioth. p. 251. b.*) ſatis probauit hoc libro: a) FRANCISCI MASSARII *Veneti in nonum* PLINII *de naturali hiſtoria librum Caſtigationes et Annotationes. Quisquis de natura Aquatilium ac remotiore piſcium cognitione edoceri cupis, hunc Maſſarii Commentarium eme et lege. Admiraberis laborem et ingenium hominis candidiſſimi, qui longe maximam operam in his indagandis, vt ſtudioſi iuuarentur, inſumpſit.* Ad calcem: *Baſileae ap. Hier. Frobenium et Nic. Epiſcopium a. 1537. menſe Martio,* 4. pagg. 367. Praemiſſ. pagg. 16. ind. pagg. 15. b) *Eodem titulo Pariſiis ex officina Mich. Vaſcoſani 1542.* 4. pagg. 136. ob typum minorem, praemiſſ. pagg. 8. ſed ſine indice, quem Epiſcopius conficiendum curauit. Vtrique editioni praefixa eſt praefatio *Beati Rhenani* ſub calendas Februarias 1537. data, atque auctoris ſine die et conſule. Ex inſcriptione equidem haud patet, cur huic catalogo inſerendus veniat hic liber; ſed non ſolum *Geſner l. c.* iam obſeruauit, auctorem cap. 39. multa erudite de plantis nonnullis diſſeruiſſe, verum etiam eiusmodi ſpecimina ſubinde aliis locis interſperſit ex indice facile reperiunda, ob quae *Geſnerus* merito dolet, eum, morte praeuentum immatura, abſoluere haud potuiſſe ſuos in reliqua *Plinii* volumina commentarios, ad quos ſe accincturum eſſe ipſe auctor in ſua praefatione his indicat verbis: — *in reliqua Plinii volumina eodem modo et accuratiori fortaſſe ſtudio ac diligentia, ſi diuina fauerint, perſequemur, praeſertim in ſimplicium materia, in qua magis quam in reliquis laborandum eſſe cenſemus, tum in plantis ipſis notificandis, tum etiam in aliorum erroribus confutandis, qui pene innumerabiles eſſe videntur.* Ceterum *Seguierius* non ſolum p. 147. has indicat editiones, verum etiam ab eodem p. 145. ex biblioth. Reg. Pariſ. citantur *Plinii libri II. de Piſcibus a* FRANC. MASSARIO *Veneto explanati: quibus acceſſit* OPPIANI *Poetae Halieuticon* &c. *Argentinae ap. Iacob Camerarium Camerlande 1534. in 4.* quae editio antiquior quousque differat ab indicatis, indicent alii. 32) Eodem tempore inclaruit ALOYSIVS MVNDELLA primum Medicus Brixienſis, deinde Romae botanices Profeſſor, tandem Paduae Praefectus horti medici recens fundati (*Ioech. T. III. p. 754.*) vir doctiſſimus: *vid. Geſn. biblioth. p. 30. a. Merckl. p. 30. b. Tournef. Iſag. p. 45. Keſtn. p. 292. §. II.* Hic edidit Epiſtolas medicinales &c. et annotationes in Ant. Muſae Braſſaualae ſimplicium medicamentor. examen Baſileae ap. Mich. Iſingrinium 1538. 8. et ibid. ap. eund. 1543. in 4. *vid. Merckl. p. 31. a. Keſtn. l. c.* (qui titulum plenum exhibent) *Segu. p. 283.*, quae editiones nondum ad meas peruenerunt manus; adeſt vero alia hac inſcriptione: ALOISII MVNDELLAE *Brixienſis Medici clariſſimi et acutiſſimi Epiſtolae medicinales, nunc ab ipſo autore auctae et recognitae: in quibus variae et difficiles quaeſtiones vtiliter tractantur: Galeni atque aliorum medicorum loci obſcuri et implicati illuſtrantur et explicantur: quae quidem omnia omnibus verae et incorruptae medicinae ſtudioſis tum vtiliſſima tum neceſſaria ſunt. Eiusdem annotationes in* ANTONII MVSAE BRASAVOLAE *ſimplicium medicamentorum examen. Baſileae apud Mich. Iſing.* ſine anno. 8. pagg. 655. Examen ſimplic. a pag. 504. ad finem, praemiſſ. cum ind. pagg. 32. Hanc editionem auctam non inueni citatam, niſi in *Catal. bibl. Riuin. p. 248. n. 2272.* vbi vero annus 1538. ei adſcribitur, procul dubio ex eo, quia ad calcem examinis ſimpl. ſubſcriptus eſt annus 1538; ſed hic indicat tantum illum, quo haecce appendix epiſtolae formae ad *Braſſauolum* (quem Illuſtriſſ. Principis Herculis Eſtenſis Ferrariae Ducis Medicum ſalutat) Brixia tertio Cal. Ianuarii ſcripta eſt: quum enim ſingulis epiſtolis ſubſcriptus ſit dies et annus, quo exaratae ſunt, patet inde, hanc editio-

editionem multo ſerius recuſam eſſe: ipſae epiſtolae tamen ordine chronologico haud locatae ſunt. Secundum hanc notam ſcripta eſt epiſt. 11. 15. *anno 1537.* Ep. 1. 2. 3. 7. 8. 9. 10. *anno 1538.* Ep. 21. 22. *anno 1539.* Ep. 5. 6. 12. 13. 14. *anno 1540.* Ep. 16. 17. 18. 19. 23. *anno 1541.* Ep. 20. *anno 1542.* Ep. 26. 34. *anno 1543.* Ep. 25. 28. 29. *anno 1544.* Ep. 27. 30. *anno 1545.* Ep. 31. 33. *anno 1546.* Ep. 32. *anno. 1547.* Ep. 35. 36. *anno 1548.* Ep. 4. 24. *anno 1549.* Ad primam ergo editionem anni 1538. praeter examen ſimplicium nonniſi nouem harum epiſtolarum referri poſſunt, et ſecunda a. 1543. recuſa (quam *Geſnerus* l. c. indicat et ſingularum epiſtolarum argumenta recenſet) viginti duas tantum continet, huic vero tertiae decem et quatuor reliquae (ſunt enim earum 36.) ab anno 1543. ad annum 1549. ſcriptae acceſſerunt. Num editio a. 1556. in 4. iterum recuſa, cuius *Segu. l. c.* mentionem facit, contentorum ratione ab hac differat, aliis indicandum relinquo. Addo his, ipſas epiſtolas etiam continere argumenta botanica, quae varia illuſtrant tunc temporis obſcura, praecipue in deſignandis plantis, quibus vires et nomina a veteribus tradita competunt, licet, ex Tournefortii l. c. ſententia, ad rem herbariam hodie parum conferant. 33) SYMEON (SIMEON et SIMON) SETHVS Antiochenus et Antiochiae 33 Magiſter, barbaris graecis accenſendus, vixit altero ſeculi XI. dimidio. *vid. Merckl. p. 970. a. Ioech. T. IV. p. 536.* Duos compoſuit libros graece ſcriptos: vnus eſt *Lexicon botanicum graeco-barbarum*, quod vero nondum typis excuſum eſt; eius tamen aliquot exemplaria manuſcripta aſſeruantur Vindobonae in bibliotheca Caeſarea *vid. Dan. de Neſſel Catal. P. III. p. 35. Codex XXV. n. 1. p. 37. Cod. XXVII. n. 3. et p. 44. Cod. XXXII. n. 4.* Alter liber (cuius codex graecus proſtat ibid. *p. 46. XXVI. n. 2. p. 51. XLV. n. 4. et P. IV. p. 109. Cod. CXCII. n. 6.*) de cibariorum facultate graece et latine interprete GIRALDO prodiit ap. *Mich. Iſingrinium* Baſil. 1538. 8. *vid. Geſn. biblioth. p. 605. b. Merckl. l. c.* vbi plenus titulus, *et conf. Maitt. T. V. P. II. p. 243.* Meum exemplar omiſſo textu graeco longe ſerius impreſſum prodiit hoc titulo: SIMEONIS SETHI *Magiſtri Antiochiae Syntagma per elementorum ordinem, de alimentorum facultate ad Michaelem Ducam Imperatorem* a LILIO GREGORIO GIRALDO *Ferrarienſe olim latinitate donatum: nunc vero per* DOMINICVM MONTHESAVRVM *Veronenſem correctum et pene reformatum. Baſileae ap. Petr. Pernam 1561.* 8. pagg. 144. index pagg. 14. Aliam adhuc editionem graeco-latinam a MARTINO BOGDANO emendatam et Pariſiis 1658. 8. impreſſam indicat *Merckl. l. c.* et *Noeſſel p. 51.* qui addit, operae pretium adhuc eſſe, has editiones cum codice MSto Caeſareo diligenter conferre. Huius libri mentio hic propterea facta eſt, quia 95. circiter capita agunt de vegetabilibus, ſed adeo frigide, ut ſemper in paruo pretio fuerit hoc opuſculum. *vid. Freind. hiſt. med. edit. Gall. p. 105. latin. p. 157. Keſtn. p. 711. nota a. et p. 721. nota e.* Annotauit *Geſnerus biblioth. p. 513. a.* occaſione *Mich. Pſelli* ex *Giraldi* praefatione in ſuam *Sethi* editionem (quae praefatio in mea editione omiſſa eſt) ſequentia: *de eadem ferme re et facultate ad Conſtantinum, huius, ut puto, Mich. Ducae parentem, Michael Pſellus libellum ante ſcripſerat, cuius eſt exemplum apud Meletium Graecum totius Medicinae ſcriptorem, non eodem modo argumento, ſed iisdem interdum pene verbis. Hunc ergo Symeonem, multis licet in locis deprauatum et mancum, latine quoquo modo verti, adiutus inprimis ipſius Pſelli libello, tum eiusdem altero a Georgio Valla peſſime conuerſo. conf. Freind. et Ioech. l. c.* Proſtat haec quoque *Pſelli* (qui *Setho* paucis annis ſenior fuit *vid. Freind l. c.* et cuius codex graecus MStus etiam in bibliotheca Caeſarea proſtat *vid. Neſſel. P. III. p. 46. P. IV. p. 109.*) editio in mea collectione hoc titulo: PSELLI *de victus ratione ad Conſtantinum Imperatorem libri II.* RHAZAE, *cognomento Experimentatoris, de Peſtilentia liber.* GEORGIO VALLA *Placentino interprete.* IO. MANARDI *Ferrarienſis medici, in artem* GALENI *medicinalem luculenta expoſitio.* Ad calcem: *Baſileae in aedibus Andreae Cratandri menſe Iulio 1529.* 8. pagg. 171. praemiſſ. p. 8. ſed Pſelli opuſculum ad pagg. 37. tantum ſe extendit. Hoc cum illo *Sethi* collato, conuenientiam memoratam neque in ordine neque in ipſa expoſitione deprehendi: *Sethus* enim non ſolum longe plura ſimplicia nominat, verum etiam multo prolixius de eorundem vſu differit, id quod iam ipſa vtriusque libelli moles diuerſa indicat. Quae inter ſe conueniunt, procul dubio vterque nonniſi compilator ex iisdem fontibus hauſit. Addit his *Geſner. l. c. p. 605. b. Sethum* vocabulis quibusdam cibariorum ſui temporis vſum eſſe, quae apud veteres graecos non reperias. 34) REMACLVS FVSCH et FVSCHIVS (ita legitur in quibusdam eius opuſculis, quae 34 ad manus ſunt, nonnullis tamen praefigitur tantum. REMACLVS F. alii ſcribunt FVCHS *vid. Merckl. p. 934. b. Keſtn. p. 28. §. III. Ioech. T. II. p. 792.*) Lymburgenſis ſeu Leodicenſis, Canonicus et Medicus ibidem obiit a. 1587. *vid. Merckl. l. c. Segu. p. 70. Ioech. l. c.* Plura eius opuſcula eorumque varias editiones indicat *Merckl. l. c.* et quae huc pertinent *Segu. l. c.* Ex his autem tantum poſſideo illud, quod inſcribitur *Plantarum omnium quarum hodie apud pharmacopolas vſus eſt magis frequens Nomenclaturae iuxta Graecorum, Latinorum, Gallo. Ital. Hiſpa. et Germa. ſententiam, per* REMACL. FVSCH *a Lymborch iam nouiter collectae. Pariſiis* ex officina *Dyoniſii Ianotii* 1544. in 12°. pagg. 68. ſine numeris. Cl. *Seguierius* indicat ex biblioth. Maz. editionem *ibidem apud eundem 1541.* in 8. *Mercklinus* vero *anno eodem ibid. apud Gorbinum* in 4. et duas alias. Addit *Geſnerus biblioth. p. 581. a.* aliam *Venetiis 1542.* in 16°., vbi haec huius libelli cenſura: *libellus refertus plurimis mendis quod ad orthographiam, et interpretationibus falſis, vt cum Pedem columbinum herbam ſpeciem Anagyris arboris dicit, et alia multa abſurdiſſima. Videntur eſſe collectanea ex Ant. Braſſauoli opere de ſimplicibus pharmacis vſitatis, quod ad variarum nationum nomina.* Eſt omnino nil aliud, quam catalogus aliquot nominum absque iudicio collectorum, et germanicorum corruptio docet, hunc auctorem Germanis, vt plerumque fit, non eſſe accenſendum. 35) IACOBVS SYLVIVS vel DV BOIS, natus Ambiani in Picardia 35 a. 1478. (non anno 1492. ſecundum *Mercklin. p. 496. et Segu. p. 304.*) Pariſiis magni medici famam conſequutus eſt et obiit ibidem a. 1555. *vid. Geſn. bibl. p. 363. b. Renati Moraei vita Syluii huius operibus Geneuae 1635. in fol. editis praefixa, Keſtn. p. 219. §. X. p. 640. §. VIII. Ioech. T. IV. p. 965.* Ex ſcriptis eius (praeter *Commentarium in Meſuen, vid. huius artic. XVI. n. 1. f. g. k. l.*) huc pertinent a) *Methodus medicamenta componendi, ex ſimplicibus iudicio ſummo delectis, et arte certa paratis: quatuor libris diſtributa, Authore* D. IACOBO SYLVIO *medico. Indice adiecto copioſiſſimo. Pariſiis ap. Chriſtian. Wechelum 1541.* fol. p. 206. praemiſſ. cum ind. pagg. 22. *Mercklinus p. 498. b.* omittit hanc editionem et indicat aliam *eodem titulo ibid. anno eodem ap.* a

b *Andr. Wechelum* in 8. an ex errore formae? b) *Eodem titulo Lugd. ap. Io. Tornaeſium* et *Guil. Gazeium 1548.* 8. pagg. 372. ind. pagg. 22. Hanc quoque editionem omittit *Merckl. l. c.* et aliam *ibid. ap. eund.* ſed
c *a. 1584.* in 8. citat, an ex numerorum tranſpoſitione? c) *Eodem titulo Lugd. ap. Guil. Rouil 1549.* in 12°. pagg. 680. ind. pagg. 38. quam editionem *Merckl. l. c.* pariter non indicat. Huius operis Lib. I. ad p. 47. agit de medicamentorum ſimplicium natura et explicat circiter 228. genera radicum, herbarum, florum, ſeminum, fructuum, lignorum, corticum, ſuccorum aliorumque ex vegetabilibus productorum; plurima autem ex Galeno ceteriſque veteribus congeſta, ſimul tamen bene digeſta, nonnullaque ex propria obſeruatione addita ſunt, omnia autem parum ad ipſarum plantarum cognitionem conferunt, in ſynonymis tamen legitimis eruen-
d dis et ſpeciebus diſtinguendis multum deſudauit. d) *De medicamentorum ſimplicium delectu, praeparationibus, miſtionis modo, libri tres,* IACOBO SYLVIO *medico authore. Pariſiis per Iac. Gaſellum 1542.* fol. pagg. 60. auerſ. non numeratis, praemiſſ. pagg. 8. Huic editioni formam 8. iterum adſcribit *Merckl. l. c.* In hoc quoque opere recenſio ſimplicium quaſdam diſtinctionis notas ſubinde docet.

XVII. Sed vela nunc contraho forſan nimis diu expanſa. Pauca tamen hactenus allatis addenda habeo.
1 1) Opera, quae Germani in rei herbariae emolumentum ad annum 1550. vſque publicarunt, conquiſiui et articulis XIV. prioribus enumeraui omnia, quotquot in tumultuaria hac diſquiſitione vel abs me collecta reperire vel ab aliis annotata obſeruare potui, adeoque et illa, quae nondum ad manus meas peruenerunt; quaedam tamen, e. gr. GEMVSAEI, CORNARII, GESNERI &c: articulo XVI, qui aliarum nationum lucubrationes eidem ſtudio dicatas exponit, propter nexum cum illis inſerta reperiuntur. Nonnulla me omiſiſſe, facile concedo:
a mihi ipſi poſtea occurrerunt ſequentia: a) PAVLI AEGINETAE *pharmaca ſimplicia,* OTT. BRVNFELSIO *interprete. Idem de ratione victus* GVIL. COPO *Baſilienſi interprete. Argentor. apud Ge. Vlricher Andlanum 1531.* 8. *vid. Merckl. p. 861. b. et 866. a. Segu. p. 290. Pariſ. apud Chr. Wechel 1532.* 8. *vid. Bibl.*
b *Riv. Cat. no. 5676.* ipſum autem librum nondum vidi. b) *Apparatus et delectus ſimplicium medicamentorum. De compoſitione medicamentorum ſecundum genera,* ex PAVLO AEGINETA. *De compoſitione medicamentorum ſecundum genera vniuerſalis methodus,* ex GALENO. *Omnia nunc primum aedita, cum Medicis tum Pharmacopolis omnib. apprime neceſſaria, auctore* CONRADO GESNERO *Tigurino. Lugduni apud Jo. et Franciſc. Frellonios fratres 1542.* 8. pagg. 275. praemiſſ. cum ind. pagg. 20. Epiſtola dedicator. ſcripta eſt Lugduni in peregrinatione 1541. Idib. Ian. Simplicium medicamentorum, tum vegetabilium tum aliorum, catalogum literarum ordine ſcriptum et ex *Dioſcoride* ac *Meſuae* ea parte, quam *Io. Tagautius* (vel *Tagaul-*
c *tius vid. Merckl. p. 690. a*) edidit, collectum comprehendunt p. 3. — 116. c) *Enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum et aluum bonam facientium, iuxta ordinem alphabeti* CONR. GESNERO *authore.* Hac inſcriptione peculiari primum prodierunt paginae 28. ſine numeris annexae *examini omnium catapotiorum vel pilularum Antonii Muſae Braſauoli,* quod ibid. apud eosdem a. 1544. in 8. excuſum eſt;
2 ſed haec enumeratio nuda tantum continet remediorum nomina, addita eorum virium recenſione. 2) In exterorum operibus articulo XVI. recenſitis, ne praeter neceſſitatem nimis prolixus fierem, ſilentio praeterii opera omnia, quorum nullam hucusque poſſideo editionem: barbarorum quoque plura conſulto omiſi, e. gr. ARNOLDI VILLANOVANI, IO. MICH. SAVANAROLAE &c. quia in his nil niſi nuda ſimplicium nomina reperiuntur: forſan nec in reliquis, quae nondum vidi, laudabiliora extant: certe praecipue celebratum *Speculum quadruplex, naturale, doctrinale, morale, hiſtoriale* &c. IV. et VI. Voluminibus in folio ſaepius excuſum VINCENTII Galli, quem alii *Belluacenſem* alii *Burgundum* cognominant (cuius quatuor editiones a. 1473. 1481. 1484. et 1494. pluresque partium eius ſigillatim recuſarum indicat *Maitt. T. V. P. II. p. 324,* contentorum vero recenſionem exhibet *Geſn. Biblioth. p. 624. b. ſeqq.,* et eorum, quae ad medicinam ſpectant, vnacum titulo pleno *Merckl. p. 1043. ſeqq.* vbi editio aucta et illuſtrata a. 1624. citatur, ad rem herbariam vero ſigillatim pertinentium *Segu. p. 203.* vbi editio a. 1476. additur) ex aliis auctoribus tantum compilatum eſt, quod auctor ipſe in praefatione (cuius particulam excerpſit *Geſn. l. c.*) fatetur. Quum Celeberr. D. D. IO. GESNERVS haud ita pridem primam MATTHIOLI operis editionem cum CONR. GESNERI manu adſcriptis notis alium in finem Tiguro beneuole mecum communicauit, eam ſilentio praeterire nequeo. In Tituli plagula mutilata haec tantum ſuperſunt: *Il* DIOSCORIDE *dell' excellentiſſimo medico* M. P. ANDREA MATTHIOLO *coi ſuoi diſcorſi — con l' aggiuntà del Seſto libro* — qui titulus apud Cl. SEGVIERIVM p. 120. ſub *Matthioli* nomine ex Biblioth. Reg. Par. paucis verbis mutatis, ita legitur, *Il* DIOSCORIDE *con li ſuoi diſcorſi, aggiuntovi il ſeſto libro de gli antidoti contra tutti i vileni. In Venezia. Valgriſi 1548. et 1549.* in 4. ſine iconibus. Exemplar, quod ad manus eſt, figuris omnino caret. Quinque libri conſtant pagg. 755. cum praemiſſ. epiſt. dedic. d. X. Aug. 1548. ſcripta, indice et reliquis pagg. 60. Sexto autem libro hic peculiaris titulus praefixus eſt: *Il Seſto libro di Pedacio Dioſcoride Anazarbeo, in cui ſi tratta de i rimedi de i ueleni mortiferi, tanto preſeruatiui, quanto curatiui; tradotto, et commentato in lingua uolgare Italiana da M.* PIETRO ANDREA MATTHIOLO *Saneſe Medico. In Vinegia alla bottega d' Eraſmo, appreſſo Vincenzo Valgriſi 1548.* pagg. 128. ind. pagg. 6. Editiones plures iconibus illuſtratas et ab a. 1554. repetitis vicibus auctas indicaui in catalogo I. antecedente. Huic viro multum debet ſtudium botanicum emendatum, licet copioſis grauibusque
3 naeuis haud careat. 3) Editiones operum varias, quotquot earum ipſe poſſideo, propterea addidi et plerumque notaui, quae inter ſe vel conueniunt vel differunt, vt vnusquisque certior fieret, num illâ, quam poſſidet, auctior aut emendatior proſtet, ob quam cauſſam interdum adieci eas quoque, quae poſt terminum praefixum in publicum prodierunt. Omnium recenſionem atque collationem eadem ratione, qua illas articulis XII. prioribus ſuſcepi, lubens quidem continuaſſem, niſi tempus opportunum defeciſſet. Qui de meritis horum auctorum plura ſcire deſiderat, adeat Ill. D. de HALLER opus praeclarum, quod anno ſuperiori Amſtelodami ſumptibus *Jacobi a Wetſtein* prodiit hoc titulo: HERMANNI BOERHAAVI *viri ſummi ſuique Praeceptoris Methodus ſtudii medici emaculata et acceſſionibus locupletata ab* ALBERTO AB HALLER. *Med. et Ph. D. Anat. Chir. Bot. in Georg. Aug. P. P. O. Conſiliario Aul. et Archiatro Reg. et Elect. Praeſide Regiae Societ. Scientiar. Gotting. Acad. Caeſ. Natur. Curioſ. nec non Regg. Socc. et Acadd. Britann. Boruſſ. Suecic. et Vpſal. Sodali, Reip. Bern. in Supr. Senatu CCviro. Tomus primus:* ſi citius ad me perueniſſet, haud neglexiſſem, vbi-

que

que eius mentionem facere. 4) Vt ordinem chronologicum proſequi potuerim, primam ſemper omnium 4
operum editionem ex aliis autoribus nominatis indicare ſtudui, vbi mea collectio deficiebat; articulo III —VI.
vero reliquas quoque editiones, quibus adhuc careo ex laudato SEGVIERIO praecipue collegi, hanc ſigillatim ob rationem, in praefatione iam indicatam, vt palam fieret, quoties opera ibidem recenſita botanica primum in Germania excuſa, quae nunc merito exſibilantur, ob meliorum defectum, recuſa fuerint. Eandem ob rationem hic addere liceat ſequentem librum, qui interea ad me peruenit: *Plantarum, arborum, fruticum et herbarum effigies, numero octingentae, ad viuum depictae, cum earundem propriis ſex linguarum, videlicet Graecis, Latinis, Italicis, Gallicis, Hiſpanicis, et Germanicis nomenclaturis. Baeume, Stauden, Kreuter, Frücht, in die acht hundert, eygentliche Conterfeytung, Samt derſelbigen in ſechserley Sprachen rechte Namen, letzt von nevvem gantz fleiſſig und ordentlich zuſammen geleſen und beſchrieben. Cum indice ſextuplici accurato. Franc. apud haered. Chr. Egen. 1562.* 4. pagg. 391. index pagg. 27. Continet eodem ferme ordine easdem icones absque vlla deſcriptione, quas Herbarii Germanici editio artic. IV. no. 17. et 18. recenſita ſiſtit, additis quibusdam eiusdem plantae figuris in prioribus editionibus exhibitis. Acceſſerunt *Animantium terreſtrium, volatilium, et aquatilium effigies ad viuum depictae vnacum eorundem Latinis et Germanicis nomenclaturis. Gethier, Fiſch, und Geflügels allerhandt, zam und vvildt, in Lufft, Waſſer und Erdtrich vvonende, mit ſampt iren mancherley Nomenclaturen und Namen, Latein und Teutſch, gar artlich abconterfeyt und fürgemalet. ibid. 1562.* pagg. 19. Vbi iterum nonniſi figurae illae viliſſimae et maximam partem valde exiguae Herbarii Germanici editionis citatae denuo exhibentur. Hae et illae ſtirpium icones pigmentis perquam rudi penicillo obductae ſunt. 5) Articulo XIV. et XVI. omnium editionum, quas ipſe poſſideo, titulos 5
plenos deſcripſi (in antecedentibus non vbique idem obſeruaui tempori et ſpatio tunc magis parcens) quia plerumque de pretio, quo editionis tempore erant, teſtantur, atque interdum breuis recenſionis vices praeſtant, nec non de editionum differentiis curioſos reddunt certiores. Propterea vero ſaepius occurrunt tituli operum et eiusdem et alius auctoris vno volumine editorum, quae huc non pertinent; iis tamen in operibus, quae in aliquot tomos vel ſectiones peculiaribus titulis diſtinguuntur, e. gr. Galeni Auicennae &c.,
eos, qui de alienis tractant, conſulto praeterii. 6) Molem ſeu paginarum numerum cuiusuis libri pariter in- 6
dicaui, quia hanc notam nonnulli etiam deſiderant. Iis in libris, qui paginarum numeris carent, folium et charta mihi vnum idemque eſt et duas formae paginas indicat. Hoc vt moneam neceſſe eſt, quia haud raro ex Geſneri bibliotheca quasdam editiones citaui chartarum numero definitas, poſtea vero animaduerti, ipſi chartam idem eſſe, quod vulgo plagula vocatur et formae in folio ſic dicto quatuor, in quarto octo &c paginas comprehendit: ergo e. g. art. XVI. no. 7. Iac. de Dondis operis exemplar chartarum 142. a Geſnero indi-
catum et meum chartarum 284. vnius eiusdemque eſt molis, forteque vna et eadem quoque editio. 7) Quum 7
ſaepius citaui *Geſneri Catalogum Auctorum botanicorum* cum Tragi herbario (art. IX. n. 3.) excuſum: addo hic, eundem recuſum extare in PASCHALIS GALLI Bibliotheca medica Baſileae 1590. in 8vo edita p. 369.
ad p. 449. 8) Vtinam pro commodiori vſu harum philyrarum paginis numerus adpreſſus et ſingulorum ope- 8
rum eorumque editionum tituli ſeparatis paragraphis diſtincti fuiſſent, quod ab initio, vbi huic inſtituto paucae tantum paginae deſtinatae erant, minus neceſſarium videbatur. Cui ergo hac opella vti lubet, calámo adſcribat paginis numerum incipiendo a prioris Catalogi pagina prima, et ſimul addat Catalogi poſterioris marginibus ſuperioribus articulorum, lateralibus vero operum ſingulorum vt et editionum numerum vel litteram, et denique corrigat errata addatque addenda ſequentia: p. 16. l. 2. 6) lege 10). ibid. l. 23. a. 1632. lege 1532. p. 18. l. 10. lege *imitationem.* ibid. l. 29. Pock lege Bock. p. 19. l. 58. lege opus ipſum pagg. 554. p. 21. l. 4. 2) lege 3). p. 22. l. 26. 1629. lege 1529. ib. l. 27. pagg. 10. adde conf. artic. XVI. 5. c. p. 23. l. 21. lege conf. 5. b. artic. ſeq. XVI. ibid. l. 24. lege artic. XVI. 19. a. ibid. l. 25. lege artic. XVI. 11. a. b. c. ibid. l. 48. Editus, adde eſt. p. 24. l. 9. diſtinguunt. adde conf. artic. XVI. 1. m. p. 29. l. 43. SETHI lege SETHVS. p. 31. l. 35. GENVENSIS, adde (Ianua enim et Genua, eius patria, ſunt ſynonyma) p. 32. l. 46. 1527. lege 1522. p. 34. l. 59. lege *Gimignano.* p. 36. l. 5. pertineret. adde: Aggregator namque hic practicus anonymi, et ille Patauinus DONDI, in expoſitione plantarum virium penitus differunt, ideoque diuerſos auctores indicant. ibid. l. 27. 8) lege 8*) p. 38. l. 58. 1730. lege 1530. p. 41. l. antepenult. 20. g. lege 20. h. p. 43. l. 57. 1541. lege 1521. p. 46. l. 59. 1438. lege 1538.

INDEX AVCTORVM, QVORVM IN POSTERIORI CATALOGO MENTIO FIT.

Litterae erectae indicant auctores, quorum opera recenſentur; obliquae eos, qui tantum citantur, vel aliorum opera ediderunt, vel praefationibus commendarunt, vel in aliam linguam tranſtulerunt vel commentariis aut notis illuſtrarunt. Maior numerus ad articulum, minor ad eius diuiſiones remittit.

Abenſina XVI. 4.
Abeter XVI. 8.
Abimeher Moyſi XVI. 13. b.
Aboali XVI. 4.
Abohali XVI. 4. e.
Abraam Iudaeus XVI. 1. a. b. c. 6. a.
Abubecher Abubetur Abuchare XVI. 8.
Abuhali. Abuvali XVI. 4.
Abynſcenus XVI. 4. e.
Aegineta (Paulus) vid. Paulus.
Aetius XIV. 19. a. b. c. XVI. 28. b.
Aetius XIV. 13. XV. XVI. 26. 28.
Aggregator Patauinus XVI. 7.
Aggregator practicus &c. III. 6. XVI. 7.
Agricola (Io.) Ammonius XIV. 16. a.
